13 c 43
s

BARTHOLOMEI
MARANTAE VENVSINI
MEDICI

METHODI
COGNOSCENDORVM
SIMPLICIVM
LIBRI TRES,

Cum Indice copioso.

Quos libros ne quis alius per decennium impune imprimat,

Decreto Summi Pontificis, Regis Neapolis, ac Illustrissimi Senatus Veneti cautum est.



ATENEO VENETO

VENETIIS
Ex officina Erasmiana Vincentij Valgrisij.
M D LIX.

BARTHOLOMEI
MARCELLI VERVIENSIS
MEDICI

METHODI
COCNOSCENDORVM
SIMPLICIVM
LIBRI TRES,

Cum Indice copioso.

BIBLIOTECA



VENETIIS
Ex officina Ioannis Vincentij Valgrisij.
M. D. LIX.

IOANNI VINCENTIO PINELLO
GENERE, ET DOCTRINA
CLARISSIMO
BARTHOLOMEVS MARANTA
VENVSINVS MEDICVS

GISTI mecum ſuperiore anno IOANNES VINCENTI doctiſſime, vt quos libros de ratione cognoſcendorũ ſimplicium paucis ante menſibus, tuo hortatu abſolueram; eos in aſpectum, lucemq́; proferrem. Quod quidem opus cum ego ſatis perſpectum haberem, quàm eſſet planè rude, minimeq́; elaboratum: reſtiti fateor voluntati tuæ; cui alioqui fuerat libenter obſequendum; cum præſertim tuam ego auctoritatem nulla in re defugere ſoleam. Sed cum videam te, ſiue iudicio, quo, ſi quis alius, maxime polles; ſiue, quod magis crediderim, amore, quo me, pro tua humanitate, ſingulariter diligis, adductum; vt non ſolum in ea ſententia firmiter perſiſtas; ſed etiam me quotidie magis ac magis ad id faciendum impellas: decreui tandem aliquando tuæ morem gerere voluntati; volens vt opus ipſum periclitetur potius, quàm incredibilis meus erga te amor, atque obſeruantia in ſuſpitionem adducatur. Sed & tu vnus occurriſti, ſub cuius patrocinio lucubrationes haſce meas in publicum emitterem; quando vnus ex omnibus es, qui illis tantum tribuis, quantum ego ingenio tribui meo poſſe nunquam putaui. Te vnum etiam habeo, qui tanquam medicæ materiæ peritiſſimus, libellum ipſum tueri non ſolum poſſis; ſed, quæ tua eſt benignitas, velis etiam, & cupias. Huc accedit, quòd bonam partem eorum, quæ in eo continentur, in tuis hortulis obſeruauimus; in quibus quamplurimas plantas ex varijs remotiſq́; regionibus, magno illas quidem impendio aduectas, perpulchre alis; de quibus ſæpe etiam inter nos cõmentati ſumus; innumeras admirabileſq́; naturæ varietates, magna cum admi-

ratione penſitantes : Ex quo vera(ſi quia tamen fuerint , quæ nouitatem aliquam in medium afferre videantur)eſſe omnia , quæ in hunc librum congeſſimus , firmum teſtimonium dare potes. Et denique ratio ipſa requirere videtur , vt quem eius habuerim perficiendi , ædendiq; ſuaſorem ; eundem contra obtrectatores habeam defenſorem . Neque vero tantum ei tribuere auſim , vt ab eius lectione aliquam eruditioni tuæ acceſſionem fieri poſſe exiſtimem . Nam & ſi in grauioribus ſtudijs fueris à teneris vſq; annis verſatus ; in primiſq; in iuris prudentia : atq; in re tam philoſophica quàm mathematica,in quibus ita excellis, vt nulli eorum, qui ſeſe in ijs iactant,concedas ; medicam tamen materiam ita perfecte calles , vt omne ſtudium in hac vna ſcientia conſumpſiſſe videaris . Hoc vero eo magis mirum eſt, quòd non minus in græcarum literarum , latinæq; eloquentiæ, & poëticarum rerum ſtudijs pręſtas . Adde & optimos integroſq; mores ; quibus omnibus te , nobiliſſimamq; familiam tuam ita exornas , vt pater tuus Coſmus probæ vitæ , ſanctæque religionis vnicum exemplar , hoc vno in primis ſe felicem prædicet ; ac iucundam ſe agere ſenectutem teſtetur ; nihilq; non ſibi de te magnum , quod prudentem virum ſperare deceat,promittat . Accipies igitur paruum hoc opuſculum . quod ſi tale ſit , quale illud eſſe exiſtimas ; non verebor audacius dicere ſtudioſis iuuenibus magno vſui futurum . Qualecunq; tamen , perpetuum erit noſtræ erga te obſeruantiæ pignus ac monimentum . Mihi certe anſam præbebit maiora poſthac excudendi ; quæ ſub tuis etiam auſpicijs in lucem prodibunt . Nam cum me tibi totum iampridem dicauerim , mea omnia tibi promiſſa , ac conſecrata ſint neceſſe eſt . Vale.

GABRIELI FALLOPPIO
MVTINENSI MEDICO
BARTHOLOMEVS MARANTA
VENVSINVS.

CVM *in Dioſcoridis libros lucubrationes aliquot meditari aggrederer; idque hortatu Lucæ Ghini præceptoris mei; eſſetq; mens id ſolum perſequi, quod ab alijs, qui eandem rem tractarunt, uel prætermiſſum, uel minus clare, aut uere declaratum intelligerem; cumq; uiderem partem illam, quæ ad cognitionem medicamentorum pertinet, diffuſe atque uberrime ab alijs multis eſſe pertractatam: cognoui id tantum mihi exponendum relinqui, quod ad facultatum declarationem faceret. Et ne omnino ab ipſa cognitione abſtinerem, methodum quandam præmittere decreueram, qua ſingula medicamenta certa ratione inueniri, & iudicari poſſent. Eam mihi exequenti ecce renunciatur de acerbiſſimo obitu Lucæ Ghini; à quo cum multam opem in hoc meo labore expectarem, omni illius perficiendi ſpe deſtitutus, non ſolum intermittendum, ſed penitus etiam relinquendum exiſtimaui; ſatis me facturum ratus, ſi dum uiuerem, tam chari capitis iacturam deplorare ſatis poſſem. Sed ab ea me ſententia deduxit tandem Ioannes Vincentius Pinellus; qui dum me hortatur, rogat, increpat; tantum apud me hominis ualuit auctoritas, ut uelim nolim ad deſperatum opus redierim. Itaq; uix tribus abſolutis, quos de ratione cognoſcendorum medicaminum methodo conſcripſeram, libris, ſuadet, ut haudquaquam extrema commentariorum manu expectata (quippe qui ne biennio quidem abſolui poſſint) in lucem illos ederem. etenim tractatio ipſa tum Dioſcoridis libris adiuncta, tum ſeorſum ab illis legi æque poteſt; cuius utilitate (ſi modo aliqua ſit) per tam longum temporis ſpatium ſtudioſos defraudandos non eſſe operæpretium iudicauit. Sed cum illi nihil negare auderem, in hoc præcipue eius uoluntati obtemperandum mihi fuit; eo tamen conſilio, ut quam in Lucæ Ghini morte iacturam feciſſem, eam tu mihi mi Gabriel pro tua humanitate reficeres. etenim te, cum à Ghino diſceſſi, proximum habui, quem & maximi ſemper fecerim; & cui bonam magnamq; partẽ huiuſce, ſi qua in me eſt, cognitionis acceptam referre & uolo, & debeo. Mitto igitur ad te librum non tam uidendum, quàm emendandum: ac quanuis non me lateat, quàm ſis non ſolum in publico legendi munere, ſed etiam in curandis ægris occupatus; confido tamen (quæ tua in me ſemper fuit benignitas) id ipſum quod datur ocij, libenter te in noſtris lucubrationibus emaculandis collocaturum. quarum errata ſi tot ac talia fuerint,*

ut non lituris, ſed ſpongia indigeant, quæſo ingnẽm potiũs mittas, quàm excudendas cures. Nam cum opus ipſum Ioanni Vincentio (quando is mihi ſuaſor, & auctor perficiendi, ædendiq; illius extiterit) dicare conſtituerim; ita in apertum proferatur neceſſe eſt, ut merito illi nuncupatum eſſe uideatur. Eſt enim iuuenis præter antiquam generis nobilitatem, & græcis, & latinis literis impenſe eruditus; & cum liberalium artium ferè omnium cognitionem profiteatur, tum in hac ipſa de ſimplicibus medicamentis ſcientia plurimum excellit: in primisq; in expendendis doctiſſimorum uirorum ſententijs acri pollet iudicio, quod & tute ipſe fatebere, cum illum intus & in cute (ut dicitur) noueris. Paucis enim poſt menſibus Patauium ſtudiorum cauſa ſe recipiet. Effice igitur ut ipſius operis, tuo grauiſſimo iudicio perpenſi, tuaque lima emendati, & me, & illum pœnitere non poſſit. Vale. Neapoli Kal. Iul. M D LVIII.

GABRIEL FALLOPPIVS MEDICVS MVTINENSIS BARTHOLOMEO MARANTAE MEDICO VENVSINO S.

IBRVM *hunc tuum de methodo cognoscendorum simplicium medicamentorum, quem ad te remitto, ea cum animi voluptate perlegi, quam hominis mihi in primis cari labor eruditissimus afferre potuit, ac debuit: quoniam in eo multa doces, quæ ad inuestigandas cum ratione plantas, ceteraq; omnia simplicia medicamenta valent: atq; inter cetera disciplinam tradis, quonam pacto, & legi debeat, atque intelligi possit Theophrastus, Dioscorides, Galenus, ac ceteri denique cumplures, qui de materia medica conscripserunt: præterea quibus rationibus cognoscamus an verum sit medicamentum quod in manibus habemus, atque vnde accipiendæ sint notæ, quæ ad veram illius cognitionem nos ducant. qua item veri specie ducti nonnulli præclarissimi alioquin viri in cognoscendis simplicibus medicamentis lapsi sint. ad hæc vero addis quo modo errores præcauere liceat, ac si quando variæ in eodem medicamento circa ipsius cognitionem sint opiniones. doces nihilo minus quæ ex his vera sit, quæ ue explodenda, idque vniuersalibus quibusdam regulis in ordinem redactis scite admodum facis. declaras obiter omnia ferè, quæ ob difficultatem, Theophrasti, Dioscoridis, Plinij aliorumq; veterum lectionem retardare possunt. insunt etiam in eo non paucæ digressiones, quæ ad particularium quorundam simplicium cognitionem spectant, in quibus multæ sunt tuæ priuatim sententiæ, quæ tametsi cum alijs scriptoribus non conueniant, firmis tamen rationibus eas veriores esse comprobas. detegis & in his aliquot plantarum genera nemini adhuc, quod sciam, ex ijs qui ante te scripsere cognita, quæ tua opera, ac summo labore inuenta in hoc doctissimo libro aptis locis inseruntur. multa hic disputas de proprijs nominibus, & homonymis, & quo modo eorum ope liceat ignota venari simplicia medicamenta. atq; vti non leuem vtilitatem ad ea dignoscenda afferant nomina hæc spuria aperis. Multas plantas quas haudquaquam descriptas reliquit Dioscorides ex eodemmet Dioscoride describis, sicuti & imperfectas, mancas, concisasq; delineationes alijs notis locupletiores reddis. defendis Dioscoridem ab obtrectatoribus. disputas multa de locorum, regionumq; varietate. Multa de plantarum natura, generibus, magnitudine, ætate & cultu, deque illarum partibus, in quibus nihil quod ad situm, numerum ue aut magnitudinem, aut colorem, aut saporem pertineat, prætermittis. quin etiam illarum diuturnitatem, postquam exaruerint adscribis. restituis multa Dioscoridis loca, quæ

falsam illius historiam reddunt: quo pacto liceat perspecta stirpium facultate certa quod eademmet sint elicere argumenta doces. vbi multa includis ex medicinæ penetralibus deprompta, atque inter alia loqueris de simplicium medicamentorum temperamentis, facultatibus, gradu, præparatione, delectu, exhibendaq; quantitate, & modo; aliisque id genus quamplurimis. de corporum præterea natura partibus, temperatura cõmuniori nec non & idiosyncrasia, apparatuq; de morborum quatuor temporibus magnitudine, diuturnitate, & aliis nonnullis, de quibus tamen omnibus ita disseris, quoad simplicium medicamentorum leges postulare iudicas. Hæc autem omnia tam docte, & eleganter persequeris, vt non solum rerum doctrina me legentem in maximum admirationem adduxeris, sed nouitate etiam maximopere delectaris. Quam ob rem nisi te horter vt quamprimum librum hunc in lucem emittas, omnis prorsus iudicij expers sim. nam & si sunt fortasse nonnulla, quæ ob diuersa hominum de rebus iudicia non adeo omnibus probabuntur; non ita tamen multa mea sententia sunt, vt te à tam egregio labore publicando deterrere debeant. Fac igitur vt studiosa iuuentus exoptata hac methodo frui possit, quoniam obtrectatorum calumniæ sub amplissimo Iohannis Vincentij Pinelli patrocinio tibi nullo modo sunt pertimescendæ. Interim vero cõmentarios, quos in Dioscoridem Luca Ghino sanctissimæ memoriæ, potissimum suasore scribis, perfice, ex quibus non dubito hanc de simplicibus medicamentis scientiam maximum incrementum esse susceptura. Vale Patauij III. Non. Augusti. M D LVIII.

Qui noſtrum hoc opus ore pleniore
Summis laudibus efferet, nec ulla
In re errare putauerit; ſed omnes
Magna uoce Deos, Deasq́; teſtans
Contendat; capite annuatq́; toto,
Illo doctius, elegantiusq́;
Conſcriptum nihil eſſe: Næ ſceleſtus
Aſſentator erit mihi hic, qui inanes
Fumos diſſimulanter, & doloſe
Vendat; quiq; det auribus, nec imo
Idem pectore, conſcientiaq́;
Conſtrictum teneat, quod ore promit.
Rurſus qui nihil eſſe in hoc libello,
Quod aures teretes, & eruditas
Virorum deceat politiorum
Contumaciter aſſerat, ſed eſſe
Figmenta omnia, & aſpere refellat
Vexetq́; omnia multus, inſolensq́;:
Certe hic mi improbus, & calumniator
Nuncupabitur; inuiduſque, & omni
Poſt natos homines dolo atque fraude
Mala compoſitus; vir vndequaque
Impudens, capitalis, impiuſque
Vir peruerſi animi malæque mentis.
Miſſum ipſe hunc faciam, neque incitabor
Ad iram vſque adeo, vt furentis inſtar
Vlciſci cupiam: Illa nanque tam & ſi eſt
Obiurgatio habens acerbitatis
Multum, atque ingenuo viro nequaquam
Ferenda: attamen eſt viri modeſti,
Quod de ſe improbe ab improbis feratur,
Non aſſis facere; & Deum precari
Ei vt reſtituat diu vagantem
Longe & late animum, ſacramq́; mentem.
Verum quiſquis opuſculo doceri
Hoc parte ex aliqua, erudirierque
Se poſſe, ingenue fatebitur; ſed
Quædam eſſe aridius, minutiusque

Dicta;

Dicta; quædam etiam parumper extra
Rem vagarier; atque veritate ab
Ipsa quædam aliena; deinde recte
Dicta æque, & vitia ipsa diligenti
Pendat iudicio; & modeste in his nos
Blandeque admoneat; benigne in illis
Collaudet: solidum integrumq; amicum
Dixerim merito: huius & patentes
Aures admonitis lubens, volensque
Præstabo; atque redargui, & refelli
Ab illo æquo animo feram; meaque
De sententia abire non grauabor.
Quin ei quoque gratias habebo
Magnas; quòd tenebris, nigraque nocte
Circunfusum animum, & diu sopitum
Ad gratam vocet optimamq; lucem.

LECTORI.

INSECVTI sumus in hoc nostro opere Ruellij interpretationem; in qua tametsi nonnulla sunt, quæ aliter interpretari possent: quia tamen dum hũc librũ aggrederemur, nihil minus, q̃ id exequi nobis proposuimus; eius uersioni fidem in omnibus adhibentes, cum græco codice res omnes cõprobare nõ laborauimus: nõ esse nos erraturos rati, si ei maxime crederemus, quam ab eruditioribus omnibus magis receptã esse nouimus. Verum dum multã ei fidem tribuimus, nõ ignoramus nonnulla nos admisisse, quæ latine sic vt iacent, probant quidem nostram sententiã; sed in græco non probant. Nos autẽ idcirco multis exemplis vsi sumus in rebus demonstrandis; quia cum ita res ipsa sit, vti nos dicimus, & latina versio habet; quanuis contingat quandoq; vt vno, aut altero exẽplo ex græcis verbis non cõprobetur; ex tertio tamen, vel quarto absq; dubio cõprobabitur. Vt cum docuimus semen a Dioscoride nonnunquam accipi pro fructu, & contra: atq; exẽplũ de Antirrhino dedimus, quã semine vituli nariũ constare asserit: Cumq; videamus fructũ hanc figurã habere, nõ semen; diximus hoc loco semẽ pro fructu accipi. Verũ in græco καρπὸς legitur, nõ τὸ σπέρμα. quare hoc exemplũ non ita in græco, vt in latino nostram corroborat sententiã. In græco enim ita iacet καρπὸν δὲ φέρει μόσχῳ ῥισὶν ὁμοιον ἰδεῖν. Quod est. Fructũ fert vituli naribus simile aspectu. Attamen ex alijs exemplis rem ita esse, vt nos docemus, haud obscure colligas. Sed & in multis alijs idẽ interpres καρπὸν semẽ vertit; nullã constituens differentiã inter hanc vocẽ & τὸ σπέρμα: vt in Securidaca videre est. In huiusmodi lapsus incidit sæpissime Ruellius dum Dioscoridẽ per verba Plinij (quod & in proposito exẽplo fecit) interpretari affectat. Id nos permutare non multũ curauimus; quia & alia, etiãsi nõ viderimus eius generis multa esse, nõ leui quidem suspitione coniicimus. In quæ cum incides lector, noli nobiscum nimium morose atque seuere agere. Hæc nanque & alia multa scitu fortasse non indigna alibi exquisitius declarare promittimus.

Index

INDEX RERVM MEMORABILIVM HVIVS OPERIS.

Primus numerus paginam, secundus versum denotat.

ABLVTIO medicamentorũ 209.25
Absinthij cur tres species 58.37
in Absinthio marino mendum 183.9
Acacia 38.3
in Acacia secunda titubans opinio 155.21
Acanthi uarietas ex loco 119.29
in Acantho satiuo adnascentia 89.3
Acanthus germana 85.2
Acanthus ebeni species 108.1
Acida quando aluum humectent, quando astringant 263.34
Acinus idem cum fructu 42.40
Aconita cur descripserit Dioscorides 75.14
Aconiti pardalianches uarietas 67.19
Aconitum duo significat & quando alterutrum accipiendum 52.8
Aconitum pardalianches familiare nomen Dioscoridi 52.39
Aconitum pardalianches hominibus uenenum non est 68.20.261.13
Aconitum pardalianches quod 67.33
Adeps anserinus pro uaria præparatione cõtrarios habet effectus 212.16
Adiãti duæ species Theophrasto 63.22
Adianton unde 20.21
Adrachnes cur nulla apud Dioscoridem mentio 71.33
Aegicon quid 29.34
Aegilops unde dicta 19.5
Aegilops ut uenanda 70.3
Aegyptia spina apud Dioscor. 81.15
Aequiuocatio & improprietas quibus uariationem efficiant 15.38
Aequiuocationes inter Dioscoridem & alios scriptores 54.33
Aequiuocationes multæ apud Dioscoridem 47.40
Aër ad simplicium cognitionem an concurrat 190.32
Aëris constitutio consideranda in delectu medicaminum 217.16
Aëris inæqualitas maxime consideranda in simplicibus 102.12
Aër omnibus arboribus percommodus qualis 102.40
Aerugo per se callum nõ sanat nisi alijs adiuncta 204.11. nec ulcus ibidẽ inde
Aetas & uetustas in plantis quot modis consideretur 96.10
Aetas in hominibus quomodo consideranda ad cognitionem simplicium 254.11
Aetas in hominibus quomodo uariet medicamenta 255.12
Aetas in plantis duplex 90.7
Aetas medicaminum consideranda in eorum delectu 217.20
Aetas plantarum substantias uariat 92.28
ab Aetate indicatio quanti momenti sit 255.32
Aëtius nõ exacte scripsit simplicia 2.7
Affectuum complicatio quot modis 202.30
Agallochi odor quomodo intelligendus 97.40
in Agallocho mendum 182.23
Agaricum cur non delineauerit Dioscorides 78.20

Agaricum

Agaricum quibus locis inueniatur 24.25
Ayros unde dicta 19.2 *cur lygon dicta* 26.6
Agriocynara 29.38
Aliſma familiare nomen Dioſcoridi 52.38
in Aliſmate ſtulta opinio 127.15. 133.24
Allij ex regione uarietas 215.6
Aloë 29.40. *quibus ætatibus conueniat* 255.23
Alſine 56.18. *eius ſpecies ſex* 65.19
Alſine unde dicta 19.19. *cur Myoſotis dicta* 26.4
Althæa unde dicta 19.6
Alumen ex Melo abortũ facit 122.15
Aluminum genera cur tria tantum apud Dioſcoridem 81.5
Alypi radix lacte ſcatet 47.2
Alyſſon 66.5
Alyſſon Dioſcoridis diuerſum à Galeni alyſſo 55.12
Amaraci nomen duabus plantis tribuitur 51.10
Amaracum unde dictum 18.38
Amaranthi ſpica uerius q̃ flos 44.32
Amaranthus Galeno uox familiaris 53.6
ad Amatoria accepta ſimplicia cur Dioſcorides proponat 73.17
Ambroſiæ notæ quomodo quærendæ 29.29
Ambuſtorum nomine tria ſymptomata comprehenduntur 203.30
Ammi cur non exacte deſcribat Dioſcorides 158.15
Ammi hiſtoria, & de eo opiniones 26.32
Ammi nullum habet etymon 18.27
Ammi uerum 27.18
Ammoniacũ ſuccus nunc fruticis, nunc arboris dictus 37.36
Amomi quæ pars uſui medico deſeruiat 233.1
Amomi uana opinio 84.28.232.37
Amomis apud Dioſcoridem 81.20
Amphibion 29.40
ad Amuleta & expiationes expetita ſimplicia cur Dioſcorides examinet 73.13
Amygdalæ amaræ quibus uenenum 261.10
Amygdalæ uarietas ex ſenectute 94.
Amygdala quæ loca amet 119.20
Amylum unde dictum 20.19
Anagallidis cur duæ ſpecies 59.7
Anagallidis notæ quomodo uenandæ 29.27
Anchuſa Alcibiadiõ unde dicta 18.35
in Anchuſæ ſpeciebus cur tot opiniones 150.20
Anchuſæ tertiæ deſcriptio unde ſit ſumenda 158.35
Andreas Medicus 1.36.157.9
Andromachus 53.3.55.27
Androſaces 30.5
Androſæmi nomen quibus plantis aſcribatur 51.12
Androſæmon unde dictum 20.10
Anethi deſcriptio ex Dioſcoride quomodo elicienda 163.40
Animalium uaria natura 260.34. *ex regione* 105.31. *& inde*
Annus fructificat non tellus 102.21
Anonidi duæ diuerſitates ex florum colore 61.16
Anthemidis cur tria genera ponat Dioſcorides 60.31. *earum artificioſæ deſcriptiones* 159.27

Antiquorũ inſcribendo mos. 157.16
Antirrhini duæ ex flore differentiæ 61.12
Antirrhinum unde dictum 19.14
Antyllis ut uenanda 169.27
Aparine 30.23
Aphaca ut uenanda 70.6
Apharcam cur Dioſcorides ſiluerit 71.32
Apios lac habet 47.4
Apios quot ramulos habeat 66.26
Apium 53.27. *eius delineatio ut uenanda* 164.26
Apocyni mentio cur à Dioſcoride facta 75.12
Apollonius tanquam confuſus ſcriptor reprehenſus 282.23
Apophlegmatiſmorum uarij uſus 241. 22. *& inde.*
Arbores biferæ & triferæ &c. 94.5
Arbores quæ frutices appellatæ 35.17
Arbor quid 34.24
Arbores lanigeræ ubi 110.29
Arbores ubi ſemper ferè germinent 118.13
Arboribus ubi nunquam decidant folia 120.27
Arborum uariatio ex uetuſtate 96.40
Arborum in Corſica mira magnitudo 111.39
Arborum uarietas ex aſpectu ad uarias regiones 129.30
Arbuſcularũ quarundã mirũ 110.26
Ariſtolochiæ uarietas ex regione 112. 2. *in ea erratum ibidem, & inde*
Arebigenes à Galeno reprehẽſus 215. 10. 258. 36
Ariſarum cur non exacte deſcribat Dioſcor. 158.20
Ariſtolochia tenuis, quæ intelligenda 112.11
Ariſtolochia unde dicta 19.9
Ariſtoteles multum laborauit in homonymia diſtinguenda 33.34
Ariſtotelis & Platonis de nominibus ſententiæ 18.16
Ariſtotelis ſcribendi ratio 290.18. 291.22
Ari uarietas ex Regione 114.8
Artemiſia unde dicta 18.34
Arum uox ægyptia 28.27
Aſclepiæ herbæ falſa opinio 84.36
Aclepias an ſit uincetoxicum 44.20
Aſpalathus ſecunda 155.29
Aſphaltion 26.15
Aſphodeli genera quatuor 65.1
in Aſpleno opinio reprobata 153.38
Aſſyria mala, quæ 22.3
Aſter atticus cur in duas ſpecies non diuidatur à Dioſcoride 59.23
Aſtrion 29.18
Atractylis 30.16. *in ea uana opinio* 133.20
Atractylis cur in duas ſpecies non diuidatur à Dioſcoride 59.22
Atriplex maritimum 64.20
Auicennæ erratum in ſimilitudine nominum 53.38.54.29
Auicennæ locus declaratus 44.13
Auicenna non exactus ſcriptor ſimplicium 2.7
Auctores optimi quomodo reprehendendi 160.24
Auctoris mens ex loquendi formula colligi poteſt 37.7

B

Baccharim cur multi reſecuerint à Dioſcoridis libro 32.32.180.34
Baccharis caput à Dioſcoride non reſecandum 64.5

Baccharis radicis odor quomodo quærendus 99.18
Bacculæ quid 45.7
Been quid 54.2.57.28
Ben quid 43.29.54.2
Belgicum uulgare non est ex Laseris planta 37.28
Besasa & Harmala familiaria nomina Andromacho 53.3
Betonica cur psychotrophon dicta 113.13
Betonicæ odor quomodo quærendus 99.23.113.9
Betonica cur nonnullis ignota 112.39
Betonica uox latina 28.26
Bithynus Iolas 1.34.157.10
Botrys cur ambrosia appellata 21.10. 29.29
Brassica marina 42.10. *in ea mendum* 180.20
Brassica ubi amarissima 114.1
Bryon 56.24
in Bryonia opinio refutata 160.12
Bucranion quid 29.31
Bulbi descriptio quomodo ex Dioscoride uenanda 163.19
in Buphthalmo & Crysanthemone cur tot opiniones 150.16
Buxi mentionem cur non fecerit Dioscorides 71.18
Buxum cognouit Dioscorides 81.9

C

Cæpæ & allij uarietas ex ætate 93.8
Cæpæ uarietas ex satione 138.16
Calamintha latifolia & angustifolia 62.13
Calamintha secũda 23.37.28.23. *eius descriptio ubi inuenienda* 159.35
Calliceros 48.27
Callimachus scripsit de coronis 77.8
Caltha Plinij 84.40
Capita quædam in Dioscoride male à nonnullis resecantur 63.38
Caphuræ uana opinio 84.30
Capparis culturam respuit 145.35
Capparis fructus qui 44.1
Capparis fructus aristolochiarum fructibus similis 45.11
Capparis ubi acerrima 114.11
Capreoli qui, & quibus proprie dicantur 42.20
Cardamomi quæ pars usui medico deseruiat 232.33
Carlina altera non est chamæleo niger 115.19
Carmis Massiliensis ostentatio 247.11
Caro mali medicæ pro semine 44.8
Carpobalsami adulterium 81.29
Casia cathartica cur flatus & tormina excitet 224.20
Casia cathartica per plures alterationes uarijs pollet uirtutibus 239.35
Casiæ catharticæ cortici falso tribuitur uis ciendorum mensium 55.35
Casia per cribrum extracta cur saporem mutet 100.34
Casia fistula ab Andromacho q̃ 55.27
Casia fistula apud Arabes quæ 55.30
Casia Hygini quid 52.36.56.2
Casia in cinnamomum uersa 89.21
Casia nigra Actuarij quæ 56.5
Casia nigra Theophrasti quæ 56.7. *ubi oriatur* 56.10
Cassuta quid apud Theophrastũ 55.8
Catanance ut uenanda 70.9
Caucalis myrrhæ species 50.6
Caucum Auicennæ 57.12
Caudex quid 38.26
Caudex ĩ Elate per similitudinẽ 41.17
Cauliculus pro pediculo 40.1. *pro ramulis*

mulis 40.18
Caulis quid 38.23
Caulis de herbis proprie dicitur, caudex de arboribus 40.9
Caulis pro sarmentis, uel pro caudice 40.11. *& 40.36. pro uiticulis* 41.12. *pro caudice ibidem* 20.
Causa exterior transmutationũ in plantis 17.11. *intrinseca ibidem* 24
Cedreaites quid 35.40
Cedria cur mortuorum uita dicta 263.33
Cedri binæ species 35.39
κεγχραμὶς in ficu quid 39.7
Celastri usus 71.35
Celsus 247.20
Centaurij historiam Arabes confundunt 58.29
Centauriũ minus adultũ, & caule præditum descripsit Dioscorides 91.15
Centaurium minus cur limnesion dictum 26.5
Centaurium ubi fœcundum 87.16
Cerui uiperas innoxie uorant 261.2
Cestiana mala non sunt arancia 21.40
Chalbanũ in Sagapenũ transit 89.23
Chamæcissos 22.35. *unde dicta* 19.39
Chamædaphne apud Plinium quæ 57.6
Chamædaphne unde dicta 19.34
Chamædrys unde dicta 19.30
Chamæleæ & Thymeleæ nomina à diuersis 52.34
Chamæleæ sapor quomodo quærendus 100.26
Chamæleo albus cur Ixia dictus 26.7
Chamæleonis albi falsæ picturæ 134.11
Chamæleonis nigri ueri descriptio 115.33. *uarietas ex loco* 120.12
Chamæleonis nigri nomina 31.2
Chamæpitydis nomen quibus plantis assignetur 51.14
Chamæpitys unde dicta 19.32
Chamæsycæ unde dicta 19.38
Charta cur uratur 208.16
Chelidonium maius & minus facultate & figura differunt 58.36
Chelidonium minus cur triticum syluestre dictum 26.12
Chelidonium minus uerum quæ planta 114.21
Cibi medicamẽtosi cõmoditas 237.13
Ciceri imber inimicus ex omnibus leguminibus 102.17
Cicuta quibus uenenum, quibus nutrimentum 261.3
Cinnabaris et minium differunt 74.18
Cicerbita aspera, uox Romana 31.9
Cinnamomũ cur non delineauerit Dioscorides 80.7
Cinnamomum in casia oriri solet, & cur 143.6
Circea unde dicta 18.34
Clematidis daphnoidis quatuor species 65.14
Clinopodium unde dictum 20.3
Clauicula 42.19
Cneoron apud Theophrastum quid 52.33. *&* 56.3
Cnici cur duas species non posuerit Dioscor. 61.21
Cnici & croci flores capillamenta accepta 39.1
Cnici exacta descriptio ex Dioscor. 165.23
Coclearum testæ cur urantur 208.15
Cœli ratione uarietas in plãtis 102.10
Colchici radix quando dulcis 93.4. *&* 101.40
Colchici radix temporis diuturnitate rufescit 10.39

Colchico pro hermodactylo utũtur recentiores 57.33
Colchicum cur describat Dioſc. 74.10
Colocaſia uulgaris Ari ſpecies eſt 109. 32.182.18
Colores in partibus plantarum quando ſinceri quãdo nõ, accipiendi 167.20
Color lacteus qui 168.29
Color niger & fuſcus an differant 171.10
Colorũ proprietates quomodo in plantis intelligendæ 172.34.174.34
Colorum uarietas in plantis 173.10
Colutea arbor magna eſt 37.17
Componẽdorum medicamentorum neceſſitas quibus ex cauſis 203.21
Compoſitio in medicamentis quantum referat ad cognitionem 202.14
Compoſitiones Dioſcoridis non paruipendendæ 206.33
Compoſitionis mirus effectus 206.1
Comptoria ars quomodo ad medicinam pertineat 75.34
Comptoriarum herbarum nocumenta 76.31
Coniectura in cognoſcendo medicamine quomodo ualeat 22.36
Coniectura nulli certitudini inuitens 23.27
Conſtitutio totius libri 13.1. libri tertij 193.4
Conſuetudinis uis 256.34.257.30
Conſuetudo uelut natura 116.40
Conyzarum artificioſæ deſcriptiones 159.2
Corianni delineatio ex Dioſcoride quomodo elicienda 164.10
Corianni ex ætate uarietas 92.13
Coris nomen quibus plantis aſcribatur 51.13
Cornu ceruinum cur uratur 208.7
Coronariæ plantæ ad medicum vt pertineant 77.2
Coronopi notæ ut uenanda 29.17. eius exacta delineatio quomodo elicienda 165.15
Corpora humana quibus inter ſe maxime differant 254.28
Corporis diſpoſitio quomodo medicaminum facultates uariet 270.7
Corporis optima conſtitutio q̃ 252.34
Corporis ratione ſimplicium ignoratio quot modis 252.19. & inde.
Corporis peculiaris natura 254.6
Cortex quid 39.23
Cotyledon unde dicta 20.5
Crateuæ belenium apud Dioſcoridem 79.9
Crateuas herbarius 1.35.157.9
Crematio ad eliciendum ex ſimplicibus odorem modica eſſe debet 98.5
Crithmum 23.34
Crocodilium ut uenandum 187.11
Crocum unde dictũ 18.40. cur ſiccetur 208.17. male reponitur à ſeplaſiarijs 224.13
Croton Theophraſto nomen familiare 53.2
Cultus quot modis cõſideretur 135.25
Cultus ratione duplex uarietas 11.37
Cultura certos limites habet 137.19
Culturam reſpuentia 145.17
Cuminum æthiopicum 27.6
Cupreſſus cæſa vbi germinet 109.23
Curatio tuta 267.33
Curatio uaria pro partium corporis uarietate 271.10
Curcuma quid 57.11
Cynogloſſi deſcriptio & uarietas ex uetuſtate 94.34

Cynogloſſi duæ ſpecies à Plinio 63.20
Cynomorion quid 30.3
Κυνόῤῥοδον inde dicta 19.4
Cyperus indicus 57.13
Cyphi ſuppoſititium caput in Dioſcoride aliquibus 180.32
Cytini unde dicti 20.11
Cytiſi uarietas ex uetuſtate 95.21. *ex loco* 120.39
Cytiſus uera ubi inueniatur 36.28. *eius deſcriptio ibidem*

D

Damaſonium familiare nomen Galeno 52.37
Damocrates 67.17
Daphnoides unde dicta 19.34
Deceptio in ſimplicibus ex eorum ſubſtantia 86.35
Deceptio ſimplicium ratione, in cognitione quotuplex 193.10. *ratione morborum* 278.8. *ratione ſubiecti corporis ibidem* 20
Decoctio lenis, uel multa contrarios effectus ſolet inducere in medicamentis 214.26
Decoctio medicamentorũ cur fiat 210.18. *eorum decoctum ad quid deſeruiat* 210.39
Delectum quanti fecerit Dioſcorides 222.36
ex Delectu non conſiderato incommoda 229.23
Delectus medicamentorũ quantum conferat ad eorum cognitionẽ 216.12. *quotuplex* 217.4. *& inde*
Delectus medicamentorum uariat eorum gradus 225.5
Delectus medicaminum ab eorum ſubſtantia 219.6. *à magnitudine* 219.28. *à multitudine ibidem* 33. *à qualitate tactili ibidem* 36. *à pondere* 220.3. *à puritate ibidem* 8. *à colore ibidem* 12. *ab odore ibidem* 30. *à ſapore* 221.11. *à regione & loco ibidem* 30. *ab ætate* 222.1. *à uetuſtate ibidem* 3. *à tempore ibidem* 8. *à ſpecierum præſtantia ibidem* 10. *à partibus eorum ibidem* 20
Delineationes quot modis nõ cõgruant cum medicamentis 12.2.147.5
Delineationis ratione duplex deceptionis genus 85.30.& 147.5
Delineationis ratione uarietas quotuplex 11.17
Delineatio per quæ perficiatur 14.32
Delineatio plantarum difficillima 147.23.& 149.12
in Delineationibus oĩbus ſemp aliquid deſideratur 152.13.& 160.30
in Delineationibus uariatio plantarum 16.8
Delineationum uenandarum regula 162.33.& 163.9
Delphinij cur duas ſpecies Dioſcorides ponat 62.2
in Delphinio falſa opinio 133.30
Dictamnũ Cretenſe aliis à Creta locis oritur 87.6. *an florem emittat, ibidem* 14.10.& 110.12
in Dictamno Cretico mendum 179.35
Dictamnum Cretenſe cur à multis ignoratum 86.40
Differentia à floris colore ſpeciem non uariat in plantis 59.13
Dionyſiacum quid 48.27
in Dioſcoride multa menda adſunt, & cur 179.20. *multa perierunt* 180.36. *& inde.*
ad Dioſcoridem non attinet ut facultates uniuerſales & gradus do-

ceat 285.14.20
Dioscorides circa plantarum transmutationes pauca considerauit 8.40
Dioscorides cum dubius est quibus loquendi formulis utatur 78.39
Dioscorides cur multa medicamenta nõ scripserit 58.20.& 71.5.77.16
Dioscorides cur non inscripsit librum suum de historia 292.29
Dioscorides cur tot æquiuocationes reliquerit 34.13.& 49.21
Dioscorides defenditur à calumniatoribus 156.5
Dioscorides eas solas uires scribit quæ per experientiã sunt inuẽtæ 289.39
Dioscorides errauit in his quæ auditu perceperat 80.10
Dioscorides & Hippocrates pari ratione defensi 286.25
Dioscorides in quibus reprehendi possit 285.30.& 295.28. Excusatur ibidem.
Dioscorides in simplicium cognitione excellens 2.1
Dioscorides male à nonnullis reprehensus 201.28.& 206.14
Dioscorides multas habet compositiones 202.14. cur 203.2.& inde
Dioscorides male interpretatus in Thymelæa 176.2
Dioscorides multa medicamẽta ab alijs transcripsit 77.25
Dioscorides necessaria tantum scribens breuitati studuit 58.9
Dioscorides nominum proprietatẽ non seruat 34.38
Dioscor.non est inserendus inter eos qui curandi methodos scribunt 284.16
Dioscorides nõ loquitur de his quæ usui medico non deseruiunt 71.13
Dioscorides non omnia medicamenta scire potuit 63.16
Dioscorides non omnia oculata fide uidit 77.24
Dioscorides non scripsit per ænigmata 48.24
Dioscorides plura septem tithymalorũ genera cognouit 59.3
Dioscorides quandoq; propria nomina spernens improprijs utitur 49.17
Dioscorides qua usus diligentia circa simplicia 2.18
Dioscorides quo loco unumquodq; medicamentum optimum proueniat uerissime scripsit 228.15
Dioscorides quomodo loquatur de his quæ ad medicam artem non pertinent 72.24
Dioscorides solummodo medicis scribit 9.11.& 296.28
Dioscoridi primæ deferuntur 3.4. cur 9.28
Dioscoridis capita in tres partes diuiduntur 14.14
Dioscoridis & Theophrasti in scribendo differentia 9.7.& 292.12
Dioscoridis impedimenta circa simplicium cognitionem 4.30
Dioscoridis in describendis simplicibus diligentia 147.30.& 149.20
Dioscoridis ĩscribẽdo propositũ 77.21
Dioscoridis liberæq; ab empiricis & rationalibus intelligi potest 296.13
Dioscoridis liber ante perdiscẽdus quã Galeni 294.4
Dioscoridis mendum in uitice 60.27
Dioscoridis mos in exhibendi ratione 249.16.& 251.31
Dioscoridis munus non est definite remedia proponere 277.2

Dioscoridis

Dioscoridis nomen aliqui inuertunt 149.6
Dioscoridis ordo in scribendo 10.6
Dioscoridis proprietates minus proprie medicamentis 10.27
Dioscoridis scopus 8.36
Doctrina uniuersa alicuius rei quando pluribus libris pertractanda 288.6
Doronicũ calidũ tertio ordine 68.33
Doronicum quæ 67.21
Dorycnium quomodo ualere possit ad amatoria 74.24
Dorycnium ut uenandum 70.5
Dracũculi duo genera reperiũtur 64.3
Dulcedo & saporis suauitas per crassationem fit 99.36

E

Ebenus ubi oriatur 107.26
Eclegmata quot usus habeant 240.35
Elaphoboscus cur quibusdam ignota 153.8
Elate 24.10
Elate nomen tribus conuenit 48.39
Elatem quando fructus inuolucrum intell. 51.30
Elatine ut uenanda 69.40
ἔλικα 42.18
Empetrum 23.30
Enodes arbores qũo intelligẽdæ 41.21
Ephemerum non lethale quomodo uenandum 27.25
Epimedij uana opinio 84.37
Epithymum 55.9. *in eius historia mendum* 182.34
Erini duæ species 46.34
ἐρυθρὸς color 169.9
Errhinorum uarius usus 245.36
Errores multorũ cur sileantur 83.36
Erui exacta descriptio ut uenanda 165.4
in Eruo opiniones refutatæ 165.8
Eruum cur quibusdã ignotum 198.20
Eryngij odor quomõ quærendus 99.20
Eryngion 30.2
per Erysisceptrum quando aspalathum quando cypirus accipienda 51.34
Euentus multo plures reperti quàm causæ 290.25
Eupatorium unde dictum 18.36
Eupatorium tres diuersæ plantæ tribus auctoribus 54.35
Exhibendi modi admirabiles 243.37. *& inde. &* 245.26
Exhibendi modus ex compositione manifestari solet 249.37. *ex saporibus* 250.16. *ex loco affecto* 250.36. *ex præparatione* 251.5. *ex loquendi figura ibidem* 13.
Exhibendi modus uarius uarios effectus curat 239.17. *cur ibidem* 25. *& inde. &* 242.26. *& inde.*
Exhibendi ratio latens quomodo inuenienda 248.25. *eius duæ differentiæ* 249.1
Exhibendorum medicamentorũ ratio quantum conferat in ipsis cognoscendis 234.29. *& inde. eius necessitas* 236.2. *&* 240.14. *quanti cam fecerit Dioscorides* 240.24. *&* 252.10
Exhibendorum medicamentorum ratio duplex 236.17
Exhibendorum medicaminum regulæ quomodo obseruandæ 242.21. *si nõ obseruẽtur, quæ incommoda sequantur* 243.31
per Experientiã inuenta separatim tractanda ab his quæ ratione inuestigata sunt 289.37. *cur* 290.25
Experimentũ multũ temporis requirit ut certum reddatur 195.39

Experimentum ob ſolam quantitatem expoſcitur 195.22
Experimentum quid inuenerit, quidue ratio 291.21

F

Fabæ eiuſdem ſiliquæ cur aliæ coctiles aliæ non 121.15
Fabium uox Romana quid 31.12
Facultas ſola ſimiles plantas diſtinguit 187.8
Facultates perfecte oſtendunt ſimplicium cognitionem 186.14
Facultates medicamentorũ ſummo iudici comparantur 188.22
Facultates uſui medico non deſeruientes quid conferant 72,29
de Facultatibus quomodo hoc libro tractetur 190.3
in Facultatibus quot capita conſideranda 191.8
Facultatum cognoſcendarum in ſimplicibus difficultas 185.28
Facultatum ratione circa cognitionem deceptio quotuplex 193.7.& 252.19.& 274.6
Fæx pro uaria præparatione contrarias facultates habet 212.26
Fagi foliis pilulæ adnatæ 88.36
Fel pro uarietate affectuum uarias habet præparationes 213.3
Ficus auerſifera 132.25
Ficus quem locũ concupiſcat 119.15
Figura medicamentorum 15.11
Flores binos ferentes q̃ dicãtur 38.37
Flores in Aegypto cur non odorati 112.26
Flores pro ſiliquis quæ flores continent 45.1
in Floribus colorum uarietas cur quandoq; non explicetur 176.36. *quando explicanda* 177.30
Florum colores exactiſſimi quærendi 168.1. *eorum denominatio quomodo ſumenda* 177.10
Florũ ppetua cõtinuatio unde 104.31
Flos quid 38.28
in Foliis plantarum colores ut accipiendi 168.5.& 171.29. *in germinibus, caulibus & cæt. ibidem.*
Folium quid 39.3
Fraxinum cur non delineat Dioſcor. 157.31
Fructuum diuerſitates unde 103.19
Frumenti mira magnitudo 111.34
Frumenti uarietas ex regione 116.30
Frutex quid 34.28
Frutices arbores appellati 35.9
Fructus quid 39.4
Fructus pro eo quod in ſemine continetur 43.25. *pro ſemine* 43.34. *pro flore immaturo* 44.5
in Fumariæ radice tuberculum 88.32
Fumariæ tres ſpecies 61.2
Fumaria unde dicta 19.8
Fungi lapidei ubi 110.21

G

Galeni liber de facultatibus quem reſpectum habeat cum Dioſcoridis libro 293.35
Galeni ſcribendi ratio 290.10
Galeno per amicos uaria à diuerſis regionibus ſimplicia apportabantur 228.8
Galenũ quid coëgerit pegrinari 107.8. *quot regiones pluſtrauerit* 227.19
Galenus apothecam ſimplicium ſibi parabat 227.6
Galenus cur multa reliquerit circa ſimplicium hiſtoriam 2.5.& 157.20
Galenus cur aceruũ nominum damnat, de

de quibus intelligat 32.25
Galenus cur in Lemnum insulam nauigauerit 80.16.*et* 227.22.*et* 228.5
Galenus exponitur 68 29
Galenus male Dioscoridem reprehendit, quòd indefinite scripserit 283. 23. *& inde.*
Galenus multum laborauit in homonymia distinguenda 33.35
Galenus non omnia pertractat quæ deberet in libro simplicium 287.10
Galenus reprehensus 294.24. *& inde.*
in Galeopsi falsa opinio reprobatur 97.10
in Galio falsa opinio 134. 29. *cur.* 153.3
Galion unde dictum 20.20
Gargani montis ambitus 125.38
Gargarizatus uarij usus 242.6
Gaza 52.35. *eius laus* 32.14
Gelsiminũ uulgatũ nõ est leucoiũ 60.2
Genera in plantis duobus modis 47.29
Geniculus quid 42.4
in Genista & spartio cur toto pinniones 150.18
Geranij species undecim 65.10
γίγαρτον *in uuis quid* 39.8
Geranij secundæ cur fiat à Dioscoride mentio 73.33
Germinatio intempestiua unde fieri possit 103.37
Gingidium quomodo uenandum 27.30
Gith 24.1
Glandis unguentariæ oleum ex qua parte conficiatur 43.18
Glans unguentaria quæ 54.3
Gradus facultatum ex partium uarietate 233.37
Gradus facultatũ in medicamentis qũo intelligendi 216.17.*&* 224.38
Gramen 29.34
Graminis species cur quatuor Dioscorides 58.34. *Plinius sex* 63.19
Guaiaci ligni stulta opinio 84.32

H

Habitus bonus qui 253.38. *quotuplex* 254.20
Habitus, natura, temperies an differant 254.3
Halimus unde dicta 21.14
Harmel quid 57.18
Hederæ plures species tribus nouit Dioscor. 81.31
Hederæ in folijs uarietas 91.34
Hedera in cerui cornibus 123.13
Hedera terrestris non est chamæcissos 22.36.*&* 154.5
Helenij cur unicam tantum speciem proponat Dioscorides 61.26
Helenium unde dictum. 18.37
Helichrysson quomodo uenanda 27.32
Helichrysson uox Dioscoridi familiaris 53.7
Helioscopios tithymalus unde dicta 20.22
Heliotropij uana opinio. 85.2
Heliotropium magnum cur non in duas differẽtias distinguatur 59.27
Heliotropium magnũ quomodo uenandum 69.39
Heliotropiũ unde dictum. 20.22
Hellebori historia Galenus multa omisit 295.11
Helleborum accepturi quæ exequi debeant 267.35
Helleborũ quibus uenenum, quibus nutrimentum 261.3
Helleborum quibusdam hominibus nutrimentum cur. 257.17
Helxines exacta delineatio ex Dioscoride 165.32

Hemerocallis ut uenandæ 69.29.& 154.31
Heraclides Tarentinus 1.34.& 157.9
in Herãthemone opi. refutata 159.32
Herbæ frutices appellatæ. 35.13
Herbæ suffrutices appellatæ 35.14
Herba gatta 23.35. *non est tertia speciescalaminthæ* 154.27
Herba quid 34.32
Herba stella 29.22
Hermodactylus apud Actuarium albus & puniceus qui 57.26
Hermodactylus Arabum qui 57.29
Hermolaus Barbarus 3.30.& 28.15
Herophili pulchra sentẽtia 245.32.& 273.26
Herophilus quæ iubebat medico necessaria scitu esse 289.28
Hippocrates referta herbarum uolumina scripsit. 157.11
in Hippoglosso, & lauro alexandrina opiniones 150.18
in Hippoglosso ligulæ super folijs non semper uidentur 88.19.& 91.38
Hippon 135.9
Hirculus herba. 81.21
Historiæ stirpium titulus quibus conueniat 292.38
Hordeum Achilleis cur æruginosum 128.20
Hordeum in lolium transit & in ægilopem festucam 144.11
Hormini eminẽtiæ siliqs similes 44.29
Hominum in assumendis, uel respuendis pharmacis cibisque uaria natura 262.1.& inde.
in Hormino opiniões refutatæ 159.23
Horminum 54.10
Horti simplicium quando inuenti, & cur 90.21
Hyacinthus unde dicta 18.40
Hyginus 52.36
Hyemales fructus nõ hyemis ratione ad maturitatem perueniunt. 104.23
Hyperici nomen quibus plantis ascribatur 51.24
Hypocistida cur in species non dividat Dioscorides. 59.16

I

Iasme apud Dioscor. 81.16
Iberidis caput nõ remouendũ è Dioscor. 64.11.*cur* 166.34
Iberidis uarietas in radice 67.26. *in folijs* 91.9
Iberis nullum habet etymon 18.26
Idæus rubus ubi quærẽdus 24.30
Ἰδιοσυγκρασία. 261.34
Ilicem cur non delineat Dioscorides. 157.29
in Ilicis folijs pillulæ adnatæ 88.40
Illyris. 30.30
Indiæ arborũ diuersa forma ab his quæ in Græcia oriuntur 108.12
Indiæ arborum proceritas. 111.19
Infans informis quid 48.25
Insuetudinis uis 258.4
Intubus uox Romana 31.8
Ioannes Vincentius Pinellus 108.24
Irio 28.24
Iris cur melior in Illyria 113.32
Iris 30.27. *vnde dicta* 20.10
Iris in uetustate sentit teredines 96.35
Iris sylvestris 27.27
Isopyron cur phasiolon apell. 26.2
Iuglandis nomen duobus fructibus cõuenit 49.33
Iulius Bassus 1.37
Iuncus lapideus ubi 110.25
Iuniperus minor quibusdam locis frutex esse 36.8

Lachryma

L

Lachryma in plantis quæ 46.18
Lac in plantis quid 45.35
Lac pro lachryma 46.30
Ladanum unde fiat 54.18
Lagopus 21.25
in Laseris odore pulchra consi. 97.30
Laser non est arbor. 37.25
Laserpitium culturam renuit 145.39
Lauri genera tredecim apud Plinium 62.22
Lauri lapideæ ubi 110.23
Lauri cur in duo genera tantum diuidit Dioscorides ibidem
in Lauro alexãdrina falsa opinio 133. 33.& 161.6
Laur⁹ in Platano,et q̃rcu nata 123.14
Legumina incoctiliora cur. 94.10
Lens in Aracum mutatur 144.12
Leo quæ. 31.11
Leonarthus Fuchsius 3.34.& 21.26. *et* 26.36.*et* 47.5.*et* 65.11.*et* 111. 1.& 115.7.& 134.11.& 149. 39.& 186.25.& 213.19
Lepidium quomodo uenandum 27.30
Leucacantha, & acãthaleuce differunt 56.33
Leucacanthæ nomina 30.36
Leucacantha qũo cognosci possit 21.21
Leucoïi ex flore differentias cur recenseat Dioscorides. 59.33.& 74.2
Leucoium cæruleum suppositititium 180.23
Libanotis unde dicta 18.39
Liber hic quibus scribatur 83.40. 259.17
Limnesion 26.5
Limonij uarietas 67.6.*vana opinio* 126.35.*uera* 127.4. 133.27.
Lingua ceruina nõ ẽ scolopẽdrio 53.20
Linum syluestre nouit Dioscorides. 81.29
Linum transit in Lolium 143.8
in Lithospermate mendum. 180.25
Lithospermi duæ species 65.12
Loca quomodo accipienda. 125.15
in Loco & regione uariatio plãtarum 17.1.& 87.22
Locus cõueniẽs ĩ quaq; plãta,qui 119.9
Locus dupliciter sumitur 105.20& 117.7.& 122.23
Locus & regio in descriptionibus 15.28
in delectu medicaminum 218.6. 221.24
Locus natalis in plantis ut intelligendus 123.34
Lonchitis aculeatus frutex 50.9
Lonchitis aspera cur quibusdam ignota 20.35.& 152.40
Lonchitis unde dicta 20.6
Lotus Aegyptia uarie describitur Dioscoridi & Theophrasto 80.6
Loti urbanæ uana opinio 125.19
Lucas Ghinus 3.38.& 21.2.& 27. 19.& 87.9 & 110.7.& 282.19. 282.26
Lucretius 106.28.& 261.4
Ludouicus Romanus 37.26
Lupha uox syria quid 28.25
Lupini syluestris descriptio unde petenda 162.37
Lupinorũ herba ubiamarissima 114.15
in Lychnide coronaria errores 97.9
Lygon 26.6

M

Maceratio medicamentorum quibus de causis 210.1
Magnitudinis differentiam paruifecit Dioscorides 61.30
Malorum genera cur negligentius distinxerit Dioscorides 62.24

Malorum medicorum uariatio mira ex cultu 146.20
Malua ad iustã arboris mensurã 8.30
Maluæ mira magnitudo 111.26
Manardus 41.31 & 43.17
Mandragoræ nigræ uarietas 66.36
Manna uulgaris male à nonnullis decoquitur 214.17
Manna uulgaris nonnulla corpora non purgat 265.30
Marcellus Vergilius 21.28. & 28.15. & 54.23
Maritima loca quæ intelligẽda 126.22
Mastiche in Brutia regione 110.13
Medendi indicationes à tribus sumuntur 190.20
Medicæ materiæ scriptoris munus 284. 8. 293.7. *eius scribendi genus aphoristicum* 286.20. *à quibus abstinere debeat* 289.2
Medicæ materiæ scriptor optimus qui 74. 7
Medicamenta ad pectus destinata per quot partes pertranseant 240.4
Medicamenta contrariam facultatem ostendunt pro affectuum uetustatis uarietate 281.36
Medicamenta cur quãdoque agant per se, quandoq; per accidens 263.26
Medicamenta insuauissima ac detestãda cur a Dioscoride proponantur 237.20. *a assumenda, ibidem*
Medicamenta peregrina quomodo deligenda 218.35
Medicamenta ualida quæ corpora substineant, quæue imbecilliora 255.4. 259.4
Medicamenta uaria ad uarias naturas cur 258.25 *ad uarias corporis partes* 270. 35. *ad uaria morborum tempora* 276.4
Medicamẽti cuiusque quatuor fieri compositiones oportere 276.6
Medicamentorum effectus cur raro uideantur 224.36
Medicamentorum numerus pro numero lapsuum 208.22
Medicamentorum repositio considerãda 218.14. & 229.8
Medicamentorum uariæ formæ cur fiant 200.3
Medicamentũ quo morbi tempore cõueniat qũo sciendũ 277.26. & 279.7
Medicina infirmior quotuplex 23.30
Medicinarum particulæ quomodo earum cognitionẽ impediant 230.14
Medici officium 271.5
Medicorum incuria 187. 17. 223.3. *pharmacopœorum, ibidem & inde.*
Medicorum nostrorum superbia, antiquorum prouidentia 226.18
Meliloti odor qũo quærendus 99.34
Melothron quid 32.10
Mel quibus ætatibus cõueniat 255.27 *quando amarum sentiatur* 263.27
Mentis perturbationes quomodo ad præparationẽ corporis ptineant 269.16
Meon Athamaticũ unde dictũ 18.33
Mesueus nõ exacte scripsit simplicia 2.6
Minium cur describat Dios. 73.32
Mithridates Rex ueneno mortem oppetere cur nequiuit 257.3
Mnesitheus scriptor de coronis 77.8
Moly nomen quibus ascribatur 50.37
Mons quot partibus constet 125.18. *et* 126.8
Montis Vulturis in Apulia descriptio 126.7
Mora in medicamẽtis quo pacto uariãda 200.20

Morbi & uitia in plantis ex regione 109.25
Morbi in alias ſpecies tranſeunt nō per-curſis quatuor temporibus 276.19
Morbi in plantis ſecundū naturā et præ ter naturam eſſe poſſunt 17.16
Morbi lapſus perfectè nunquam ſciri po teſt 267.12
Morbi magni quot modis 279.8
Morbi peculiares hominibus ex regio-num natura 107.24
Morbis extremis quando extrema ad-hibenda remedia 266.21
Morbi uaria accidentia uariam cura-tionem poſtulant 274.37
Morborum malignorū ampla latitudo 279.19
Mulus exenteratus & quaſi ſemianimis quid præſtet 247.2
Mundi partes quatuor quomodo ſeha-beant circa ſimplicia 2.23
Mutationū in plātis tres cauſæ 121.14
Myles radix perijt in Dioſcori. 282.39
Myoſotis 26.4.& 56.20
Myrobolani male multum coquuntur à non nullis 214.22
Myrrhæ odor qūo intelligendus 97.38
Myrrham cur non deſcripſerit Dioſco-rides 79.21
Myrrhis 21.28
Myrtum cur non diuiſerit in tres ſpecies Dioſcorides 62.7

N

Marciſſus cur in duas ſpecies non diſtin-guatur 59.28
Narciſſus unde dictus 18.40
Nardi celticæ futiles opiniones 84.20
Nardi ſpica 41.32
Nardū pro malabathro acceptū 48.4
Naſturtij ex ætate uarietas 92.11
Naturæ excellētia 260.35.& 262.18
Naturæ luxus in plantis 89.11
Natura principaliſſimo ſignificatu 263.32
Nega 55.5
Nepeta 28.23
Neurada 28.22
Niceratus 1.37
Nigidij de nominibus ſententia 18.19
Nodus quid 38.27
Nomina alia alijs uſitatiora 52.20
Nomina in plantis quædam poſitione, quedam ad placitum 25.14
Nomina nō multū curabāt antiq̄ 34.6
Nomina ſignificātia quid iuuent ſimpli ciium cognitionem 20.26
Nomina ſpuria non omnia reijcienda 28.6.*quæ reijcienda* 32.17
Nomina tam multa ſimplicium cur in Dioſcoride adſint 33.5
in Nominibus ſimpliciū quid ſecundum naturā conſideretur 14.15
ex Nomīibus ſpurijs dup. utilitas 29.9
Nomina uniuerſalia in plantis 34.23
Nominum aceruus quādo optādus, quā do damnandus 32.37
Nominum multitudo in medicamentis cognoſcenda 25.20
Nominū multitudo in medicamētis un de 25.20
Nominum proprietas quantū conferat in notis eliciēdis medicamētis 26.28
Nominū ꝓprietas an ab auctorib' ſerue tur in ſimplicibus, ut ſciēdū 36.13
Nominū ꝓprietas ſæpius auctores omit tunt 33.18
Nominum ratione uarietas in ſimplici-bus duplex 11.4
Nominum ſignificantium numerus cur maior 25.3

Nominum uarietas in medicamentis cognoscendis quid conferat 25.39
Notæ in plãtis exflorum colore sumptæ quomodo considerandæ 169.18
Notæ in medicamentis quomodo adaptandæ 116.20. & 122.1. & ad quot fines ponantur 138.39
Notæ in medicamentis quot secundum naturã, totidẽ præter naturã 14.9
Notæ medicamentorũ ueluti testes quidam sunt 188.20
Nucis Euboicæ uarietas ex loco 119.23
Nucis uillum potius quàm flos dicendum 44.36
Nucleus quid contineat 43.20
Numeri ratione uarietas in simplicibus duplex 11.11
Numerum partiũ Dioſc. sæpius posuit in plantis 66.4
Numerus in plantis quot modis 62.37 65.36
Numerus partium plantarum non accurate quærendus 69.14
Nyctegreton planta 70.38. & 72.9
in Nymphæa mendum 182.6

O

Ocymi uarietas ex ætate 93.11
Ocymoides minor 64.37
Ocymum cur in tres species non distinxerit Dioſc. 61.31
Ocymum gariophyllatum, & citriatũ 64.33
Ocymum in serpyllum mutatũ 143.4
ad Odorem efficiendum quæ iuuent, quæ ue repugnent 113.17
Odor & sapor quomodo quærendi in simplicibus 97.28
Odorum in plantis multæ uarietates 98.27
Olea æthiopica duas plantas significat 48.34
Olea lapidea ubi 110.23
Olea ubi nasci nequeat 126.24
Onagra unde dicta 19.7
in Onobrychi falsa opinio 124.9
Ononis ueros geniculos non habet 42.3
Opocalpasum in myrrha 89.25
in Ordine uariatio plãtarum 16.35
Ordo & situs plãtarum quomodo differant 129.35
Ordo in delinationibus confusus & explicatus 15.19
Ordo in plantis raro uariationem suscipit 133.8
Ordo libri Dioscoridis cũ Galeni libris 293.12
Oribasij in scribendo consiliũ 287.20
Oris collutiones quot habeant usus 242.1
Orobanche 30.2
Orobanche Dioscoridis & Theophrasti diuersa 55.4
Osyridis ex flore duæ diuersitates 61.14
Oxyacãtha arbor est, non frutex 37.4
Oxyacantha unde dicta 20.9

P

Pæderota uox Romana 28.27
Pæoniarum artificiosæ descriptiones 159.5
Paliurus Dioscoridis diuersus à Theophrasti paliuro 55.10
Palma duo significat 50.16
Palma ubi fructifera 87.23 & 109.12
Papauer corniculatum an cognoscatur 133.39
Papauer rhœas cur in species non diuiditur 59.6
Pardalianches unde dicta 19.4

Pars medicamenti usui medico deseruiens quomodo cognoscenda 232.14
Pars subiecta morbo a duobus affligitur 266.35
Partes a Dioſc. propoſitæ in medicamentis non permutandæ 234.18
Partes medicamentorum quomodo differre ſoleant 153.10
Particularum corporis cur uaria temperamenta 270.28
Partium partes in plantis 39.24
Paſtinaca differt a dauco ſylueſtri 56.39
Paulus Aegineta non exactus ſcriptor ſimplicium 2.7
Pentaphylli varietas 67.8
Pericalamitis quæ 48.26
Perſea ubi exitioſa 114.3
Perſeuerantia medicamenti quantum referat ad cognitionem ſimplicium 199.22. *cur fiat* 200.12. *nõ permutanda temere* 202.2 (14
Perſicæ arboris ex ſitu uariatio 132.
Perſica ubi fructificet 87.22
Perſonatæ falſa opinio 84.39
Petronius Niger notatur 51.16
Petroſelinum in Cilicia quid 28.25
Petrus Andreas Matthiolus 3.39. & 21.8. & 24.27. & 26.40. & 36. 19. & 37.3. & 42.28. & 54.28. & 64.3. & 108.28. 115.19. et 134 12.26. & 166.40. 169.26. & 182.22
Peucedanum ut uenandum 169.30
Pharmaca compoſita cur male opus perficiant 226.4
Pharmaca Deorum manus dicta, & nihil etiam eſſe, cur 274.28
Pharmaca uetuſta fugienda 225.17
in Pharmacis quæ deglutiuntur quid obſeruandum 263.9
Phaſiolon 26.3
φίλυρα quæ 54.23
φιλλυρέα non eſt Tilia 54.23
Phrygius lapis cur uratur 208.14
in Phu uana opinio 133.37
Phylicæ honor qui 71.32
Phylli falſa opinio 84.37. & 125.10
Phylli hiſtoriam à Crateua accipit Dioſcorides 64.10
Phyllitidis uarietas ex ætate 92.1
Phyllitis q̃ 53.22 *eius uarietas* 66.40
φύσει τὰ ὀνόματα ἢ θέσει 18.15
Piceæ nucamentum potius dicendum, quàm flos 44.37
Pigmẽta cur Dioſcor. interponat 73.7
Pillulæ quæ 45.21
Piperis arborem Dioſcorides non nouit 80.18
Piperis tres ſpecies diuerſarum arborũ 80.20
Piſtacium quæ planta ſit apud Theophraſtum 108.35
Piſtolochia Plinii uera 23.16
Piſtolochiæ uarietas exuetuſtate 95.12
Pithyuſæ ex loco uarietas 118.18
Planta cur partes omnes non perficiant 109.9
Plantæ loca calida quærentes, & algẽtia 107.19
Plãta eſt res uaria ac multiplex 8.23
Plantæ in martimis tantum uiuentes 124.27
Plantæ multæ numerum partium habent 66.10
Plantæ mutantur pro agri aẽriſque generibus 103.19
Plantæ nonnullæ cur non deſcribantur a Dioſcoride 256.21

Plantæ

Plantæ quæ in statuto locò semper oriuntur 124.18
Plantæ sæpius uidendæ, & omni ætate 88.4.& 90.13
Plantæ sexum mutantes 143.5
Plantæ ubi in mari nascantur, nullæ in terra 110.21
Plantæ uitam ancipitem agẽtes 123.6
Plantarum aculeati generis cur tot uariæ opiniones 150.8
Plantarũ adnascentiæ mõstruosæ 88.5
Plantarũ definitiones minus tutæ 8.29
Plantarum genus omne quando prosperam germinationem habeat 103.10
Plantarum historiæ multæ cur deperditæ 74.34
Plãtarum magnitudo variata ex cultu 138.35. color ibid.15. sapor 139.28. odor 140.8. tactiles qualitates ibid.21. substantia ibid.29. forma 141.39. tẽpus nascendi ibidem 10. species 142.31
Plantarum maritimarum ex loco uarietas 121.5
Plantarũ maturus, puẽtus unde 104.3
Plantarum natura ex quibus petenda 7.20
Plantarum naturalis exitus quando 138.13
Plantarum nomina ab earum inuentoribus 18.20 ab accidente 20.19 ab odore 20.16. à fabulis 18.36. a facultate 19.1. a figura 20.7. a loco 19.13. a proprietate 20.20. a regione 19.11. a similitudine 19.2
Plantarum nomina aliquid exprimentia 18.21 & inde
Plantarum partes à natura occultatæ 161.26
Plãtarũ partes ĩ trib. differũt 130.38
Plantarum partes quæ 38.20
Plantarum scientia quomodo hauriẽda 150.15
Plantarũ similitudo ab animalibus pẽtenda 117.5
Plantarum transmutationes considerandæ 7.34
Plantarum uariatio ex ætate 90.37
Plantarum uariatio ex loco 117.17 & 118.18.& 123.20
Plantarũ uita ex loco sumitur 130.22
Plantas Dioscorides nunc in una, nunc in alia ætate descripsit 90.37
Plantas quas Dioscorides negligentius descripserit 75.3
Plantas solo florum colore distinguere non curauit Dioscorides 59.4
Plantis solis à quibus uariationes eueniãt 17.37
Platanus in tripode æneo nata 123.13
in Plinio desiderantur multa 2.2
Plinius abietẽ & elatẽ confundit 49.7
Plinius à Dioscoride dissentiens in Iride 96.26
Plinius animal pro herba sumit 49.35
Plinius cur indeterminate scripsit 293.6
Plinius errat in tussi'aginis historia 87.38 in verbenaca 173.31.
Plinius excusatur 20.25. emendatur 180.15
Plinius ex nominum similitudine sæpius deceptus 54.4
Plinius exponitur 142.29
Plinius plantas aliquot diligentius Dioscoride delineat 151.18
Plinius notatur 54.26
Plinius Sij & Sisymbrij qualitates confundit 50.28
Polemoniæ falsa opimio 124.10

Polygonum marem cur non in duas ſpecies diuiſit Dioſcorides 59.18
Polygonus maritima 64.27
Polypodion unde dicta 19.23
Polytrichon apud ignaros quæ 53.17
Populi albæ ex ætate uarietas 92.24. & 94.15
Πορφυρίζον color & πορφυρᾶς 168.26
Portulaca ſylueſtris 30.40
Potamogeton unde dictum 19.19
Præparatio corporis ſola medici manu facta 264. 30. ſolis medicamentis 265.2. utriuſque ſimul 269.18
Præparatio corporis quantũ conferat in ſimplicibus dignoſcendis 263.19 & 269.31
Præparatio corporis naturalis à quibus fiat 264.1. artificialis quotuplex 264.25 & inde
Præparatio corporis duplex 194.30 & 264.3
Præparatio in ſimplicibus quibuſdam inſtrumẽtis facta 211.24. & inde
Præparatio medicaminum quantum re ferat ad ſimplicia dignoſcenda 207. 5. et 208.5
Præparatio medicaminum quotuplex 207.20. artificioſa quatuplex 207. 28 eius neceſſitas ibidem 5. eius uarij modi cur reperti 207 31. naturalis 214.34
Præparationũ gradus maxime attendendi 213.8. & 213.38
Præparatio quanti momenti ſit in ſimplicibus 212.13
Præparatio ſimpliciũ à Dioſcoride propoſita nõ temere omittenda 215.38
Prodigia in plantis 89.14 & 132.16
Proprietas & uniuocatio circa ſpecies ſecundũ naturam conſideratur 14. 16. & circa partes ibidem 24
Prouinca non eſt chamædaphne 57.4
Pſeudomelãthium 23.40. nõ eſt lolium 166.28
Pſilothrum 30.32
Pſyllij cur unicum genus ponat Dioſcorides 61.23
Pſyllij uarietas 64.34
Pſyllium unde dictum 19.25
Pulegij ſylueſtris nomen quibus conueniat 50.6
Pũica tota arbore mutari ſolet 121.30
Pyracantha 81.25
Pyri uarietas ex ſenectute 94.2
Pyrites lapis cur uratur 208.12
Pytides duo ſignificat & quid proprie 50.12
Pyxacantha apud Dioſcoridem 81.15

Q

Qualitas in medicamentis quotuplex 15.5. unde ſumatur 195.31
Quãtitas a Dioſcoride propoſita temere non permutanda 196.25 cur 197.12
Quantitas continua in medicamentis 14.33. diſcreta 14.38
Quantitas definita, & indefinita in ſimplicibus quæ 14.34
Quantitas in medicamentis non ſemper requiritur 198.39
Quantitas maxime omnium facit artem medicam coniecturalem 195.14
Quãtitatis medicamẽti ſtatutæ nõ exhibitæ pericula 197.6
in Quercus frondibus variæ adnaſcentiæ 88.27
Quinquefolij uarietas 133.12
Quot conſiderãda circa ſimplicia 2.15

R

ĩ Radicib. colores ut accipiẽdi 170.28

Radicum dulcedo usquequo duret, & odor 99.28
Radix pro fungo 41.25
Radix quid 38.21
Ramuli pro caulibus 42.16
Ramuli pro uiticulis 40.24.& 41.8.
Ramus quid 38.27.& 40.22
Ranunculi genera multa 65.3
Ranunculi prima ſpecies cur in alias ſpecies non diuidatur 59.24
Ranunculi quarti deſcriptio vnde petenda 162.39
Raphani ex ætate uariatio 92.22
Raphani mira magnitudo 111.27
Raphanus ſylueſtris nõ eſt apios 47.6 & 149.39
Recentiores quam plurima poſt Dioſcoridem ſimplicia inuenerunt 65.21
Recentiorum difficultates circa ſimplicia unde ortæ 5.38
à Regione indicatio maxime ubique facta 205.40
Remedia intempeſtiue aſſumpta quid mali importent 278.15
Remedia interna quæ dici mereantur 236.36
à Remedijs leuioribus incipere, ad præparationem corporis quomodo pertineat 204.16.& 267.6 quomodo intelligatur 279.21
Res non naturales dictæ quomodo ad præparationem corporis pertineant 268.22
in Reupontico uulgari opinio reprobata 153.13
Rha. 28.24
Rhabarbaricum, et Rhapontică diuerſa ſunt 116.11
Rhabarbaricum maceratum cur ſaporem mutet 100.35
Rhamnus tertia quæ 55.12
Rhamni uana opinio 84.35
Rhoem cur non exacte deſcribit Dioſc. 158.6
Rhus et frutex, et arbuſcula dicta 37.39
Ricinus familiare nomen Dioſcoridi, & Plinio 53.3
Ricini in folijs ex ætate uarietas 91.6
Ricinus unde dicta 19.25
Roboris muſcus potius, quàm flos dicendus 44.36
Roris marini coronarij ex cultu uarietas 146.7
Roſæ odor quomodo uarietur 98.12. ubi odoratiſſima 112.35
Roſæ rubræ uarietas mira 88.26
Roſæ ſeneſcentes deteriores 94.30
Roſa ſpina verius, quàm frutice naſcitur 35.24
Roſa ubi hyeme præcox 111.7
Rubi folia pilulis referta 88.33
Rubi uarietas ex ætate 92.2
Ruellij mala contextus uerſio 297.33. 54.10 cur 245.7
Ruellius 3.30.& 38.1.& 45.19.& 54.22.& 154.26
Rufi coloris uarietates 169.4
Rutæ deſcriptio ex Dioſcoride ut elicienda 164.19
Ruta cur faſcinationis remediũ 74.25

S

Sacræ herbæ ex loco uarietas 119.34. ex ſitu 132.23
Sacra herba quæ 173.26
Sacra herba unde dicta 73.18
Saliuaris uox Romana 28.24
in Salicis folijs pilulæ adnatæ 89.1
in Sampſucho mendum 112.13
Sanguinaria quid 29.18

Saponaria non est struthion 115.8
Sarmentum quid 40.8 *quomodo à uiticulis differat* 40.8
Sauritis & σαυρωτήρ quid 29.27
Saxifragiæ ex ætate uariatio 92.26
Saxifragia hircina non est Tragium secundum 22.27
cum Scammonio cur semper quædã adiungantur 225.28
Scammonij radix lacte est referta 46.39
Scamonium 41.36 *non nulla corpora non purgat* 262.40
Scientiæ inuicem non permiscendæ 288.15
Scordium apud ignaros quæ 53.35
Scorpioides 42.20 *unde dicta* 19.27
Scillæ nomen duobus medicamentis tribuitur 50.37
Secacul non est eryngium 57.7
Securidaca unde dicta 20.4
Semen apud rei rusticæ scriptores quotuplex 39.13
Semen pro fructu 42.26
Semen uetus naturam in plãtis commutat 144.4
Semina citius uel serius prouenientia 94.7
Seminis & fructus differentia 39.8
Seminum & fructuum colores vt accipiendi 169.30.& 174.3
Seminum propria acceptio 42.26
in Semperuiuo tertio mala interpretatio 282.24
Sena non est colutea 37.15 *non est delphinium* 24.14.& 155.14
Sententiarum uariarum occasio circa simplicia 5.6
Septica quarto ordine calida 68.34
Serapio non exactus scriptor simplicium 2.7
Serpylli ex loco uarietas 118.16
Serpylli syluestris nomen duabus plantis tribuitur 50.26
Sesamina apud Dioscoridem quid 108.6
Siccitas odori conuenientior 99.2
Siliquæ semen neque corpus, neque semẽ neque cartilago 44.37
Similitudines in medicamẽtis quomodo considerandæ 152.16 & 153.2
Similitudines uel bonos medicos in errorem conijciunt 33.32
in Similitudine variatio plantarum 16.12
Similitudo plantarum ad qualitatem pertinet & quotuplex 15.13
Simplicia ad uarias hominum ætates accommodata quomodo considerandæ 255.23
Simplicia certis corporis membris destinata 273.3
Simplicia cur adulterari cœperint 3.25
Simplicia cur ignorẽtur multis 135.34 & 201.14
Simplicia Dioscoridis cur cognoscenda 49.24
Simplicia ignorantur ob nõ adhibitam præparationem 216.6 *delectũ* 216 27.& 223.10.& 229.28.*ob ignoratam partem eorum usui deseruientem* 232.8.*ob non adhibitum exhibendi modum* 238.36.*ex hominis temperie non recte cognita* 261.7. *ex corporis partium natura non probe considerata* 272.26.*ex morbi temporibus non recte perpensis* 275 6.*ob morborum lapsus ignoratos* 279.4
Simplicia multa apud Theophrastum de quibus

de quibus non loquitur Dioscorides 70.29
Simplicia multa Dioscorides nouit, de quibus loqui noluit 81.2
Simplicia perfectissima quomodo cognoscenda 228.20.& inde
Simplicia quæ genere distinguantur à Dioscoride 49.10
Simplicia quæ idem nomen sortiuntur, raro facultatibus conueniunt 58.17
Simplicia ut recte cognoscantur in uarijs corporis dispositionibus comprobanda 270.18
in Simplicibus uarietas quotuplex 11.10.& inde
in Simplicibus hæreses unde 53.13
Simplicium adulteria quomodo uitanda 227.35.& 228.19
Simplicium cognitio cur difficilior reddita 3.20.& 3.22 & quæ difficultatum genera, ibid.26
Simplicium cognitio per multum temporis cur derelicta 3.7
Simplicium cognoscendorum finis 185.19
Simplicium facies quot modis mutari contingat 11.10
Simplicium historia ex deprauato codice uariatur 179.7
in Simplicium historia quot consideranda, & quæ 7.17
Simplicium indagator prætori comparatur 188.14
Simpliciũ notæ quando exactißime quærendæ 154.20
Simplicium pondus quomodo considerandum 225.16.& 231.4
Simplicium scientia cur ludribrio quibusdam fuerit 187.30
Simpticium scriptores 157.7
Simpliciũ trasmutationes in quibus considerandæ 10.22
Simplicium uariorum indescriptorum descriptiones ut uenandæ ex Dioscoride 166.2
Sinapi cur unum genus tãtum ponatur à Dioscoride 61.24
Sinapismũ cur dropax præcedat 168.2
Sion nomen duobus conuenit 50.26
Sisymbrij in folijs uarietas 91.7
Sisymbrium in mentham mutatur, & cur 142.39
Situs differt à loco 128.26 & inde
Situs in plantis qui 15.15 uariat, & uariatur 128.9
Situs raro uariatur in plantis 132.11
in Situ uariatio plantarum 16.31
Smilacẽ asperam cur non perfecte describat Dioscorides 157.37
Smyrnij in folijs ex ætate uariatio 91.23
Smyrnij nomen duabus plãtis conuenit 50.20
Solani hortensis uarietas ex ætate 92.7
Solanum manicum ut uenandum 69.34
Spatha quæ 24.8
Sparganiõ nõ est spathula fœtida 45.25
Species in plãtis quæ propriæ dicendæ 18.8
Spica pro radice 41.32
Spina ægyptia nõ est acacia 38.2
Spinæ albæ notæ ut uenandæ 29.36
Splachnon 56.18
per Splenion quãdo linteum, quando medicamentum accipiendum 51.38
Splenion quot significet 51.5
Splith herba quæ 61.9
Spongiæ cur urantur 208.16

Stachys 54.11
Sterilitates plantarum unde 103.20
Stibium quatenus utendum 213.24
Stibium apud Dioscoridem 81.18
Stratiotes mille folium quæ 55.23
in ea opinio refutata 178.21
Struthij admirabilis proprietas 246.1
Struthij nomẽ pluribus cõuenit 49.35
Struthij delineatio ut uenanda ex Dioscoride 164.33
Struthij nomina 31.4
Substantia in medicamentis quæ, & quotuplex 86.13. *quibus adaptetur* 87.29
Substantia medicamentorũ uariat alia, & ab alijs uariatur 86.7
Succini odor quomodo quærendus 99.20
Succus quid 45.31
Succus pro lacte 46.7 & 46.29
Sues uirulentos ictus minime sentiunt 106.22
Suffrutex quid 34.29
Sulphuris mirus exhibendi modus 252.3
Surculus pro ramo 40.19
Surculus quid 39.24 & 40.21
Syderitis achillea unde dicta 18.32
Symphyti maioris plures ex flore diuersitates 71.30
Symphytum maius & minus facultate & figura differunt 58.3

T

Tamar Indi male multum decoquuntur à nonnullis 214.21
Tanacetum non est artemisia tertia 69.24
Tarchon herbam cur sumebant antiqui 266.12
Taxi ex regione uarietas 115.2
Telephij nomen duabus plantis assignatur 50.30
Telephion cur in duas species nõ diuidatur 50.77
Telyphonũ familiare nomen Theophrasto 67.38 *quæ* 68.38
pro Temperaturæ uarietate uaria accipiuntur medicamenta 252.24
Temperaturarum recessus quot 253.3
eorum differentiæ unde colligantur 253.13
Temperies optima ex quibus constet 254.4. *quot sint, ibidem.*
Tempora morborum quomodo inuicem opponantur 275.8
in Tempore uariatio plantarum 16.39
Temporis nascendi in plantis uariatio unde 103.21 & 110.30
Tempus anni quomodo considerandum in delectu medicaminum 217.36
Tempus in descriptionibus duplex 15.24
Tempus nascendi in plantis 117.25. *per gradus* 117.29 *quanti sit momenti* 155.15
Terebinthi descriptio ut uenanda ex Dioscoride 164.37
Terebĩthi uarietas ex regione 111.35
Terebintho fructus & semina attribuuntur 43.7
Terebinthus alibi arbor, alibi frutex 36.4
Terebinthus in olea 125.13
Terræ natura quantum conferat in uariandis simplicibus 120.19
Terram Lemnia nõ recte descripsit Dioscorides 80.17
Testiculi species fere uiginti 65.7
Teuerij nomen quibus ascribatur 50.40

Teucrium unde dicta 18.31
Thapsiæ acrimonia quomodo quærenda 100.20
Theophrasti, & Dioscoridis inscribẽdo differẽtia 9.20. *& inde &* 292.12
Theophrasti scribendi ratio 290.21 *&* 291.3
Theophrastus breuitati studens necessaria tantum scripsit 58.13
Theophrastus & Dioſc. inuicem superantur in scribendo 9.20
Theophrastus in plantis certam methodum non inuenit 8.24
Theophrastus in simplicium cognitione excellens 2.1
Theophrastus leuior circa medicum scopum 3.2
Theophrastus nominum proprietatem non seruat 34.36
Theophrastus quibus scripserit 9.9
Theophrastus q̃d sparsim docuerit 7.27
Thlaspi quoddam genus à Crateuæ scriptis accepit Dioscorides 79.14
Thuiæ cur nullam facit mẽtionem Dioscorides 71.25
Thuiam nouit Dioscoridi 81.14
Thuris arborẽ cur non descripserit Dioscoride 79.22
Thuris arbor omnem cultum aspernatur 146.3
Thuris odor quomodo intelligendus 93.40
Thus quibus naturis vlcera desiccet 256.28
Thymelæa cur multis ignota 175.30 *ubi orratur* 175.33
Thymi duo genera apud Dioscoridem 62.64
Thymum lapideum ubi 110.13
Thymum ubi acerrimum 114.11. *ubi nasci nequeat* 126.27
Tilia arbor est procera 54.28
Tithymali cur septem genera 59.1
Tithymali genera plura 65.18
Topica præsidia internos morbos sanantia 247.31
Topicorum præsidiorum uarius usus 246.32
Tormẽtilla nõ est pentaphyllon 67.11
Tragacãtha ubi oriatur 127.30
Tragium secundum 22.26
Tragorigani ex loco uarietas 118.17
Transmutationes in medicamentis ex uetustate 96.36
Transmutationum genera à quibus oriãtur 17.5
Tribuli aquatici radix cur ignota 161.34
Trichomanes Dioscoridis quæ 53.18
Trifolij asphaltitis ex regione uarietas 113.37
Trifolij species fere innumeræ 65.6
Trifolij uarietas 67.13.92.35.*&* 133.7
Triticum sylueſtre 26.13
Triticum transit in lolium 143.8. *&* 144.11. *in Melampyron* 144.12. *in Germanum uocatum* 146.5
Tuberum genera 64.38
Tussilaginis uarietas 67.4.*&* 87.35
Typha & Zea mutantur in triticum 143.9

V

Vacinia non sunt rubi mora 23.29
Vacinium quid 31.14
Variatio circa species simplicium 16.5
Varietatum in plantis genera quot & quæ 14.5 *& inde &* 85.24
Varietatum in plantis numerus quomodo uenandus 15.34

Vastaccietto quid 38.25
Venena per medicamentis aliqui propinant 74.16
in Verbenaca falsa opimio 173.18.*uera ibidem* 33
Vergilij locus enucleatus 31.5
Vergilius 39.17 & 43.2.107.39.111 21 & 144.26
Vernilago nigra quæ 115.30
Vetustatis ratione quot varietates in plantis 93.39
Vineæ cælum quale esse debeat 135.39
Vinum quibus de causis amarum fiat 94.20.& 267.27
Violæ albæ varietas ex ætate 94.26
Violæ purpureæ odor quomodo 98.9
Violam nigram cur in species non diuiserit Theophrastus 60.9
Viola nigra suffrutex uocata 33.18
Virga pastoris quæ 56.15
Vites quæ loca ament 119.19
in Vitice locus restituitur 181.35
Viticis duo genera quibus distinguantur 60.19
Viticulæ pro sarmentis 41.2
Vitis alba & eius nomina 3.31
Vitis cultus quam varius 135.25
Vitis fumide varietas unde 121.32
Vitis genus abortum faciens 122.12
Vitis nec arbor, nec frutex, sed tertium 34.27
Vitis nigræ notæ ut uenandæ 29.32
Vitium solo differentia maxime numerosa 136.36
Vlmus ubi tantum fructifera 87.19
Vomitus quomodo faciliores reddantur 268.1
Vrtica mollis 29.36
Vnedonis mira magnitudo 111.29
Vstio medicamentorum 209.5
Vtendi formula medicaminum elicien-dorum rationem docet 52.38
Vuarum & uitium uariæ formæ ex cultu 137.21

X

χανθὸς color 169.9
Xenocrates reprehensus quod per horrescenda remedia proposuerit 237.40

Z

Zingiber duabus plantis conuenit 50.4
Zopissæ nomẽ duobus adscribit. 50.22

FINIS.

ERRATA.

Pag. 3 Versic. 33. excitarunt lege excitarint.
8. 12. omittet. l. omittat
18. 10. ingeneribus l. in generibus.
19. 30. alia l. aliqua.
25. 13. offert l. offerret
25. 18. medicamentis l. medicamenti
27. 21. aggrederetur l. aggrederer
28. 23. calaminthã, secũdum l. calaminthã secũdam
35. vlt. appellat' l. appellet.
42. 38. verius fructum, expungenda dictio verius
43. 16. quæ intus, sunt in oxyacantha. l. quæ intus sunt: In oxyacantha
45. 10. referre l. re ferre
47. 21. illum l. illam
49. 9. spathon l. spathen
60. vlt. etiam expungenda est.
65. 8. nonnullus l. nõnullas
76. 19. vident l. videntur.
77. 18. nedum l. ne dum
80. 21. quinque l. quique
95. 22. quamquam l. quanque
108. 7. hastulas l. assulas
111. 24. villa l. villæ
116. 6. carnosa l. ærosa
132. 14. persici l. persicæ
134. 30. cruciatis l. crucialis
152. 33. folia scille habere, adde, dicit.
153. 36. fidicula l. filicula.
156. 35. larus l. laurus
160. 28. habeant l. habeat
168. 22. puniceum l. purpureũ
174. 31. prægans l. prægnans
192. in Tabula v. 18. accepta aliæ plantæ pars l. alia
195. 19. dicamus l. dicimus
199. 32. alterum l. alterutrum
208. 8. vtendum l. vrendum
224. 32. ostendunt l. ostendãt
226. vlt. cap. v. sic l. vbi sic.
228. 18. imperfectissima l. perfectissima
233. 13. similiter & κατὰ τόπ. l. simjliter & vi. κατὰτόπ.
245. 14. habent l. habeant
248. 32. nescimus. in Gingibere. lege continuate sic, nescimus in Ging.
252. 30. temperamento l. temperato
269. 8. variæ l. variè
269. 10. ferent l. fierent
280. 2. effectus l. affectus
286. 24. diligere l. deligere
294. 6. annumerauimus l. enumerauimus.

BARTHOLOMEI MARANTAE VENVSINI MEDICI IN Methodum cognoſcendorum ſimplicium

PRAEFATIO.

VEMADMODVM dicendi ratio, quia in medio poſita, communi quodam in vſu, atque in hominum more, & ſermone uerſatur, tam facilis omnibus uideri ſolet, vt à quouis in ea mediocriter uerſato perfecte haberi poſſe uideatur, cum tamen multo pauciores perfecti oratores ſemper reperti ſint, quàm & poëtæ, & muſici, & philoſophi, & mathematici, & aliarum ſcientiarum ſtudioſi, quorum ſtudia ferè reconditis, atque abditis è fontibus hauriuntur; in quibuſque id maxime excellet, quod longiſsime ſit ab imperitorum intelligentia, ſenſuque diſiunctum: Ita & ſimplicium medicaminum cognitionem cum patens, aperta, atque omnibus expoſita videatur; nemo non exiſtimat ſe perfectiſsime aſſequi poſſe: cum ſanè quàm paucos videre ſit, qui omnem eius penè infinitam uim, & materiam ſcientia, & cognitione comprehenderint. Nam, ut ab illis inciſpiam, qui primis temporibus floruere, Bithynus Iolas, & Heraclides Tarentinus uix pauca de hac re tradidere: ſicuti & Crateuas herbariius, & Andreas medicus multa ad medicam materiam pertinentia longe vtiliſsima intacta reliquerunt. Poſt quos Iulius Baſſus, & Niceratus, & quidam alij ita negligenter in ea verſati ſunt, ut multa falſa, ſenſuique prorſus reluctantia ſcriptis ſuis mandauerint. Atque, ut ſummatim dicam, ad quodcunque ſeculum te uertas, uix vnus Theophraſtus,

ſtus, alterque Dioſcorides extant, qui in hac ipſa cognitione excelluerint: quotus enim quiſque eſt, qui ignoret, q uanta in Plinio deſideretur? quanquam & Galenum in eorum numero quis habere poſſet, vt qui ſedulam ei rei operam nauauerit, & quod uoluerit ſit conſecutus: ſed ſcriptis mandare rem omnem (vt qui multa abunde à Dioſcoride tractata eſſe cognoſceret) ſuperuacaneum duxit. Nam quòd Paulum Aeginetam, Aëtiumq;, & inter arabes Auicennam, & Meſueum, & Serapionem in eorum numero ponere non debeamus, qui ad huiuſce cognitionis metam peruenerint, nemini non compertum eſſe exiſtimo. Hæc mecum animo volutans, diu multumq; laboraui, vt vndenã tanta huius ſcientiæ difficultas oriretur, in cognitionem adducerer: ac video tandem in ſimplicibus indagandis, tam multa conſiderari oportere, vt non amplius ſummorum virorum in hac re paucitatem admirer; ſed potius quî fieri potuerit, ut illi, etiamſi perpauci ſint, ea omnia tam perfecte callere valuerint. Cum enim innumerabilia ferè ſint medicamenta ſimplicia; non iniuria admirabilis exiſtimabitur Dioſcorides, qui omnia, vel certe bonam eorum partem cognouerit: atque ex his, quæ magis uſui medico neceſſaria ſunt, memoriæ prodiderit: ſeq; in tantis antiquorum ambagibus ita geſſerit, ut nihil ferè in eo reperiatur, quod reprehendi poſsit. neque enim ſatis ſibi nouerat eſſe, ex alijs medicaminum hiſtoriam, atque naturas habere: ſed ad natalia eorum loca acceſsit. quod quàm laborioſum ei fuerit, quiuis per ſe facilius exiſtimauerit, quàm ipſe dixerim. Scimus enim quatuor mundi partes tam uarijs cæli, terræque naturis gaudere, vt multa medicamenta in vna pulcherrime proueniant, quæ in alijs naſci nullo pacto poterunt: eumque, qui omnium vult fieri peritus, ad omnes acceſsiſſe oportere: quod ab una hominis ætate fieri poſſe, vix cogitatione cõplecti quiſquam poterit. Adde quòd poſtquam ea inuenerit, conſiderandus eſt locus, in quo priuatim hoc, uel illud medicamentum naſci conſueuit, naſcendi modus, ætates, genera, differentiæ, partium numerus, aptæ cohærentesque ſimilitudines; atque in his omnibus inſpiciendi odores, ſapores, colores, magnitudines, uetuſtates, anni conſtitutiones, ſoli uarietates, aſperitates, lenitates, adnaſcentia; quin & nominum acerui, tum in ipſis medicamentis, tum etiam in eorum partibus; & innumerabilia penè alia, quæ in hoc noſtro libello complectemur. Quæ quidem omnia neceſſe fuit, vt per ſe ſolus Dioſcorides inueniret: cum ei nullam ab alijs opem mutuari liceret. nam pauca alij ante illum de medica materia conſcripſerant; atque illa quidem ita negligenter, vt eorum ſcriptis non multum eſſet fidendum. Omitto nunc Theophraſtum, qui quanuis habeatur diligentiſsimus ſcriptor, & ſit: tamen cum

non

non multum ad medendi ſcopum eius dirigatur intentio, non pauca leuius quidem tractat, quàm rei neceſsitas (quantum ad hoc attinet) poſtulare uideatur. Non immerito igitur omnes, in primisque Galenus Dioſcoridi primas deferunt. Quanquam autem poſteros omnes multo labore leuauit Dioſcorides: relictum tamen illis eſt laboris tantum, ut per multa ſecula, nedum per multos annos, deſerta penitus, atque inculta, contemptaque cognitio ſimplicium, cum magno medicorum omnium dedecore, ac ignominia, mortaliumque maximo damno remanſerit. omnes enim deſperatione debilitati experiri eam noluerunt; quippe quam ſe aſſequi poſſe diffiderent. At cum medicina exerceri ſine ſimplicibus medicamentis neutiquam poſſet, à vulgo (ſi Dijs placet) atque ab impertiſsimis hominibus excoli cœpta eſt; quaſi vero id aſſequi ipſi poſſent, quod doctiſsimum quenque deterruerit. Verum illi, cum nihil minus quàm ſimplicia cognoſcerent, ne quam profiterentur artem minus callere exiſtimarentur; omnia miris modis, ac uarijs fallacijs, præſtigijsque verorum naturam fallaciter imitando, adulterarunt: atque hinc adumbrandorum medicaminum datam fuiſſe anſam crediderim. quod & ſi Dioſcoridis etiam, ac Galeni temporibus, ob quæſtum fiebat, longe tamen maiorem fuiſſe numerum fucatorum ſimplicium, poſtquam eorum cognitio contemni, ac deſtitui cœpit, credendum eſt: cum non ſolum quæſtus, ſed etiam inſcitiæ cauſa ineſſet: vnde ob hoc ipſum difficilior multo reddita eſt. Quam ob rem mirari deſinamus, quæ cauſa ſit paucitatis eorum, qui hanc ſcientiam, omni certaminis genere amplexi ſint; ſed potius admiremur eos, qui hanc ipſam poſt Dioſcoridis, Galenique tempora, in quodam veluti teterrimo carcere latitantem, immo & maximis fraudibus, fucisq; ſimulatam, è tenebris in lucem reuocauerint: quamque, dum tractare aggreſsi ſunt, omnem nõ modo ſuccum ac ſanguinem, ſed etiam colorem, & ſpeciem priſtinam amiſiſſe inuenerunt. inter quos primum quidem Hermolaum Barbarum, deinde Ioannem Ruellium merito ſummis laudum præconijs efferemus: cum primi omnium tam arduum laborem ſuſceperint; atque ita nobilem ſcientiam è quodam diuturno ſomno excitarunt. quemadmodum non defuere, qui eam quotidie magis, ac magis locupletarent: inter quos Leonarthus Fuchſius extat, qui eam multo cumulo auxit; ac tandem Andreas Matthiolus, qui tantæ rei cognitioni uidetur quaſi extremam manum impoſuiſſe, vt pauca admodum, quæ priſtino ſuo nitori non ſint reſtituta, deſiderari poſſe uideantur. quæ nec etiam fortaſſe deſiderarentur, ſi Lucæ Ghino Foro cornelienſi, primum quidem dum in humanis ageret, per publicas lectiones, quas magna cum exiſtimatione profitebatur; deinde hoc de-

posito onere, per mortem licuisset inchoatum opus perficere, non enim uerendum est, quin omnes ferè caligines, quæ aliorũ animos occupant, discuterentur; ac perfecta iam, omnibusque numeris absoluta simplicium cognitio esset. Verum tantum bonum nobis immatura mors inuidit: quæ & si studiosis omnibus magnam molestiam exhibuit, uni tamen mihi in primis dolorem auxit, quod magna doctorũ medicorum penuria, uir egregius, coniunctissimusque mecum studiorum omnium societate, intempestiue extinctus; & auctoritatis, & prudentiæ suæ triste mihi desiderium reliquit. At faxit saltem Deus optimus maximus, vt his, qui superstites in hanc rem omni cogitatione, curaque incumbunt, longior vita detur; quo tanti hominis obitu iacturam, horum virtute ac doctrina compensemus. Inter quos præter iam antea commemoratos alios, Gabriel Falopius Mutinensis extat, qui ex hac ipsa cognitione (vt cæterarum propemodum omnium artium studia, quibus excellet, sileam) sempiternam gloriam, ac nominis perpetuitatem est consecutus. Adde & Andream Secobiensem, & Vlyssem Aldrouandum, à quibus omnibus (si uita suppetat) quicquid ad instaurandam, perficiendamque hanc scientiam desiderari vnquam possit, expectamus. His vero omnibus (quorum opera, ac auctoritate exoptatam hanc cognitionem, ac diutius reconditam, sepositãq; in promptu habemus) cum nulla melior via se se offerret, quàm Dioscoridis viam sectari: illius descriptiones, quas simplicibus accommodat, tanquam verisimas existimarunt: illisque ducibus medicamenta indagare conati sunt: hinc enim posteriorum labor augeri incipit, nã quod Dioscorides per se prẽstitit; hi per amicos varias orbis partes incolentes, si non in omnibus, at certè in multis perficere possunt; cum varia ab eis medicamenta ipsis Dioscoridis descriptionibus comprobata transmittantur: quibus illuc penetrandi labor omnis tollitur. quod Dioscoridi contingere non potuit; quippe cui tametsi non deerant amici, defuit tamẽ auctor simplicium, in quem tanquam in speculum intuentes amici, medicamenta inuenirent, & inuenta transmitterent. Ergo cum hoc ætatis medici Dioscoridem sequentes, medicamenta dignoscere contendant; in multis quidem recte res cecidit, in multis vero non item: cum enim viderent illum negligentius de nonnullis esse locutum, minus scilicet aptas similitudines assignando, vel aliud eiusmodi; quandoque eas plantas ad eius capita redigere nõ dubitarunt, quæ cum descriptionibus ab eo propositis modicam haberent cohærentiam: sicuti contra, cum eundem Dioscoridem in quibusdã curiosius, quàm fortasse par esse videretur, notas medicamentorum perquirere inspicerent, non nũquam omnes notas, quas medica-

mentis ille aſsignat, ita ad amuſsim correſpondere voluerunt, vt multa ab eius capitibus reiecerint, quæ alioqui veriſsima ſunt: nec vlla reclamet nota, quæ ipſa eſſe non perſuadeat. neque enim facile erat agnoſcere in quibus aptiſsimas, in quibusúe minus aptas delineationes Dioſcorides tradiderit; quare neceſſe erat eos ita falli, ut alterum pro altero ſumerent: hinc effectum eſt, vt multas inter hoſce viros, & maximas contentiones oriri viderimus, quæ non modicam legentibus perturbationem, confuſionemque afferunt; omnesque multum temporis, laborisque in refutandis aliorum de ſimplicibus placitis conſumant: ac mirum profectò eſt vnam, atque eandem delineationem, æque omnibus intellectam, atque expoſitam, multas, atque illas quidem, & forma, & viribus diſcrepantes plantas ſecum trahere, quæ à diuerſis pro eadem oſtendantur. Veriſimile eſt igitur in huiuſmodi errores viros alioqui celebres incidiſſe ob iſtius cognitionis incredibilem magnitudinem, atque difficultatem: quæ quidem difficultas, velint, nolint, perſæpe cogit homines, ea medicamenta ad Dioſcoridis capita redigere, quæ minus cohærere per ſe ipſi cognoſcunt: idque non aliunde fit, niſi quia genuina videre eis nondum licuit, uel ob loci, in quo oriantur ignorationem, uel ob alia impedimenta, quæ huiuſce cognitionis difficultatem augent. quam ob rem, vtcunq; poſſunt, ea deſcriptionibus Dioſcoridis accommodant; ut, ſi non exacte, at certe propius ad illas, quo ad eius fieri poteſt, accedant. Non nunquam etiam (quo magis huius difficultatem ſcientiæ admireris) contrarium moliri coguntur; nempe ita accurate, curioſeque comparationes, aliaque, quæ ad cognoſcenda medicamenta requiruntur, penſitando; vt veras plantas tanquam falſas reijciant, ac dubij in plerisque reddantur, quæ citra controuerſiam clariſsima ſunt. Duplex igitur, hucusque difficultatis genus in hac cognitione animo intueor; vnum quidem, quod Dioſcoridem tantum fatigaſſe diximus, poſteros non item: alterum uero, quod tum poſteris, tum etiam ipſi Dioſcoridi (tametſi huic minus) non leuem laborem exhibuit. Quam ob rem noſtram hanc methodum ſcribere aggreſsi ſumus, vt rerum tractatione vtilem, ita compẽdio ac breuitate iucundam: in qua difficultates ferè omnes, quæ recentiores tantopere torquent, ac tranſuerſos agunt, proponemus: ſimul & cauſas aperiemus, quam ob rem tot præclara alioqui ingenia, in uarios errores inciderint; & (quod caput eſt) rationes, viamque oſtendemus, quibus planiſsime fiet, ut nullus poſthac locus tot, tantisque difficultatibus, atque erroribus relinquatur. Nec eſt quòd eas item expediamus, quæ Dioſcoridi negocium faceſsêre: quando ex tam operoſo labore ipſe ſe extricauerit. Verum enimuero, cum illæ, quas priore loco dixi, ex

ijs auctoribus, qui de materia medica conscripsere, ac potissimum ex Dioscoridis lectione parum diligenter perpensa, oriri soleant; dabimus nihilominus operam, ut noster hic libellus doceat, quonam pacto auctores hi legi, ac intelligi debeant: ex quo fiet, ut quiuis non indiligens lector quàm plurima per se medicamenta, nullo præeunte magistro, inueniat; inuentaque, ita perfecte agnoscat, ut præterquam quòd in eorum cognitione nunquam decipietur, aliorum placita certo, subtiliqúe iudicio ita ponderauerit, ut nullo negocio falsa improbet, ac reijciat, uera tuto approbet, atq; admittat. Quod si, ut spero, assequar, meæ huiusce cognitionis studiosos iuuandi uoluntati satisfecero: sin minus, eiusdem rei tractandæ, atque exactius scribendæ, ad commune omnium commodum rationemque, peritioribus occasionem à me oblatum iri certo scio.

BARTHOLOMEI MARANTAE VENVSINI MEDICI,

Methodi cognoſcendorum ſimplicium

LIBER PRIMVS.

Totius libri intentio, & ſcribendi occaſio. Cap. I.

IN medicamentorum hiſtoria duo neceſſario conſideranda ſunt: quorum ſi alterum relinquatur, mutila atque imperfecta hæc ſpeculatio reddetur: Primum quidem, ut naturas ac differentias ita conſideremus, ut quid cuique proprium ſit, quidúe cum alijs cõmune habeat, proponamus: Deinde quonam pacto id, quod peculiare alicui uidetur, poſſit ob aliquas cauſas interdum nõ eſſe: nam qui proprietatẽ quandam plantæ docuerit, eius formam, qua à cæteris omnibus differat, oſtendere uidetur. quæ ſi euenerit ut à quopiam non uideatur, mirũ nõ eſt, ſi alia exiſtimetur. Vtrũq; modũ in plãtis Theophraſtus cõplexus eſt; tametſi in altero magis elaborandũ ſibi eſſe putauit; alterum uarijs in locis quaſi obiter docuit: quẽ tamen ego nihilo minus neceſſarium ad exactam earum cognitionem exiſtimo. Nam cum plantarum naturam ex partibus, affectionibus, generatione, uitaque petendam eſſe dicimus, ſecundum propriam naturam eas conſideramus: hoc eſt, id tantum in illis penſitando, quod uel ſemper, uel magna ex parte habere ſolent; ſed aliud quippiam præter hæc ſciendum remanet ad perfectam earum naturam examinandam, nempe tranſmutationes ipſas. nam ſi nouero, tam internarum, quàm externarũ partium naturam, ac numerum; quodque huiuſmodi partes tribus in rebus differre ſoleant; uel ſcilicet quòd aliquibus inſint, aliquibus non inſint: uel quod ea, quæ pluribus inſunt, aliquam inter ſe habeant diſſimilitudinem, ut in colore, figura, aſperitate, lenitate, denſitate, raritate, & in omnibus tum ſaporum, tum odorum differentijs; item in

quantitate, ac numero,& multis alijs: uel quòd differunt positione, & ordine: præterea si me,quantum ad generationem pertinet,non lateat, quænam sponte, quæ semine, aut radice, quæúe auulsione,ramo, surculóue,& quæ tandem ipso trunco, lignóue minutatim conciso proueniant: & denique si in earum uita considerãda non me fugerit,quibus in locis hæc, uel illa magis gaudeat, ac quãtum proprijs locis una quæque uiuere possit. Si,inquam,hæc omnia cognouero, mutationes autem omnes non calluero:perfectam tenere scientiam dici non possum. sæpe enim usu uenire solet,ut cum caulis, uel flos, uel semen,uel tale quicquam uni alicui plantæ proueniat, quæ suapte natura talem partem sortiendo non sit, qui in prima duntaxat speculatione sit uersatus, plantam illam ut incognitam omittet. Item sunt multæ partes, quibus color candidus, figura rotunda, leuitas, raritasque, necnon sapor dulcis, odor suauis, digitalis quantitas, statutus numerus naturaliter destinatur: reperientur tamen eædem non nunquam nigro colore, aut angulosa figura,aut asperæ,aut densæ, aut amaræ, aut fœdo odore, aut quantitate dodrantali; quemadmodum & uariatam sæpe uidemus partium positionem, ut quæ ramulis nasci consueuerunt, caudice proueniant: peruertaturque nascendi ordo ramorum, frondium, cæterarumque partium: numerus etiam non respondeat:utque semel dicam, omnes ferè plantæ quibusdã affectionibus obnoxiæ sunt;quam obrem proprietatibus ijs, quibus tales sunt, nonnunquam exuuntur: est enim planta res uaria ac multiplex, inque uniuersum de ea aliquid certi pronuntiare,ualde periculosum. nam nec certam methodum inuenire potuit Theophrastus, qua earum tractationem complecteretur: quin & in ipsis definitionibus quasi titubans uidetur; seque ipsum excusat, quòd has non exquisita, arctaque ratione, sed potius nota quadam subsignandi, & formula proponat: quippe qui non ignorauerit,nullam in plantis definitionem adeo tutam esse, ut non aliqua in re discrepare posset; ut cum,uerbi gratia,maluæ naturam docere uellet, tametsi eam recte in herbarum genere collocauit; tamen, cum iustam arboris magnitudinem quandoque æquare soleat, ipsa definitio labefactari uidetur. hoc idem in multis alijs, non in magnitudine solum, sed in omnibus qualitatibus deprehenditur,ut progressu dicemus.Dioscorides illa etiam duo considerat, quanquam multo aliter: cum enim scopus suus sit,uires medicamentorum facultatesque usui medico deseruientes proponere; sciatque non posse nos eas ad usum ducere, nisi primo illa cognoscerentur; delineamẽtis quibusdam describẽda sumpsit. quod dum exequitur,differentias, partes, generationes,uitas aliaque id genus necesse fuit,consideraret, pauca tamen & ipse circa transmutationes

mutationes prælibauit;satis sibi facturum fortasse ratus, si delineationes, quæ maiori ex parte in plantis uidentur, nõ omitteret; si qua uero mutatio illis adesse posset, quia raro hoc fit, atque eandem cum plantis proportionem habet, quam cum animalibus (si ita liceat comparare) monstra ipsa;non multum curauit diligentius exequi. Vterque igitur utrunque pertractat; uterque in secunda speculatione parum diligens: sed inter se differunt, quia non eundem scopum intuentur;quã ob rem etiam diuersum habent tractandi ordinem. Theophrastus quidem & philosophis, & medicis, & agricolis, & architectis, & præstigiatoribus scribit; & si qui alij sunt, qui plantarum cognitionem profiteantur: Dioscorides tantummodo medicis. ille naturam,partes,differentias, uires, ut in admirationem ducat lectorem,contemplatur:hic eadem omnia, ut facile à posteris cognosci possint, tutoq́; usui medico adaptari. Vterque ordinem affectauit: sed ille naturæ, hic doctrinæ ordinem persecutus est,quo minore negotio quiuis hanc speculationem assequeretur. sparsim ille, ac uarijs locis plantarum descriptiones, naturas, ac uires, dissleminat: hic in unum uniuersam earum formam,atque figuram colligit, ac ueluti ob oculos cognoscendas ponit, atque exinde uires subnectit. Alter alterum copia, ubertateq́ue scribendi superat: Theophrastus Dioscoridem; quia quicquid ferè circa plantas considerari potest, ille considerat:hic intra medicinæ limites continetur. Verum superatur rursus ab hoc, quòd ille plantas solas examinandas sumpsit: hic non solum plantas, sed quicquid à metallis, cæterisq́ue fossilium generibus,necnon ab animantibus ipsa medendi ars mutuatur, unico libello perstrinxit: unde & de historia,causisq́ue plantarum librum ille inscripsit; hic de medica materia. Hanc igitur ob causam Galenus,cæteriq́ue omnes circa medicaminum examen Dioscoridi primas deferunt: quia quantum ad rem medicam pertinet, & clarius, & exactius omnibus scripsit. Quæ cum ita sint, quia secunda illa speculationis pars, quæ circa permutationes uersatur, à uiris hisce celeberrimis oscitanter quodammodo est pertractata, unde fit, ut multæ caligines, plantas cognoscere cupientibus, continuo sese offerant: laborem hunc aggredimur, in quo ea potissimum conabimur proponere, quæ ab illis prætermissa sunt: quæ uero sine ullo artificio dispersim, confuseq́ue pertractata; in ordinem adducere, ac methodo docere. Verum quia negocium nobis cum solis medicis esse uolumus, Dioscoridem magis, quàm Theophrastum sequemur, ab illo exempla ferè omnia mutuantes:ijs tantum apud Theophrastum cõsideratis,alioq́ue etiam celebres auctores, quæ eius doctrinam uel clariorem,uel uberiorem reddere poterunt.

A quibus

A quibus oriri solcant varietates in plantis, & totius libri constitutio per locos communes. Cap. II.

DIOSCORIDES igitur, dum suam de simplicibus medicamentis tractationem conficeret, summa cura, omniq́ue diligentia laborauit, non solum ut uera scriberet, sed ut ordinate omnia disponeret: hunc autem ordinem & in libris, ac capitum connexionibus, & in unoquoq; capite conseruare conatus est. verum prætermisso librorum, capitumq́ue inter se ordine, ut qui à nostro proposito declinet, nos eum, quem in quouis capite sequitur, proponemus, tanquam ad susceptum nostrum consilium maxime facientem. In singulis capitibus ille primo medicamenti nomenclaturas proponit: deinde species, siue genera recenset, si plura reperiri contingat: exinde eiusdem delineationem, ac notas describit, ut illud cognoscere ualeamus: ac tandem facultates, operationesq́ue nos docet ita, ut in duas potissimum partes eius capita partiri operæpretium sit, in prima delineationem (nam & nomina, & species in hac includimus) in secunda uires complectentes: quòd si priorem partem in duas etiam diuiseris, ut altera nomenclaturam & genera; descriptionem altera contineat: non solum non errabis, sed rem omnem clariorem feceris. Oportet igitur medicamẽtorum passiones, siue transmutationes, in hisce duabus uniuscuiusq; capitis partibus animaduertere, atque in uniuersum docere, quid in utraque parte considerandum sit: ne scilicet in medicamentis dignoscendis decipiamur. hoc uero quonam pacto legi, ac intelligi debeat, Dioscorides necessario continebit. sunt enim & ab eo (ut superius de Theophrasto diximus) definitiones, siue potius proprietates, minus proprie ascriptæ, sicuti & nomina, tum totorum, tum etiam partium non apte cohærentia, ob superius assignatam rationem. Primum igitur primam capitum partem exponere tentabimus, ut scilicet sciamus, quomodo nomina accipienda sint; ac quæ propria quæúe impropria sint, similiter & genera, an uera sint, & an plura, paucioráue reperiri possint: Deinde ad secundam partem accedemus, in qua quicquid circa delineationes considerari potest, animaduertemus; uarietatesq́ue omnes, quæ uel ob medicamenta ipsa, uel ob Dioscoridis lectionem non probe consideratam fieri possunt, aperiemus: Ac tandem secundam partem Dioscoridis capitum aggrediẽtes, ubi facultates, ac uires medicaminum explicat, nihil omittere conabimur, quod ad uerã, perfectamq́ue eorum cognitionem facere existimabimus: ac nequid uel superfluere, uel deficere in hac methodo uideatur; sic uniuersum librum

librum conſtituere libuit. Varietas in medicamentis,ob quam decoptio euenire poteſt,circa eorum cognitionem, eſt primo ratione nomenclaturæ, ſecundo ratione numeri, tertio ratione delineationis, quarto ratione facultatum. Si igitur ratione nomenclaturæ ſit, duplex eſſe poteſt; uel in medicaminum generibus,quia ſcilicet æquiuocationes, & multiplicitates medicamentorum multæ ſunt; necnon quòd multa medicamentorum nomina occultentur; uel in eorundem partibus, quarum multa ſunt nomina, ut radix, caulis, folium, flos,ſemẽ, fructus; item uiticulæ, ſarmenta, racemi, corymbi, capreoli, & alia
10 id genus. Quòd ſi ratione numeri diuerſitas contigerit, dupliciter & hæc eſt: nam uel in medicaminum generibus,quòd ſcilicet plura,uel pauciora reperiantur, quàm ſint à Dioſcoride propoſita; credatque quiſpiam omnia medicamentorum genera Dioſcoridem nouiſſe; ſi itẽ non conſideretur Dioſcoridis mos in medicamentis genere diſtinguendis: vel erit in eorundem partibus, ut in frondium,ſeminum,cau lium, aliarumque partium numero: circa hæc duo uerſabitur primus noſtræ methodi liber. At uero ſi ratione delineationis uarietas euenerit;erit uel quia medicamenta non accõmodantur deſcriptionibus;uel contra,quod deſcriptiones non accõmodantur medicamentis.
20 Medicamenta quidem repugnare uidentur deſcriptionibus à Dioſcoride propoſitis ob mutatam faciem: quod pluribus modis accidere poteſt: primo ratione ſui ipſius, ſecundo ratione cæli, tertio ratione ſoli, quarto ratione cultus. ſui quidem ipſius ratione tripliciter eſt; nam uel ratione ſubſtantiæ,quæ conſideratur in omnibus partibus medicamenti; ut ſi accidat non nunquam aliquam partem in planta deficere,uel ſuperaddi: uel ratione ætatis medicamenti, quæ eſt in eius pueritia, adoleſcentia, marcore; uel ratione ſenectutis,quæ duplicem etiam habet conſiderationem: unam quidem antequam à terra euellatur planta: alteram poſtquam lecta eſt. ſin autem uarietas fiat ratio
30 ne cæli, erit hæc ob annorum uarias conſtitutiones, ut cum annus quandoque clementior, quandoque horridior eſt. at ſi euenerit ratione ſoli, dupliciter eſſe poteſt; uel ob regiones, quæ ſunt frigidiores,calidioresúe, ſicciores, aut humidiores debito: uel ob loca particularia, quæ poſſunt eſſe rigidiora, amœnioráue,quàm illi medicamẽto conueniant. verum quòd ad ſydera referre non debeamus plantarum alterationes,niſi ex acccidenti,Theophraſtus docet VI. de cauſis. cap. XI. Ratione uero cultus, duplex etiam eſt uarietas; uel cum cultus, qui adeſſe deberet,negligatur; uel cum ijs, quæ illum non expoſcunt fiat: nam cum fit quidem cui debetur, ſed nimis curioſe, ad hoc ſecundum membrum referimus. Hæc omnia in eo capite includuntur,

includuntur, cum medicamenta non consentiunt descriptionibus : Sed cum delineationes non accommodantur medicamentis, quadrupliciter euenit: primo, cum non apta fit medicamentorum comparatio: secundo, cum multæ notæ in delineatione reliquuntur : tertio, cum nullo pacto delineantur: quarto, ratione deprauati codicis; ut cum quicquam in contextu adfuerit, quod ueram historiam uariet, tum quantum ad nomen, tum etiam quantum ad notas medicamentis attributas. ex his omnibus conflabitur secundus liber. Potest (ut diximus) & ratione facultatum deceptio euenire: circa quam speculationem tertius liber uersabitur, qui nostræ tractationis ultimus existet : in qua quidem re, quæ prælibari debeant, cum tertium librum aggrediemur (ut clarior doctrina sit) abunde explicabimus.

PRIMVS LIBER.

- Varietas in medicamentis, ob quam deceptio cuenire pōt circa eorum cognitionē est, vel
  - Ratione nomēclaturæ, quæ est
    - In medicamentorū generibus
      - Ob æquiuocationes, & multiplicitatem medicamentorum
    - In medicamētorū partibus
      - Quod multa medicaminum nomina occultentur
  - Ratione numeri
    - In medicamēto rū generib. vel ſpeciebus, quod reperiātur, vel
      - Plura
      - Pauciora
      - Quàm à Dioſcoride ponātur
    - In Medicamēto rū partibus, vt ſunt
      - Folia
      - Flores
      - Radices, &c.

SECVNDVS LIBER.

  - Ratione delineationis, uel quia
    - Medicamēta nō accōmodantur deſcriptionibus obmutatā faciē q̄ eſſe poteſt, vel
      - Ratione ſui ipſius
        - Rōe ſubſtantiæ
          - Pueritia
          - Adoleſcentia
          - Marcore
        - Rōe ætatis, vt in
        - Rōe ſenectutis vel
          - Antequā à terra euellatur
          - Poſtquā lecta eſt
      - Ratione cæli
        - Ob anni conſtitutiones
      - Ratione ſoli includuntur
        - Regiones
        - Loca particularia
      - Ratione cultus qui vel
        - Negligatur
        - Nimis curiose fiat
    - Deſcriptiōes nō accommodātur medicamentis, quia minus aptæ ſint, quadrupliciter
      - Cum non ſit apta medicamentorum comparatio
      - Cum multæ notæ in delineatione relinquuntur
      - Cum nullo pacto delineatur
      - Ratione deprauati codicis

TERTIVS LIBER.

Ratione facultatum, de qua re in tertio libro.

Varietatum in plantis genera & numerus. *Cap.* III.

QVOT vero, quæue sint uarietates, siue transmutationes, quæ plantis euenire possunt, antequam ad alia transeamus, necesse est dicere: neque enim satis est scire, à quibus fieri soleant. hæc igitur tot sunt, quot proprietatum, siue signorum genera illis à Dioscoride, cęterisque, qui herbas describunt, attribuuntur. quot enim secundum naturam illis notæ adaptantur, totidem etiam præter naturam sint necesse est: cum unaquęque possit ob aliquam causam ex his, quæ præcedente capite enumerauimus, à propria natura recedere. Primo igitur hæ proponendæ sunt, atque ad uniuersalia quædam capita ducendæ; quod ut fiat, rursus Dioscoridis capitum partitio in memoriam reuocanda est. Diximus eius capita in tres partes diuidi, quarum prima, nomina & genera; secunda, delineationem; tertia, facultates continebat. ergo in nominibus eorum proprietas & simplicitas consideratur: hæc autem est in medicamentorum tum generibus, tum speciebus, atque his vel vniuersis, uel eorum partibus, cum scilicet hæc omnia suis nominibus nominantur, non autem alienis, atque improprijs, vt quod vere arbor est, arbor vocitetur; sic de fruticibus, herbis, alijsque generibus; sic etiam & circa species, in quibus non solum proprietas consideranda est, vt scilicet sibi appositis nominibus nuncupemus, sed etiam uniuocatio; nempe vt perpetuo vnum nomen, si fieri potest, vni plantæ imponamus, non pluribus. Idem in partibus medicaminum considerandum est: nam quod semen est, semen appellandum; fructusque fructus nomine donandus; sic de caulibus, radicibus cæterisque partibus. hæc in nominibus obseruanda sunt: in speciebus vero potissimum numerum consideramus; qui est vel determinatus, vt cum dicimus alicuius plantæ duas esse species, vel tres, vel quatuor; vel indefinitus, ut si plura esse alicuius medicamenti genera dicamus. At vero in descriptionibus longe plura animaduertēda sunt: delineat enim Dioscorides plantas per substantiam, per quantitatem; atq; hanc tum continuam, tum discretam; continua, est magnitudo & paruitas: atque vtraque vel definita, vt cum inquit dodrantalem, vel cubitalem esse plantam aliquam; vel eius partem, ut radicem digitalem, caulem baculi crassitudine: vel indefinita, vt cum arborem magnam, fruticem exiguum; atque in partibus, radicem, caulemue tenuem, aut crassum, folium amplum, aut paruum describit. Discreta versatur in numero, qui & ipse determinatus est, & indeterminatus. nam cum dicimus herbam aliquam vnicaulem esse, aliquam folia habere tria, aut quatuor:

quatuor: alicui flores per singulos exortus in caule ternos, aut quaternos ineſſe; determinatum numerum ſtatuimus; ſicuti cum aliquam dicimus radicibus, aut ramulis, aut caulibus, aut ſolijs niti multis, vel numeroſis; fruticem eſſe racemoſum, ramoſum, ſurculoſum; indetermi natum numerum conficimus. Eſt & circa delineationes qualitas: quę eſt viſilis, odorabilis, guſtabilis, tactilis; atque hæ etiam vel definitæ ſunt; vt cum inquit, cuiuſdam plantæ folia erucam olere trita; guſtata porcicer recens ſapere: ſicuti & cum quibuſdam folia candida, flores purpureos, vinoſum odorem aſsignat: vel indefinitę, vt cum herbas floribus varijs, uel odoratis, ſolijs graui odoratu depingit. Ad qualitatem etiam refertur figura: quæ eſt rotunda, anguloſa, oblonga, &c. ad hanc referas etiam alas, concauitates, eminentias, & id genus alia. ſimilitudo etiam qualitatis eſt; erit autem vel cum vna re, vel cum duabus vel cum pluribus, atque his vel animatis, vel inanimatis. Conſideratur & ſitus in deſcriptionibus, vt cum quaſdã herbas ſemina ſub ſolijs habere, quaſdam ſuper ſolijs docet; ſicuti & quaſdam florem in cacumine, alias ſemen ſummis in caulibus poſsidere, alias folia humi ſparſa, quaſdam fructum caudice proferre, aut radices, quæ ſummo ceſpite nitantur, & conſimilia. Ordo pręterea in delineationibus inſeritur: qui uel confuſus eſt, vt cùm cuidam plantę inquit ſemen circa totos ramulos prouenire; ſimiliter cum alicui ramos inconditos tribuit, quemadmodum robori Theophraſtus & abieti ordinatos: Vel explicatus, ut cum quaſdam folia habere ſtatuit, quæ caulem per interualla cingunt; alias per interualla orbiculato foliorum ambitu. Ponitur & in deſcriptionibus tempus, ut cum inquit aliquam plantam ęſtate, vel vere florere, vel ſemen proferre; atque hoc determinatum eſt: indeterminatum uero, cum arbores biferas, vel triferas eſſe dicit. Locus pręterea & regio: vt cum inquit hanc uel illam plantam oriri in Illyria, in Agaria; item in petroſis, in lacuſtribus, in montibus, in campeſtribus. Hæc quidem omnia proprietatum genera deſcriptionibus adaptari ſolent: quorum numero ex aduerſo reſpondent præter naturam ſigna. nam quot ſecundum naturam erant, totidem & pręter naturam eſſe neceſſario concluſimus; vtque hęc inueniremus, ab illis incępimus. quam, ob rem, ut numerum tranſmutationum, quę plantis euenire poſſunt ſciamus; vnicuiq; proprietati ſecundum naturam, alteram pręter naturam opponemus, à nominibus incipientes, in quibus & proprietatem, & uniuocationem conſiderari diximus: ergo & improprietas, & ęquiuocatio in his mutationem efficient: vt in generibus, ſi quod arbor eſt, fruticẽ appellet Dioſcorides, & contra: vel ſi herbam pro frutice, vel ſuffrutice ſumat; aut hos pro herba: Idem in partibus, ut cum

ſemen

semen fructum appellat,& contra; cum etiam ramum pro surculo,aut sarmenta pro uiticulis,& alia id genus accipit. Circa species eadem cõ sideratio est; & præter hanc æquiuocatio: vt cum unicum nomen plu ribus plantis imponitur. hęc igitur circa nomina. Circa species uero variatio est in numero determinato,si plura quàm septem tithymalorum genera reperiantur, uel pauciora; item si ranunculi plura uel pauciora,quàm quatuor; anagallidis uel tria,vel quatuor,uel plura: In indeterminato nulla certa obseruatio est. Verum circa delineationes variatio uel erit in substantia, cum scilicet aliqua pars in planta non adsit, quæ esse deberet, vel aliquid præter naturæ normam adnascatur, uel commutatio aliqua ita effecta sit, ut & formam pristinam amittat, & in diuersam substantiam transitus factus sit; aut aliquid tale eueniat: Vel erit in quantitate, & in hac, Primo continua determinata; ut si contingat pityusam infra cubiti altitudinem assurgere. myosotidis radicem, & chamæleonis nigri caulem, digitalem crassitudinem uel non æquare,vel superare. Secundo in eadem quantitate,sed indetermi nata; ut si reperiamus cedrum arborem magnam non esse: agnum exiguum potius esse fruticem,quàm ut in arboris iustam mensuram ascẽdisse dicamus: stratiotem millefolium exiguum fruticem non esse, sed potius magnum: alteram cyclaminum caule esse tenui: centaurium minus radice crassa. Tertio in quantitate discreta definita, si inueniamus alysson pluribus pollere caulibus; phyllitim dena aut duodena habere folia. Quarto in indefinita, vt si asarum non numerosis niti radicibus,marrubium non esse ab radice ramosum videamus. Erit & circa easdem delineationes variatio in qualitate, ut si plantæ non habeant odorem, saporem, colorem, hirsutiem, leuitatem, quę à Dioscoride illis tribuuntur. sicuti si non eam seruent figuram, quam ille describit, vel vniuersæ, uel eorum partes: ut si Apios radicem habeat nõ in formam pyri, sed longiorem: in similitudine, si non exacte,atque ad amussim respondeat iis rebus, quibus cum facta est; siue sint plantæ, siue animalia, siue inanimatæ res: In situ erit varietas, ut si quando semẽ, vel fructus, qui in cacumine oriri debebat, in caudice,uel ramulis proueniat: item si quæ pediculum possidere debuissent, illo careãt: si uideamus pinum,aut loton non in cacumine ramosas esse,sed caudice quod suæ naturę repugnat,vt auctor est Plin. & similia: in ordine vero si non seruetur is, qui ab auctore proponitur: vt si marrubium semen proferat non ex interuallis, sed per totum caulem confusum. echium flores proferat non secundum folia, sed in quauis caulis parte. Tempus sic variari potest, ut si planta uere flores emittat, quos ęstatis tempore emittere deberet; arbor pręcoces fructus habeat,qui serotini esse

esse soleant. Locus etiam uariationem hoc pacto suscipit, ut si alijs locis,uel regionibus à Dioscoride attributis, inueniamus medicamenta: vt si quæ in Agaria ille nasci dicat,nos in Italia repererimus. item quæ in lacubus,aut stagnantibus, nos in montibus inueniamus, & contra. Trãsmutationum igitur genera tot ferè sunt: quæ accidere sæpius solent, vel ob ætatem, uel senectutem, uel ob anni uarias constitutiones, uel ob cultum, uel ob alia,quæ superiori capite enumerauimus. Omnes autem prẹter naturam sunt: quas ad summum ita distinxeris (ut ex Theophrasto uarijs locis colligitur) aut enim sponte fiunt, aut causa extrinsecus occurrente: quę sponte sunt, multas habent causas, ut solum, cœlum, & nonnulla alia: exterior uero causa esse solet operosus cultus, & id omne,quod in morbos arbores ipsas,plantasque ducere possunt; ut vulnera, plagę, aliæque omnes id genus uiolentæ affectiones: item omnia alia,quorum ratione uel scabies,uel radicatio,uel syderatio, uel uermiculatio, uel sphacelismus, vel quæ particulatim quibusdam euenire solent, ut oleæ impetigo, ficui glabratio, viti roratio, & articulatio: vel alius morbus, qui nomine careat: quanquam hi & secundum naturam etiam nonnunquam esse possunt; fiunt nanq; propter corruptionem: quam & secundum naturam, & præter naturam fieri posse omnes fatentur. Morbos autem ideo secundum naturam aliquando esse dicimus: quia huic, uel illi plantæ,uel semper, uel sæpenumero accidant: nonnullos autem ex causa exteriori; quia aut æstibus maximis, aut frigoribus modum excedentibus, aut imbribus, squáloribus, uel grandine eueniunt: nam intrinsecam causam,alimẽti copiã, uel inopiam; uel qualitatem deficientem, superexcedentemúe Theophrastus constituit.

Quod ex nominibus aliquam naturam in medicamentis significantibus in multorum simplicium cognitionem uenire possumus. Cap. IIII.

INSCRIPSIMVS librum hunc de medicamentorum cognitione: quia reuera tam de plantis, quàm de metallicis,quàm etiam de his medicamentis, quæ ab animalibus mutuantur, pertractabit: duo tamen priores libri de solis ferè plãtis agẽt, uix paucis interiectis alterius generis medicamentis: pauca enim ex tã multis, quæ hic liber complectetur,ad alia medicamina, præter plantas accommodari possunt, ætas enim, regio, locus, cęlum, & alia id genus, non ita in metallicis, animantibusque formam uariare possunt, quemadmodum & in plantis. Libuit hoc lectorem admonuisse; ne,dum priores duos libros percurrit, titulum damnet: nam tertius liber multa de metallicis, ac animantium

mantium partibus (quanquam neque plantas omittet) locuturus est. Agemus hoc capite de ijs diuersitatibus plantarum, quæ ratione nomenclaturæ illis euenire solent: has autem & in medicamentorum generibus, & in eorunden partibus euenire posse proposuimus. Genera autem in plantis duobus modis accipiuntur: nam vel sunt pauca illa,ad quæ omnes stirpes deduci possunt, vt arbor, frutex, suffrutex, herba: vel quæ sub his continentur, vt Iris, Cinnamomum, Asarum &c. quæ cum proprie species dicendæ essent, genera tamen ab auctoribus appellari solent: ut cum tithymalorum septem genera,ranunculi quatuor esse constituũt. Verum, cum ingeneribus secundo modo sumptis, & proprietatem, &improprietatem considerare possimus (nam in prima generum significatione sola improprietas simplicium occultationem efficit) nos à nominum proprietate auspicabimur, regulas proponentes; quibus multa simplicia alioqui occulta manifestentur. Quęsitum est igitur apud philosophos φύσει τὰ ὀνόματα, ἢ θέσει, hoc est naturáne sint nomina, an positione. In qua quidem re, Aristoteles eius fuit sententiæ, vt arbitraria, atque à primis impositoribus fortuito,& (ut isti loquũtur) ad placitum illa esse diceret. Plato oppositam sententiam tutatus est; multasque Nigidius eum secutus, rationes ad id probandum in medium affert. Nos tantorum virorum controuersiã dirimere non audemus:vel si possemus,non esse eius iudicandæ locum cognoscimus. Scimus multa nomina nullam sortiri, vnde sic dicantur,significationem, non solum in medicamentis ipsis, verum in vniuersa etiam medicina. quod facile quis vel in ipsis morbis inueniat: quanquam Galenus. 2.methodi multas nominum naturas explicat. Verum multa simplicium nomina nullum habent etymon, vt Iberis, Ammi, & multa alia: contra vero quamplurima sunt, quorum nomen vim quandam et rationẽ naturæ exprimit:quæ non casu imposita fuisse apparet; sed vel eius facultatem, vel inuentoris primi nomẽ, uel locum, vel quædam alia, quæ mox subiungemus, exprimunt. Ab eius enim inuentore nomẽ traxit Teucrium: Teucer enim Aiacis frater eam primo hominibus ostendit.Achillea Syderitis ab Achille & inuenta, & cognominata est, sicuti Meon Athamanticũ ab Athamante: Circæa à Circe venefica: Artemisia à regis Mausoli vxore, cui Artemisię nomen erat: Alcibiadion Anchusa ab Alcibiade Athenienſium principe: Eupatoriũ ab Eupatore rege; & aliæ multæ. A fabulis etiã antiquitas nomen plantis indidit, vt Helenio,quæ (ut Plin. asserit) è lachrymis Helenæ nata creditur: Amaracum à puero qui in herbam sui nominis trãsformatus est: Libanotis, à Libanotide puero in talem plantam mutato, ita & de Narcisso, Hyacinthoque,& croco;quorum

fabulæ

fabulæ uulgatiſsimæ ſunt. A facultate vero eorum multa nomina habentur, vt ἄγνος, ideſt caſtus; quoniam (vt inquit Dioſc.) matronæ in Theſmophorijs Athenienſium, caſtitatem cuſtodientes, folijs huius cubitus ſibi ſternũt. Pardalianches, quia pardos enecat. Κυνόῤῥοδον, quod canis rabidi morſibus auxilio ſit. Aegylops, quia oculorum ægylopas ſanat. Althæa ab ἀλθαίνω, quod eſt mederi, quia (vt inquit Dioſc.) inter primas ſit vtilis & pluribus polleat remedijs. Onagra, quod animaliũ ferocitatem domet. Fumariam ita uocari teſtatur Dioſc. quod dolachrymationẽ faciat; in hoc enim fumi effectum reddit. Ariſtolochia, quia puerperis opitulatur, vt Dioſc. non vt Plinius, quod grauidis opẽ ferat. A regione, vt nardus Celtica, malus Punica, malus Medica, Lycium, Perſea, quia in hiſce regionibus uel primum inuentæ ſint, vel copioſius, ac viribus præſtantiores proueniant. A loco, vt nardus Indica, & Syriaca, quia montis, in quo oriuntur, pars altera ad Indos, altera ad Syrios flectitur; non, vt quidã, quod in India, vel in Syria oriantur: ex quibus locis, non recte Dioſcoridis verba intuentes, nardum ad nos ferri exiſtimant. Nymphæa, quia in aquis ſemper proueniat; petroſelinon, quia in petris; hydroſelinon, quod in aquis degant. Alſine, quia lucis opacisque gaudeat. Potamogeton nomen habet (inquit Dioſc.) quod in lacuſtribus, & in aquoſis locis naſcitur. ποταμὸς enim fluuium ſignificat. A ſimilitudine cum multis rebus facta, ut cũ animalibus, quòd ſcilicet una plantæ pars, uel ipſa uniuerſa alicui animali ſit ſimilis, vt polypodion, quod eius radix polyporum cirros æmuletur. Antirrhinon, quod eius ſemen uituli ῥῖνες, ideſt nares, repreſentet. Pſyllium, quod eius ſemen pulicum figuram retineat. Ricinus ex eo nomen traxit, quod eius ſemen ricino animali perſimile ſit. Ita & ſcorpioides, non ſolum quia ſcorpionum ictibus præſentaneo eſt remedio; ſed quia eius ſemen eſt caudæ ſcorpionis effigie. A ſimilitudine cum alijs medicamentis, vel quòd uniuerſa, uel quòd eorum pars alia æmuletur; atq; illa uel uniuerſa, uel illorum partem. ſic Chamædrys, quaſi humilem quercum dixeris, denominationem habet, quia eius folia quercus folijs ſimilia ſunt. Sic chamæpitys, quæ humilem pinum ſonat, quia pinus odorem refert, vel quia etiam iam iã è terra erumpentem pinum æmuletur. Sic chamædaphne, ſic & daphnoides, quia utraque folijs lauri conſtat. Hæc enim, & quædam alia his ſimilia nomina propriam denominationem habere videntur; ſed & alia eiuſmodi ſunt, quæ quam volunt naturam valde improprie exprimunt, ut chamæſyce, cum nihil habeat cum ficu commune, niſi lac: humilis tamen ficus appellata eſt. Sic & chamæciſſos, quæ humilem hederam notat, & tamen non vltra dodrantem ramulos profert.

eiusmodi etiam esse quis dicere posset Chamæpytin: quis enim non videt quanta sit inter hanc, & pinum distantia? A similitudine eorum, quæ arte fabricata sunt, ut Clinopodion ita dictum est; quod eius flores lecti pedum speciem præbent: securidaca; quia eius semen ancipitem securim æmulatur: Cotyledon, quia vas testaceum sic dictum repræsentet: Lonchitis, quòd eius semen lanceæ simile sit. A medicamenti, vel eius partis figura; vt millefolium à foliorum multitudine: trifolium, à terno foliorum exortu: Pentaphyllon, à quinario processu foliorum: Oxyacantha à spinarum acutie. A similitudine variarũ rerum, ut Iris, à cæleſtis arcus imagine: Androsæmon, à sanguineo suc co, quem habet: Cytini, à tumore: & multa alia, quæ passim in Dioscoride leguntur. A similitudine, quam habent cum duobus medicamentis insimul, vt pissasphalton, scorodoprasson, sycomoron: quòd prima picem, & bitumen æmuletur: secunda, quòd allij, & porri tum formam, tum facultatem mixtam habeat: tertia, quòd ficus & mori mediam speciem sortita sit. Ab odore, ut odoratus iuncus, calamus odoratus. A colore, ut Leucas, quia candida sit, chamæleõ, à diuersitate colorum in folijs. A sapore, ut γλυκύῤῥιζα, ideſt dulcis radix; Oxalis ab aciditate. Ab accidente quodam, ut Amylum inquit Dioscorides dici quia sine mola fiat. Galion, quod lactis coaguli uicem impleat. A quadam peculiari proprietate, ut adianton, ab à & δίαίνω, quòd non madefiat aquis immersum. Heliotropiõ, & Helioscopios Tithymalus, quia cum sole circumagantur. Sunt & alia, quæ causa fuere cur medicamenta hanc, uel illam denominationem habuerint, quæ nos consulto prætermittimus: quia partim ex Dioscoride, partim etiam ab aliis materię medicæ professoribus colligi, & animaduerti possunt. Hæc igitur nomina, quæ aliquid significant, multum conferunt ad simplicium dignotionem (ad hunc enim finem de his locuti sumus) quandoquidem cum inueniemus in planta id, quod à nomine explicatur; certiores reddimur illam esse, quæ describitur: vt si inueniamus herbam, quæ aquis immersa non madescat; cæteris notis non reclamantibus, adianton esse, quasi infallibilis persuasio nobis accedit. Quòd si nomẽ planta retineat, quod aliquid significet, atque in eius delineatione omittatur: nostrum erit diligẽter quærere, an nota illa ex nomine sumpta, plantæ adesse debeat: vt in aspera lonchitide euenit, ex cuius descriptione apud Dioscoridem non colligitur eam debere esse acumina tam; quia parce illam delineat. vnde effectum est, ut multi multa de illa senserint; multiq́ue eam se cognouisse falsi sint, qui tamen à veritate longius aberrarunt: hi si nominis proprietatem inspexissent, non ita temere de illa pronuntiassent, in illis enim quas ostendebant, nulla

lanceæ

lanceæ ſimilitudo ſumi poterat neque ex ſemine, neque ex folio, neq; ex radice; ergo alia illis quærenda erat: ſicuti excellentiſsimus Lucas Ghinus præceptor meus, cum nulla ex his, quæ oſtendebantur, illi plane ſatisfaceret: tandiu quęſiuit, donec illam adinuenit, Dioſcoridis deſcriptioni & nomini ex omni parte conuenientem. nam præter id quod habet folia longe magis diuiſa, & aſperiora folijs ſcolopendrii; eius extremitas ita dura, & acuminata eſt; vt lanceæ ſpeciem præbeat. hanc in doctiſsimis ſuis commentarijs nõ depinxit Andreas Matthiolus; ſed aliam: quam neſcio quo pacto à Luca Ghino pro lonchitide ad ſe miſſam falſo aſſerit. Botrys quod racemoſum proferat fructum, nomen declarat, licet in delineatione omittatur: nam ob eandem cauſam eadem ambroſia appellatur; quod eſt alterius plantæ nomen, quæ cauliculos habet ſeminibus, perinde quaſi racemulis, grauidos, ita & botrys; quod & planta ipſa oſtendit. Halimus quod ſalſum habeat ſaporem nomen indicat: dicitur nanque ἀπὸ τῦ ἁλὸς ideſt ſale (neque enim cum Solino conſentimus, qui ſine aſpiratione ſcribit, diciq́; tradit, quod ea admorſa fames arceatur) à quo etiam nomen in Apulia ſortitur, vbi Salſolla dicitur: ex qua & faſciculos componunt ruſtici, venduntque pro aſinorum pabulo. De ſalſo tamen ſapore nihil habemus in Dioſcoridis deſcriptione: ex nomine igitur aliam notam non leuis momenti elicimus, quam & Galenus expreſsit. Pari paſſu ex Leucacanthæ nomine, talem plantam candicantem eſſe & aculeatam, non abſque ratione quiſpiam coniectari poterit: quæ duæ notæ in eius cognitionem fortaſſe ducent; etiamſi in eius delineatione nulla earum mentio exiſtat. Lagopum non deſcribit Dioſcorides, ſed ex nomine optima coniectura exiſtimanda eſt Fuchſij, qui trifolij ſpeciem quandam pro ea depingit; cuius flores multam cum leporinis pedibus ſimilitudinem retinent. Myrrhida ſuſpicatur Marcellus ita appellari, ob odorem myrrhæ ſimilem: cui & adſtipulari uidetur Dioſc. illam odoratam ſtatuens: hoc vero ſi ita ſit, non parum iuuabit ad eius cognitionem hæc nota. multas alias per ſe ipſum lector apud Dioſcoridem animaduertat licebit. At uero circa hæc nomina ſimplicia nonnullas regulas conſideremus neceſſe eſt. quod ut fiat, omnia rurſus capita percurrenda ſunt: in quibus quidem adnotandum eſt, quæ medicamenta primorum impoſitorum nomina ſortita ſunt, uel quæ à fabulis deducuntur, nunquam, aut raro admodũ, alicuius ſimplicis notam aliquã exprimere; niſi cum quis nulla motus ratione probis auctoribus aperte contradicere audeat, ut quendam feciſſe uidemus, in clariſsimorum medicorum cœtu inter primos nõ immerito habitum, qui ceſtia na mala eſſe arancia vulgo appellata contendit, cum hæc à Ceſtio, non

secus ac ab Appio Appiana, dicta fuisse Plinius asserat, atq; inter eiusdem generis poma recensenda existimet: atque cuiuis constet, apud Dioscoridem medica mala illa appellari; sicuti & Plinio etiam assyria. quorum inuentio nullo pacto Cestio tribuitur. Quæ uero à facultate nomen retinent, item quæ à regione, uel loco, possunt quidē multorum cognoscendorum nobis ansam præbere: quemadmodum & quæ à similitudine deducuntur, siue hæc sit cum alijs plantis, earumue partibus, siue cum duobus insimul medicamentis, siue cum animalibus, vel eorum particulis: siue etiam cum his quæ arte facta sunt, siue ab eorum ipsorum forma; nec minus quæ ab odore, sapore, colore, aut à proprietate quadam. omnia etenim huiusmodi nomina, ut multas plantas alioqui ignotas dignoscamus, nobis adiumento esse possunt. sed quædam in his animaduertenda sunt, aliter in errores incidere poterimus; vt multi, quanquam doctissimi, inciderunt. In vniuersum igitur primo hoc sit præceptum, vt si ex nomine alicuius plantæ notam detegimus, quæ aliter non exprimebatur: plantam illam uerā esse existimare debemus, dummodo alia signa nō repugnent. stultum enim fuerit existimare unicam notam per coniecturam habitam plus pollere in cognoscendo medicamine, quàm multas alias ex auctoris delineatione acceptas: hoc nanque neque in his, quę à scriptoris historia sumuntur, vllo pacto conceditur (neque enim quod duæ, uel tres, notæ cuiquam plantæ respondeant, cæteræ non respondeant, iam pro uera illam acceptamus) tantum abest, vt eas ualere concedamus, quæ ex nomine non nisi adumbrato, quodā modo signa nobis manifestant. Sed sunt, qui coniecturam certitudini præponentes, multa absurda ex nominum præsertim conuenientia scriptis reliquerint. vt qui secundum Tragij genus à Dioscoride depicti, hircinam saxifragiam vulgo dictam esse contendunt: quia redolet hæc quidem hircum, quæ nota cum nomine consentit, & cum Dioscoride, qui hunc odorem expressit. sed cum folia non sint scolopendriæ, sed potius apij: quin immo cum uirus illud perpetuo adsit in saxifragia non in autumno solum, vt Dioscor. docet, cum etiam (quod maximi est momenti) facultates ex omni parte oppositæ sint; quantum ex nomine sumpta coniectura ualere debeat, cuique manifestum esse poterit. Eodem pacto qui terrestrem hederam, vulgatam chamæcisson Dioscoridis esse autumant ob nominis conuenientiam, reprehendi minime possent (non enim absq; ratione sic coniectant) si alia eius plantæ indicia conuenirent. Verum neque magnitudo, neque folia, neque flores (meo iudicio) correspondent: & quanquam conantur, folia descriptioni accommodare contextum emendantes; adhuc tamen alia desiderantur, ut inferius suo

loco

loco clarius dicetur. Qui præterea Plinij piſtolochiam, hoc eſt ariſtolochiæ quartum genus, eam plantam eſſe exiſtimant, qua paſsim in Germania pro rotunda ariſtolochia utuntur, nihil (ſi recte ſentio) habent, cui innitantur præter nominum concurſum: quandoquidem, hæc noſtris temporibus, quemadmodum & Plinij, inter ariſtolochiarum ſpecies recenſetur. Sed Plinius per capillamenta, denſitatem, ac multitudinem radicum expreſsit; craſsitiem per ea quæ ſubiunxit, iuncipleniorisCraſsitudine: quæ denotãt vniuerſam radicem eſſe huiuſmodi; non quod ex tuberoſa radice capillamenta tam tenuia adnata (nam ne tenuiſsimum quidem iuncum æquãt, ne dum pleniorẽ) propendeant. Huc accedit, quod ſi inter ariſtolochiarum ſpecies recenſeri debeat, aliquid cum illis commune habere debuiſſet: ſed nihil video præter radicem rotundæ ariſtolochiæ ſimilem: at piſtolochiæ radicem aliter Plinius delineat, uti prædiximus; ac per hoc eam excludit. Sed nos ueram piſtolochiam in Neapolitano tractu adinuenimus, à Plinij hiſtoria nihil uariantem; quæ & folia habet hederæ acuminatiora & duriora: fructum, pyri effigie, florem, ut longa ariſtolochia, ex nigro luteum: radices ex uno ceſpite complures phu ſimiles, longiores tamen, & paulo craſsiores; medicatum odorem, atque illum quidem potentiſsimum redolentes. Poſſem huc multos alios errores quorundam referre: ſed ſatis ex his alij conſiderari poſſunt. Secũdum præceptum erit, ut hanc coniecturam non ex quouis loco, atque quouis modo acceptam, ad noſtrum propoſitum ducamus; ſed eam ſolam quæ aliquid certi nobis proponere poteſt: huiuſmodi ſunt, quæ ob nominis affinitatem, quam habent uel cum græcis, vel cum latinis, vel cum aliarum linguarum appellationibus, ſolam ac meram coniecturam nobis exhibent, nulli certitudini innitentem: vt exempli gratia, cum quidam, in re medica longe clariſsimi, ſuſpicantur per vacinia Vergilium rubi mora intelligere, quia Græcis *βάτινα* hæc dicantur. ſimiliter cum neſcio quis vult, empetron herbam, illam eſſe quæ fœniculus marinus vulgo appellatur, quod eandem herbam ſancti Petri vulgus appellet, quaſi corrupte empetrum, in ſampetrum ſit mutatum: non aduertens, nihil cæteris notis conuenire. neque enim deiiciendi uim habet: ſed omnium conſenſu illa crithmum eſt. Damnabitur etiam, qui herbam gattam uulgo dictam, quia à nonnullis in Gallia ciſalpina nepeta dicitur, ueram nepetam credit: hoc eſt calaminthæ ſecundum genus: cum nihil præter nomen ſimile habeat: & habeamus aliam plantam nemini non cognitam, quæ non ſolum nomen in uniuerſa ferè Italia retinet, ſed forma (quod caput eſt) penitus conſentit. In eundem errorem incidit, qui cum pſeudomelan-

thium gittone uulgo appellari in eadem Gallia uideat, uerum Gith existimat, nihil curans quod & folia, & flores, & cętera omnia repugnant. huiusmodi igitur coniecturæ ex nominibus acceptandæ non sunt. Tertium præceptum est, vt si ab auctore exprimatur pars plãtæ, quam aliquo nomine donat, non laboremus nos illius proprietatem, atque etymon ad aliam partem transferre: hoc enim confundere est, non declarare, & perquirere simplicia: quemadmodũ quendam nescio quem feciſſe constat, qui spathã in palma credit eius folia esse, vt quæ ensis figuram repręsentent: cum tamen ex Dioscoridis historia clarissime habeamus spatham, siue palman elatem, inuolucrum esse fructus palmarum adhuc florentium: immo & ipse fructus in eo contentus eodem nomine cẽsetur. Idem de iis dicetur qui Senã Arabum uolunt esse delphinium, delphinorũ effigiẽ ad folliculos, non ad folia (ut Dioscorides) deducentes: quod cũ de similitudine loquemur, aptius & clarius manifestabitur. Quartum præceptum particulatim à regione, & à loco sumitur; hoc vero longioribus proponetur propriis capitibus. loquemur enim de regione & de loco, nihil, quod ad eorum speculationẽ, atque obseruationem spectat omissuri; nunc solum, quæ circa locorum nomina quis desiderare posset, tangentes: dicimusque cum ab aliqua regione nomen medicamen habet, vt dictamnum creticum quòd in Creta oriatur, Lyciũ, quòd in Lycia; Gramen Parnasi, quòd in Parnaso monte; & alia multa, ita intelligenda esse, ut quia magna ex parte, uel ꝙ primũ in his locis inuenta sint, uel alia eius generis causa, hęc nomina sortiri, non aũt qđaliis in locis oriri nequeãt. Agaricũ.n. licet ita appelletur, quia in Agaria oriatur; non propterea aliis locis nõ proueniet. nam in Galatia, Asia, & in Cilicia inuenitur: quin & in Italia in larice arbore illud se legisse Andreas Matthiolus eruditissimus testatur; ita & Lycium, quã aliis multis à Lycia locis nasci idem est auctor; quemadmodum & Colchichon aliis locis à Colchide. Non igitur nimis curioſe Idæum rubum in Ida monte quæremus: quia poterit fortasse alibi nasci: atq; fieri potest, ut uera sit eorum sententia, qui uolunt rubi speciem illam, quæ sine spinis in mõtibus nascitur, fructu & suauitate fragrariæ simili, quęque in Lucania copioſe prouenit, Idæũ rubum esse. nihil enim præter Idæ locum repugnat. Alia quæ à loco sumuntur, capite de loco uberius inuenies: nam & nominum etymon duxit nos ad hæc examinanda hoc loco, quæ aptius fortasse, cum de regione agemus, proponerentur. Verum ibi inter alia dicentur, quæ nam sint quæ quibusdam locis solis prouenire non ualeant; quæúe statutum locum sibi determinant. Hæc igitur sunt, quæ circa ea medicamenta cõsiderantur, quę unicũ nomen sortita sunt, sed euenit cum

duo

duo nomina,uel etiam plura medicamen ſortitur,quorum multiplicitas medicæ materiæ cognitionem adiuuat. quod ut probemus, paulo altius repetenda res eſt. Nomina medicamentis quædam eſſe poſitione, quædam naturam quandam præ ſe ferre iam diximus: verum in his quæ caſu quodam indita à primis impoſitoribus ſunt, euenit, ut cum poſteriores eorum naturam, facultates, loca, & alia quæ recenſuimus, longo uſu ſatis cognoſcerent, alia illis nomina indiderint, quæ aliquid eiuſmodi in illis exprimerent: quæ cum magis poſteritas reciperet, exoletis, atque ab uſu ex toto reiectis primis nominibus ſecunda tantum remanſere: hinc eorum quæ aliquid ſignificant, multũ creuit numerus, uix paucis relictis quæ nullã habent ſui nominis ratione: quinimmo & cum uaria hominibus imponendorum nominum cauſa ſe ſe offert,tam in illis quæ antiquum nomẽ ſeruant, quàm etiam in quibus primum nomen deperditum eſt,diuerſa ſunt nomina indita; ita ut unico medicamento decem & aliquando plura nomina reperiantur. Vagabatur quidem medicamentorum cognitio per uniuerſum orbem, ita ut in diuerſis regionibus diuerſæ eſſent nomenclaturę, atque ab his medicamentis facultas, ab illis ſapor, ab aliis color, uel ſimilitudo cum aliis medicamentis, uel cum animalibus; ab aliis aliquid eiuſmodi notabatur. Quæ quidem nominum multitudo etiamſi quodammodo confuſionem quandam in rei medicæ profeſſorum animis generare poſſet; non erat tamen abſque ingenti utilitate eorum cognitio: primum quidem,quia his, qui uariis uitę rationibus ſe exponunt;atque in multas regiones peregrinari non grauantur, ut ſimplicia medicamenta cognoſcere ualeant (quemadmodum Galenum feciſſe conſtat) pulcherrimum eſt non ignorare eius regionis, ad quam iam peruenit,nomen illorum,quæ quæritat, medicamentorum: nulli enim dubium eſt, uberiorem ita ſibi dignotionem fore. nam ſiquis græcum uel latinum ſimplicis nomen proponat Syriis, Aegyptijsúe, nemo erit qui quid quærat, aperiat; fieriq́; poteſt, ut ſi Syriaco nomine idem ſciſcitetur, oſtendi ſibi ab aliquo eius regionis poſſit; ut ſiquis Thymelæam in Syria ad inuenire optet, niſi ſub apolini nomine illam quærat(hunc enim fruticem ita Syri appellant)nõ dubium eſt, quin à nemine ei oſtendi poſſit. Quemadmodum ſiquis, cum in Cappadocia, uel Galatia ſit, ſylueſtrem rutã petat,nemo forte erit qui eam monſtret,quia latini tantum ſic illam appellant: at ſi moly nomine eam quærat, aderunt abſq; dubio qui illã oſtendant. in his.n.regionibus ſic uocari ſolet, atque hęc eſt prima ratio: Secunda eſt, quod ex nominum uarietate ſæpius in cognitionem ſimplicis medicamenti uenimus (loquor de his nominibus, quæ ad aliquam medicamenti

naturam

naturam explicandam imposita sunt) nam quod unicum nomen non explicat, quandoque ab altero explicatur, ut Isopyron inquit Dioſc. à quibusdã phasiolon appellari ob similitudinẽ; quoniã folium in pampinos torquetur: Alsinem ab alijs myosotim dici, quia muris auriculas folia imitari uidentur: Centauriũ minus Limnesion uocari, quoniã rigua amet loca: Agnum etiã lygon appellari quasi uimen, pp inuictã ferè ramorum flexilitatem: Chamæleonem album Ixiã ideo dici quòd soleat uiscum circa eius radicen habere; & alia quàm plurima, quorũ nomina Dioscorides declarat: ex quorum declaratione multa medicamentorum signa non parui momenti deteguntur. Sed sunt multa alia, quæ cum diuersis nominibus appellẽtur; cur ita dicantur à Dioscoride non explicatur; sed ex eius descriptione colligitur, ut chelidonium minus inquit triticum syluestre ab aliquibus nuncupari; sed ita dici ob radices plures in granorum tritici modum aceruatim congestas clarum est. Trisolium inquit à quibusdam asphaltion uocari: sed cur ita appelletur non expressit; uerum in descriptione inquit, folia ubi adoleuerunt bitumen olere; qua ratione asphaltion dici uerisimile est. ecce igitur quonam pacto ex nominibus liceat simplicium notas elicere. Hæc uero quandoque à Dioscoride declarantur, ut exẽplum de alsine & alijs dedimus. quandoque etiam si oratione non cõplectantur, ex eius descripione colliguntur, ut de chelidonio diximus. Verum nonnunquam neutrum fit, sed sola nominum uarietas ponitur; cur autem ita nominentur, non solum non enodatur, sed neque in delineatione includitur: aut si ponatur, ita obscure fit, ut nisi summam diligentiam adhibeamus, notas elicere nescierimus: nos autem si in hanc rem summam diligentiam conferamus, nominumque proprietates, atque etymon uestigauerimus; non dubium est, quin multa nobis simplicia innotescant: quæ alioqui non innotescerent. Nominis nanque proprietas denotabit nunc medicamenti formam, nunc facultatem, nunc odorẽ, uel aliquid eiusmodi; ita ut aliqua nota effatu digna medicamento addatur, quæ faciliorem eius cognitionẽ reddat: vt in ea planta, quæ Ammi à Dioscoride appellatur, clarissime appareret. ex descriptione enim seminis (nanque id tantum describit) forma nullo pacto sumi potest, sed solummodo sapor, siue odor origano proximus, & quod exile sit semen: quam obrem diutius omnibus ferè incomperta fuit. Quam nanque pro Ammi Fuchsius in re herbaria clarissimus depingit, proculdubio ipsa non est; nullum enim origani saporem repręsentat. quare alij aliud semen receperunt minutissimum; cuius plantam in Apulia sæpissime legi: & est quam doctissimus Senensis depingit, quanquam uerum ammi esse non consentit.

redolet

redolet hæc mirum in modum origanum, & apud omnes ferè materiæ medicæ peritos (scio enim Fuchsium mutasse sententiam, & cum cæteris consentire) pro uero Ammio habetur. Verum si rectius intueamur, ex alio nomine, quo illam appellatam Dioscorides asserit, clarissime colligemus, longe aliam plantam esse ammi: inquit enim à quibusdam appellari Aethiopicum cuminum. ex quo non obscure colligimus, ammi semen, cum cumini semine multam habere similitudinem; non enim ab odore esse potest hęc similitudo, quia odor origano proximus est, non autem cumino, sed à forma; quod & ostendit, id quod subdit, semen est exile multo minus cumino; quasi uellet nullam aliam esse (quantum ad figuram attinet) discrepantiam, nisi magnitudinis; quod clarius ex Plinio colligitur lib. xx. cap. xv. vbi habet. Est cumino simillimum, quod Græci uocant ammi, quidam uero æthiopicum cuminum esse existimant, &c. plerique alterius naturæ, in totum putant, quoniam sit exilius, & candidius. quæ uerba longe clarius ostendunt, id semen, quo passim pro uero ammi utũtur, quodque à Senensi depingitur, non esse genuinum ammi: est enim nigri coloris, nedum cumino candidius. At uero verum ammij semen ad me misit Lucas Ghinus pręceptor meus, Dioscoridis, & Plinij descriptionibus penitus consentiens; dum Theriaces compositionem conficere aggrederetur: erat enim cumino simile, exilius tamen, & candidius, odore, & sapore origani. Huius exemplo moniti, poterimus multas alias stirpes cognoscere, quæ adhuc omnibus ferè incognitæ existunt; aut si diuersæ à multis ostendantur, quænam ex illis verior sit, iudiciũ non spernendum afferre. vt pro ephemero non lethali, scimus à uarijs varias ostendi plantas, atque unumquenque suam opinionem tueri. verum cum sciamus illam, & Irim syluestrem à Dioscoride appellari, non ab re existimabimus aliquam partem iridi similem retinere: quæ cum reperiatur, eius certitudo rectius apparebit. Sic de Gingidio, quod Lepidion appellari Dioscorides tradit, quemadmodum, & lepidium gingidij nomine insigniri; ergo aliqua inter has plantas necessario aderit conuenientia. sic & Helichryson, quam & Amaranthum vocat, non leuis coniectura ex nomine accipitur eius flores immarcescibiles esse, decerptosque diutius in sua coloris gratia permanere.

Quod non omnia nomina, quæ vt spuria nonnulli à Dioscoride resecant, reijcienda sunt: cum in multis vis quædam lateat, ob quam multa nobis simplicia innotescere possunt. Cap. v.

His ita constitutis, non errabit fortasse quispiam non omnia nomina, quæ tanquam spuria à Dioscoride resecta sunt, reijcienda esse existimans: cum ex his etiam, non minus atque ex alijs, quæ ut genuina recepta sunt, in plurimorum medicaminum cognitionem uenire possimus. neque est quod me nomine arrogantiæ quis reprehendat, quòd audeam ea nomina acceptare, quæ ab omnibus ferè doctissimis viris, tanquam spuria refutata sunt: quandoquidem non id pro certo affirmo; sed anceps adhuc an Dioscoridis, an spuria sint, video ex eis multã nobis oriri posse simplicium cognitionem: verũ si id defendere vellem, possem quidem primum Marcellum, atque Hermolaum doctissimos ac summi iudicij viros, pro mea opinione adducere: qui nominum illorum cumulum non solum non reijciunt, sed exponunt. Deinde quod addita hæc sint à quibusdã Chaldæis, Magis, Aegyptijs, alijsque nationibus, non autem à Dioscoride apposita; nullum video apparens argumentum in medium afferri. scimus enim, & in illis, quę tanquam uera Dioscoridis acceptantur, multa nomina variarum linguarum adesse. vt Poterium Iones Neurada appellare inquit, calamintham, secundum Latinos Nepetam, atque ab ijsdem erisymon Irionem dici. sicuti Rhaponticum, quod à Græcis Rha, Pyrethrum à Romanis saliuarem, Smyrnion in Cilicia petroselinon, Acanthum à Romanis pæderotam, Arum à Syris Lupham, Cestron à Latinis Betonicam: quin immo & Arum vocem esse Aegyptiam, Plinius est auctor, & alia multa uidemus, in genuinis nominibus Dioscoridis, à varijs linguis accepta; cur igitur hæc non addita ab alijs, sicuti & illa dicimus? Nam cur quædam nomina resecuerint, quædam etiam eiusdem farinæ reliquerint, nullam rationem tradiderunt; sed ad arbitriũ hoc executi sunt. quandoquidem si ea tantum acceptant, quæ ab alijs magnæ existimationis auctoribus recensentur; cur multa tanquam spuria refutarunt, quæ apud Galenum; multa etiam, quæ apud Plinium, atque alios probos uiros (vt mox dicemus) inueniuntur? Quòd si in Galeno, & Plinio, alijsque illa admitti debeant, in Dioscoride nequaquam, quæ nam huiusce diuersitatis ratio assignatur? quam ob rem si ea nomina explosa sunt, aliorum iudicio atque arbitratu; hocque non tam quòd Dioscoridis legitima omnia cognoscerentur, quàm ut aceruum cumulumque ita molestum opprimerent, potuerunt circa

hunc

hunc delectum decipi (quanuis ſummo iudicio præditi uiri extiterint) ut multa quæ genuina ſunt, remouerent; multa etiam, quæ notha omnino ſunt, admitterent. Quanquam igitur his, atque nonnullis alijs rationibus, quas lubentes omittimus, probare poſſumus, ea nomina reijcienda non eſſe: tamen nolo tantum mihi ipſi adſumere, ut quæ tanquam falſa, à tot clariſsimis viris reiecta ſunt, ipſe ut uera habeam; ſed id tantum dico, ex illis nominibus, non minus atque ex alijs, opem nos habere poſſe in ſimplicium dignotione; atque quantum ad hoc attinet, non eſſe penitus reijcienda. ex hoc enim nos duplicem utilitatem conſequemur: prima eſt, quam diximus: ſecunda quòd multas ueterum compoſitiones, in primisque Galeni minore cum labore aſſequemur. adſunt enim in Galeni libris quamplurima nomina, quæ ut ſpuria à Dioſcoride remouentur; quæque neceſſe erit nos latere, cum nulla eorum cognoſcendorum occaſio, in Dioſcoride nobis relinquatur; atque ut primum probemus, in multis exempla dabimus. Coronopus ex delineatione Dioſcoridis, & ex nomine uix dignoſcitur; ſed ſi ad ſpuria nomina confugiemus, eius aliquam notitiam habebimus: Aſtrion ab aliquibus dicitur, à nonnullis ſanguinaria: vtrunque nomen adſtipulatur, eam eſſe quæ vulgo herba ſtella appellatur (non quę in hortis colitur ſed quæ ſponte in campeſtribus, ſecus uias oritur latioribus folijs, cæteris ſimilis) nam & antiquum nomen Aſtrij, cum vulgato hodierni temporis herbæ ſtellæ congruit, & facultas etiam: appellatur enim illis ſanguinaria. Dioſcorides radici uim aſtringentem tribuit: quam herbæ ſtellæ ualentiſsimum eſſe cernimus. quare ſanguinis reiectionibus, non immerito quis valere dixerit: ſicuti antiquos uſos fuiſſe credendum eſt; qui ſanguinariæ nomen illi indidere. Anagallis ab aliquibus Sauritis. conuenit hoc nomen cum facultate, quam habet extrahendi infixa ſpicula: nam σαυρωτὴρ cuſpidem haſtæ denotat. Ambroſiam alij Botrym appellant. conuenit, nomen quia Dioſcoridis deſcriptio racemoſam eſſe ſtatuit: nam & Botrym ambroſiam vocari diximus. Vitis nigra aliquibus bucranion dicitur, quaſi dicas bouis cranium, ſiue caput: nec immerito, cum Dioſcorides eius folia exulceratis iumentorum ceruicibus commodiſsime illini ſcribat. Gramen à nonnullis Aegicon, αἴξ capram ſignificat; ſcimusq; gramine capras quamlibentiſsime ueſci. Vrticam alteram Romani urticam mollem uocitant: condecens nomen eſt Dioſcoridis deſcriptioni. inquit enim hanc non æque aſperam eſſe. Spina alba ab aliquibus agriocynara dicitur: ex hoc nomine poterit, quiſpiam ſuſpicari eſſe ſylueſtrem cynaram, uel aliquam huic ſimilem: paulatimque in eius cognitionem accedere: Aloë illis dicitur Amphibion; nec abſq;

ratione,

ratione, cum tam locis maritimis, quàm alijs à mari distantibus nascatur: dicitur & eryngion, quia spinosa per ambitum est; Orobanche ab aliquibus Cynomorion, à similitudine canini genitalis. Telephiõ portulacam sylvestrem dicunt. Dioscorides eam portulacæ cõparat. Androsacem appellat Leucem, & Thalassiam; non spernenda & hæc nomina sunt: ex illo enim eam esse candidam coniectari possumus; quod à Dioscoride non ponitur in descriptione: ex hoc vero, solis locis maritimis illam oriri, quod in parte cõsonat cum Dioscoride, qui in Syriæ maritimis nasci eam tradit. his similia infinita ferè reperies in spurijs nominibus. Quod secundo loco probare intẽdebamus, est, apud alios celebres auctores huiusmodi nomina reperiri, quæ cum in compositionibus includantur, quid accipiendum sit ignorabimus, si eorum nullam rationem in Dioscoride habuerimus. Verum in his declarandis aliqua immiscebimus, quæ ad primum pertinere videbuntur: quod effugere non poterimus ob hærentiam, quam cum his, quæ dicere proponimus, habent; sed hoc non carebit vtilitate. Atractylis in spurijs nominibus, cnycon sylvestre etiam dicitur. sed eodem nomine eam Galenus appellat; quam & Dioscorides cnyco comparat. Fusus agrestis, colus rustica, inter spuria recensentur; sed Dioscor. eius virgis fœminas pro fusis uti asserit. Acanthus melamphyllon vocatur in spurijs; sed eodem nomine etiam Galenus, atque si Dioscoridis delineationem intueamur, nigricantia ei tribuit folia; quod nomen exprimit. Aparine, omphalocarpon, & philanthropon illi appellant: quæ duo nomina sunt etiam apud Galenum; quæ & Dioscoridis descriptioni quadrant: inquit enim eam tenacem habere vestiũ asperitatem, per quam uestibus hominum adhæret; atque ita eos amare videatur. Iris ab alijs Illyrica, ab alijs Vrania: secundum nomen merito à cælo deducitur, cum iris ab arcus cæleſtis similitudine ita appelletur: primum apud Galenum in libris κατὰ τόπους sæpius legitur: sed VIII. libro Illyris ab Andromacho appellatur. Androsæmõ, Dionysias appellatur in spurijs; quod neque subticuit Galenus. Vitem albam psilothrum illi dicunt; ita & Galenus. Dioscorides inquit eius fructu coria pilis spoliari; quare quadrat nomen. sunt & eiusdem vitis albæ in spurijs, hæc etiam nomina; alij appellant ophiostaphylon, alij melothron, alij archezostin, alij cedrostin: quæ omnia nomina apud Plinium etiam sunt, sicuti & psilothros. Leucacantha in spurijs phyllos, & Ischias, & polygonatos; quæ tria nomina etiam sunt apud Plinium: adde quòd ultimum nomen uidetur descriptioni consentire: leucacanthæ enim radix cyperidi similis ponitur, quæ cum nodosa sit (puto enim de longo cyperi intelligendum esse) potest polygo-

nati

nati nomen quadrare. Similiter & chamæleon niger nõ acceptatis nominibus Vlophonon, & Cynoxilon, & Cynozolon, uocatur. Plinius hæc nomina exponens, inquit ita appellari, propter grauitatem odoris. Struthion à latinis lanariam herbam, aut radiculam appellari habemus: quæ nomina apud latinos vel nunc seruantur, vt apud Plinium. sicuti & multa alia adsunt latina nomina, quæ non solum apud latinos scriptores reperiuntur, sed vulgata apud omnes existunt; vt Seris, quam intubum Romanis dici in spurijs habemus: sonchum asperam, ab ijsdem dici cicerbitam asperam: sampsucum, à latinis maioranam: sed hæc nomina nostris temporibus vulgata sunt: sicuti & multo magis orobanche, quæ illis leo dicitur; chelidonium Romanis Fabium, vt ibidem colligitur: sed nunc hanc fabarolam; illam caudam leonis ob similitudinem passim appellari, nemo est qui ignoret. Qui igitur uiderit in spurijs hyacinthum, à latinis vacinium dici: poterit fortasse non inepte Vergilij locum interpretari, vbi inquit.

„ Alba ligustra cadunt, vacinia nigra leguntur.

vt per vacinia hyacinthi flores intelligat; sitque sensus facta comparatione inter duos flores: si floris racemus ex ligustro decerpatur, cum arescere incipit, humore destituti flosculi illi statim decidunt: at non hyacinthi flos, qui suo pediculo fixus hærẽs, diutius etiam in sua coloris gratia permanet. quam ob rem existimare facile possumus à pastoribus, ad coronas exornandas (quæ non caducos flores, quales ligustri sunt, requirunt) legi consueuisse; nam & Plinius lib. xxi. cap. xi. inter coronarios flores hyacinthum recenset. sed de uacinijs tanquã re diuersa ab hyacintho, loquitur lib. xvi. cap. xviii. (quanquam nõ nulli vacinia recto casu singulari legunt, eamque esse arboris genus existimant) ex quibus in Gallia colorem Hysginum fieri asserit ad seruitiorum uestes accommodatum; sed nullam fecit mentionem de ligustro in coronamentis. Verum quia locum hunc à Theocrito accepit ad verbum ferè Vergilius, qui Theocriti uersus legerit, facile nobis assentietur. sunt autem in Idyllio decimo ita habentes.

„ καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐσὶ καὶ ἀ γραπτὰ ὑάκινθος,
„ ἀλλ' ἔμπας ἔν τοῖς σεφάνοις τὰ πρῶτα λέγονται.

Hos ad verbum ita reddidit interpres.

„ Et viola nigra est, & inscriptus hyacinthus.
„ Sed tamen in coronis in primis leguntur.

Verum expressit eos Vergilius duobus locis: Primum enim versum quasi transtulit ecloga ultima, cum inquit

„ Et nigræ violæ sunt, & uacinia nigra.

Vbi

Vbi palàm est per uacinia nihil aliud nisi hyacinthum intelligere. Secundum versum in loco quem exponimus, reddidit, cum dixit.

„ — -- -- uacinia nigra leguntur.

Quasi per se quisque intelligere posit, ad coronarum usum legi uacinia. Nomina igitur illa spuria quandoque per se ipsa, quandoque in medicorum compositionibus, uel alijs locis apud auctores reperiũtur, quæ intelligi non possunt. Nam cum Plinius inquit Melothron folio in coronamenta uenire; quid per hanc intelligamus, non habemus; nisi ad nota nomina confugiamus: ibi enim colligimus, uitem albam per hoc nomen significari. Quin & Theophastus 111. de historia μέλοθρον nomen usurpat: quam uocem Gaza melothrum uertit, ignorãs fortasse & ipse quam plantam intelligeret: non enim credendum est illum Vitem albam hanc uocem non uersurum, si hoc deprehendisset: cum multa nomina fingere nõ sine latinarum uocum incremento per belle ac felicissime ausus sit. Ex his igitur, multisque alijs, quæ prætermittimus, facile colligitur, non solum ex genuinis Dioscoridis nominibus, nos in plurimorum simplicium dignotionem uenire posse, sed etiam ex spurijs; neque omnino reijcienda hæc esse. Hoc uero non in omnibus intelligo, sed in quibusdam: scio enim quædam esse nomina, quæ præter id quod in Dioscoridis contextu nullo pacto iacere debent, ita impropria sunt, ut ex illis non nisi confusio oriri possit: ut cum capparim ophioscoradon appellat; Anemonem uero Atractylida, & Cnycum agriam; Hederam præterea syluam matrem, & alia id genus, quæ ridicula dici possunt, ne dum falsa, ac spuria. Atque de his potissimum puto Galenum intellexisse VI. simplicium, in præfatione, cum Pamphilum damnat, quòd nominum aceruum in medicamentis posuerit. Nam si de alijs etiam intellexit, non ita iudicauit, ut unicum duntaxat nomen medicamentis imponendum sit: nam duo, vel paulo plura forte concederet. sed copiosum numerum damnat, atque hoc non absque ratione. scimus enim asarum, quia à Gallis Baccar appellabatur (ut in spurijs habetur) hoc nomen usque ad nostra tempora seruatum esse; atque in causa fuisse, cur baccarim plantam à Dioscoridis capitibus multi reijcerent; vt alibi adnotabimus. qui error & Plinij tempestate erat, atq; ab eo corrigitur. Sed etiamsi neque duo, vel tria nomina, sed vnicum tantum concederet Galenus; dicimus hoc optimum quidem esse; neque absque ratione hoc præciperet. Ille enim omnia simplicia de quibus loquebatur perfecte cognoscebat: neque alijs nominibus indigebat, ad notas me dicaminum eliciendas. Nobis autem non eadem ratio est; quærimus enim plura nomina in illis simplicibus, quæ nobis ignota sunt, uel saltem dubia: nam quæ perfecte cogno-

cognoſcuntur, nihil opus habent alijs nominibus: atque in his cum Galeno damnamus nominum aceruum; ſed in ignotis ſi ex nominum multitudine poſſumus opem aliquam habere ad eorum cognitionẽ, cur illa deſpiciemus? Quæramus igitur ſi fieri poteſt, ex nominibus multis ſimplicia; ſed poſtquam inuẽta ſunt, vt multę, ac moleſtę ęquiuocationes vitentur, illis vnicum nomen reliquum faciamus. Verum cur in Dioſcoride tam multa nomina inueniantur, non aliunde effectum eſſe exiſtimo, niſi quod aliqui in margine varias nationũ appellationes notabant ad memoriam: cum vero tranſcriberentur codices, exiſtimans is, qui tranſcribebat, ad contextum pertinere: continuata ſerie illa apponebat. hoc vero facile accidere poterat, cum utraque ſcriptura, tam ſcilicet marginis, quàm contextus, manu ſcripta eſſet; atque nullum ſumi poterat adiectionis indicium. noſtris vero temporibus nõ item fit: nam ſiquis in margine quicquã appoſuerit, cũ multũ diſcrepet ab impreſsis characteribus; facile iudicatur, ad auctoris ſeriẽ minime pertinere. Verum hoc ſiue propter hanc, ſiue propter aliam rationem acciderit, non multum retulerit. ſat ſit nobis probaſſe multa ſpuria nomina ſi recipiantur, nullum eſſe incommodum; ſed potius ex illis medicamentorum cognitionem non paruum incrementum ſuſcipere poſſe.

Quòd antiqui, Dioſcorides præſertim, dum modicam habent de nominibus ſollicitudinem, multas ambiguitates reliquerunt. Cap. VI.

HACTENVS de his nominibus quæ proprietatem ſeruant. De improprietate, loquendi tempus iam eſt: ac primum de ea, quæ circa nominum genera in plantis uerſatur: hęc autem in ipſis auctoribus conſideratur, qui nominum proprietatem ſæpius omittunt: multaſque ęquiuocationes nobis relinquunt; ita ut non multum curent, proprio, ac ſuo nomine rem declarent, nec ne. quod quantas ambiguitates parere ſoleat, nemini non cõpertum eſt. Similitudines enim (ut ex Hippocratis ſententia Galenus adnotat) uel bonos medicos in errores, difficultateſque conijciunt; utpote non vulgaribus duntaxat medicis, ſed nobiliſsimis etiam ob ſimilitudines deceptis. Hinc Ariſtoteles, Galenuſque nihil tam laborant, quàm homonymiam diſtinguere: Multo enim lucidius eſſe opinor (ſolitus eſt Galenus dicere) vnicuique rei ſeorſum vnum nomen, eique proprium indere, eoque perpetuo vti; cum ſciam, quòd cõmunia nomina, quæ alterum non magis, quàm alterum ſignificant, auditorem confundũt, & perturbant, vt non cognoſcat, quid ſit tandem quod dicitur, priuſquam æquiuocum diſtingua-

tur. hęc Galenus. Sed hoc certa quadam regula obseruant, hoc est ita æquiuocationes ipsas distinguendo, ut de nominibus, non multam curam habere uideantur, sed intantum ea declarant, inquantum ad docendum sit commodum. Hoc quàm difficile sit assequi, nemo probe sciat, nisi qui in Aristotelis libris diutius versatus sit. Nam qui præceperit distinguendas esse ęquiuocationes, ac rursus de nominibus nõ multum sollicitos esse oportere, sibi ipsi repugnantia uidetur persuadere: quandoquidem quid aliud est æquiuoca declarare, quàm rerum nomenclaturas recte examinare? hæ vero quî, quęso, perfecte examinabuntur, si nulla in nominibus explicandis diligentia adhibenda sit? Propterea igitur neminem uideas licet, ne Aristotelem quidem, qui inter utrunque extremum, medium iter ita elegerit, quin in alterum quandoque impegerit. Verum cum multæ æquiuocationes in Dioscoride etiam adsint, quemadmodum ei multum debemus, si nonnullas ex his declarauerit: ita de alijs illum accusare non decebit: quandoquidem, ut priscum morem seruaret, hoc ab eo effectum est. Verum dum nullam de nominibus, uel modicam curam habet; non parum negotij stirpium indagatoribus, dum eas cognoscere affectant, reliquit. Nos autem Dioscoridis morem, quo in nominibus usus est, proponemus: quo scito uel nullæ, uel admodum paucæ in hac re ambiguitates supererunt. hoc vero & vniuersarum stirpium, & earundem partium nomenclaturas, & definitiones sciri debere supponit: quam obrem hę primo declarãdę sunt. Nomina quæ in uniuersum plantis adaptantur, hæc ferè sunt, Arbor, Frutex, Suffrutex, Herba. Arbor ex Theophrasto est, quod ab radice caudice simplici, ramosum, nodosum; surculosum, haud facile dissolubile assurgat, ceu olea, ficus, uitis. quanquam Columella lib. III. Vitem tertium quiddam appellat, quod nec arborem, nec fruticem dixeris. Frutex, quod ab radice, caudice multiplici, ramosumque se attollit, ut rubus, paliurus. Suffrutex, quod propius frutices, & arbores assurgit; surculosum, minutisque conditum folijs; proindeque frutices id genus redduntur, ut abrotanum, sampsuchum, serpyllum. Herba, quod ab radice foliatum, sine caudice proueniat, semenque caule ferat, ut frumenta, & olera. Hæc plantarum nomina ita accipi cõuenit, si proprie loqui uolumus. Verum hanc nominum proprietatem non semper seruarunt cum multi ex antiquis, tum potissimum Theophrastus, & Dioscorides. Illa nanque sæpius confundunt, vt unum pro alio sumant, dum plantas describunt: ac si quis eos nominum proprietates seruare crediderit, absque dubio in multa absurda incidet. Nam dum Dioscorides Cedrum, Fraxinum, Piceam, Pinum, Prunum, Arbutum, atque id genus multa, arborum nomine dignat,

gnat; nec minus cum Ciſtum, Halimum, Rhoem, Paliurum, frutices nuncupat; item cum Thlaſpi, Gingidium, Coronopum, Ariſarum, Lepidium, herbulas appellat: recta illum, ac propria vſum eſſe appellatione conſtat. Verum hoc in omnibus non curauit perpetuo obſeruare: vnde ſæpius id, quod vere frutex eſt, arborem appellat, & contra. quod vero herba eſt, fruticis nomine dignat, & è cõtrario, ob cauſam ſuperius aſsignatam. nam ſi id arbos ſit, quod nodoſum, ramoſum, fractuque contumax eſt; minus profecto proprie ricinum, liguſtrum, atque lentiſcum arbores appellat: cum hæ intra fruticũ terminos contineri uerius dici poſsint, ſicuti & anagallis utraque, mercurialis, Sion, Peplis, Peplos, cucumis ſylueſtris, cum re uera herbulæ ſint (folia enim ſine caule primo emittunt, deinde cauleſcunt) frutices tamen ab eo appellantur: ita & Capnon, multasque alias appellat fruticoſas herbas, per quæ verba ſuffrutices exprimere uidetur: & tamen hæ herbarum potius veram naturam ſortiuntur; ſi uera ſit herbę definitio, quã ex Theophraſti mente tradidimus. Quin & ipſe Theophraſtus, qui plantarum definitiones compilauit, eas non obſeruat. Violam enim nigram, & ſiſymbrium, quæ proprie herbæ appellandæ ſunt, inter ſuffrutices recenſet; hisque admiſcet, ſerpyllum, ononida, roſas: Ac ualde mirũ ſit, roſam, quæ ex uno ceſpite plures ramulos fractu peruicaces craſsiuſculos emittit, communem ſuffruticis appellationem habere cum uiola nigra, quæ ramulis caret; ſed ab radice foliata conſtat, puſillaque herbula in totum eſt: Roſa nanque frutex appellari debet, quanquam Plinius lib. xxi. Roſam naſci ſpina uerius, quàm frutice aſſerit. Vt ſciamus nonnunquam auctores arctiſsime, horum nominum proprietatem affectare: ſed in non modicam admirationem nos rapit, cũ lib. xiiii. in fruticum genere cedrum reponit. ex Dioſcoride enim cedrus arbor magna eſt. Item in eodem genere laurum, Cupreſſum, Iuniperum, Terebinthumque recenſet: cum tamen hæc omnia Dioſcorides, & Theophraſtus arbores appellent. quodque admirationem auget, eſt, quòd inter has arbores, quas frutices uocat, eos qui uere frutices ſunt, vel ſuffrutices admiſcet, nempe Chamælæam, Chamæpityn, Chamædryn. Niſi eſſet quod (ut ſuperius diximus) uiri hi celeberrimi nomina non multum curant, ac per hoc reprehenſionis notam effugiunt: nam dãnandi eſſent, ſi tanquam ignari hæc conſcriberent. Sed cur horum Theophraſtum ignarum dixerimus, cum ille ipſe omnium definitiones præceperit? Quãquam in horum nonnullis excuſari poſſet Plinius, vt in Cedro, Cuius cum maior inueniatur & minor, atque vtriusque, duo etiam genera, vt apud eum lib. xiii. cap. v. magnam autem alibi Cedrelaten appellat,

composito vocabulo, ex Cedro, & abiete. Dicamus hoc loco loqui de minori Cedro, quæ frutex potius est, quàm arbor: immo inquit cedro similem in Arcadia arborem esse, in Phrygia uocari fruticem. Idem de Terebintho, quæ nonnullis regionibus frutex est, licet quibusdam alijs arbor: ut in Macedonia breuis arbor est, atque fruticosa, in Damasco Syriæ magna; vt eodem libro Plinius capite v 1. simili modo & in Iunipero, ut dicamus illum intellexisse de minori, quæ quibusdam locis frutex est. sed quonam pacto excusari possit in lauro, & cupresso non video: quare rectius id scriptorum consuetudini tribuemus. Nostræ vero partes erunt, omni cogitatione, curaque in hanc rem incumbere, ut cum quicquam uel arborem, uel fruticem, uel herbam à scriptoribus constitui uiderimus: diligenter inspiciamus, an propria appellatione utantur, nec'ne: cuius quidem rei ut certiores reddamur, nihil melius, meo iudicio, est (quanquam & hoc fallax quandoque est) nisi plurium auctorum descriptiones eiusdem herbæ videre. Nam si omnes conuenerint, rectam, propriamque nominis appellationem eos accepisse, non spernenda cõiectura est: sin minus, tunc ad alias notas confugiendum erit. Matthiolus nanque alioqui peritissimus, pro Cytiso, vulgare tribulum diutius ostenderat; nihil curans quòd hæc herbula potius sit; Cytisum uero fruticem appellet Dioscorides. existimabat enim (credo) in hac, uti & in quibusdam alijs, eum fruticis nomen minus proprie accepisse. Verum, cum aliorum auctorũ de Cytiso descriptiones uidisset, præsertimque Galenum primo de antidotis, ubi dicit, Fruticosa uero planta Cytisus est, eam altitudinem attingens, ad quam myrtus crescit: coactus est sententiam mutare; ut qui clare cognosceret, Dioscoridem propria appellatione ibi fruticem accepisse. Hunc nos fruticẽ sæpius collegimus prope Neapolim in colle quodam, qua ad Nesidem insulam itur, à Dioscoridis descriptione nihil uariantem; atque inter cætera odorem, si digitis terantur folia, erucæ proximum habent; gustataque cicer recens ita repræsentant, ut nullam differentiam inuenias. Totus frutex candidus est. folia singulis pediculis terna; sed ramulosa sunt: quod Plinius expresit. florem profert in ramulorum cacuminibus lætum, aspectuque pulcherrimum, colore luteũ, sed saturato, quemadmodum quæ pro caltha ostendi solet; & aranciorum cortex. siliquas cõtortas una & nonnunquam pluribus spiris paruas: in quibus semina parua, uix ineunte æstate maturescentia. Caudex nigrum cor retinet, & Ebeni æmulum; quo horarias preces Neapoli magno quæstu conficiunt: atque apud artifices Vastaccietta lignum hoc nuncupatur. Vt igitur ad id, unde digressi sumus, redeamus: si ex

alijs ſcriptoribus colligere liceret, oxyacantham fruticem potius, quàm arborem eſſe, minus proprie eam arborem appellaſſe Dioſcoridē exiſtimandum eſſet; ac cum Matthiolo ſentire neceſſe eſſet, ut qui fruticem pro oxyacantha, non arborem ſtatuat: licet & hic frutex loci ratione quandoq; in arborē aſſurgat. Verum ſi arboris ſignificationem vere acceperit (vt nos exiſtimamus, qui oxyacantham uere cognoſcere credimus) aliter ſentiendum eſt. Ex loquendi etiam formula, auctoris mentem nonnunquam aſſequimur, quippe qui ita aperte, planeque loquatur, vt nullum dubium relinquat: veluti cum ſycomorum arborem magnam appellat Dioſcorides. hic enim eius magnitudinem ita dilucide denotat, vt coniectura nulla relinquatur, qua fruticem, uel herbam eſſe poſſe ſuſpicemur: ſic cum Coronopum herbulam appellat, nulla nobis anſa ad fruticem, vel ſuffruticem, vel etiam arborem confugiendi præbetur. quam obrem manifeſto deprehenditur error volentium Senam Arabum eſſe Theophraſti Coluteam: nō enim dubitarunt herbam pro arbore accipere: etiamſi ex Theophraſto habeant, Coluteam arborem eſſe magnam potius, quàm paruam: ex qua loquendi formula, illam non ſolum ab herbis, ſed etiam à fruticibus maxime diſiungit. quòd autem Sena herba ſit, omnes norūt: feritur enim, neque ultra annum reſtibilis eſt. Laſerpitium præterea quantum ex Dioſcoride colligitur, ferulacea planta eſt: ſed clarius ex Theophraſto VI. de hiſtoria; qui eam depingit magnitudine, & craſſitudine ferulæ: caulemque non amplius anno perdurare, vt ferulæ: & qui aſſus, & elixus in hominum cibos recipiatur. Ex his & alijs, quæ ibidem habet Theophraſtus, clariſsime colligitur, laſerem nullo pacto arborem eſſe poſſe. Quod ſi Ludouico Romano credendum ſit libro ſuarum nauigationum, ſuccus ille, ſiue gummi odoriferum, quod vulgo Belgioinum appellant, ex laſeris planta, eſſe nullatenus poterit, pace multorum clariſsimorum virorum, qui in hac ſententia ſunt: Ille nanque affirmat, ſe illius gummi plantam vidiſſe; quæ arbor eſt, quamque in mortuorum cadauera odoris cauſa, dum illa comburunt, conijciunt. Neque dicendum virum hunc, arborem pro frutice, uel herba ſumpſiſſe; quia de eiuſdem arboris ligno alibi loquitur: præter id quòd huiuſmodi improprietates, recentioribus non admitterentur, ut & antiquis. Pari paſſu (ut ad rem redeamus) & Ammoniacum ait, eſſe nunc fruticis ſuccum, nunc arboris, eodem capite: Inquit enim primo, Ammoniacum ferulæ ſuccus eſt, cuius fruticem cum radice Agaſillim uocant. Atque inferius ſubdit, Succum ſtillante ferulacea arbore. Rhus præterea eodem capite, nunc fruticem, nunc arbuſculam appellat. Verum non licebit tam libere hæc nomina aſſume-

re, vt Dioscoridi manifeste contradicamus; quemadmodũ Ruellium feciſſe conſtat, qui ſpinam Aegyptiam, ſiue Arabicam Dioſcoridis Acaciam eſſe credit. in qua quidem re excuſari fortaſſe poſſet, quod herbam pro arbore ſumat. ſed notari dignus eſt, uir alioqui doctiſsimus, quòd tam de acacia, quàm de Arabica ſpina ſeparatis capitibus, locutum fuiſſe Dioſcoridem non animaduertit. Difficillimum igitur eſt hæc cognoſcere, proptereaque non parua conſideratione indiget. Sed hæc longiorem requirerent ſermonem, ac huic opuſculo minime conuenientem. quare pauca hæc adnotaſſe ſufficiat. ex illis enim multa alia non rudis lector per ſe adinueniat licebit. Sed de reliquis, quæ huc ſpectant, quo doctrina clarior ſit, proximo agetur capite.

De Nominibus partium Plantarum, deque æquiuocationibus circa eas contingentibus. *Cap.* VII.

REMANENT igitur plantarum partes explicandæ, quantamque in eis nominandis rationem habuerit Dioſcorides, manifeſtandum eſt. ſed primo definiendæ ſunt. ſic enim earum proprietates eluceſcent; conſequenterque, ſi quando nomina minus proprie vſurpentur, liquido apparebit. Plantarum igitur partes, hæ ferè ſunt Radix, Caulis, Caudex, Ramus, Flos, Foliũ, Fructus, Semen, Cortex. Radix ex Theophraſto eſt, id quo alimentum attrahitur. & alibi: quicquid ſub terram latitat, radix procul dubio eſt, ut Tuber, Cæpe, Bulbus. Caulem vero definit eſſe in quod alimentum defertur; ſubiungitque, caulem enim appello, quod ſupra terram ſimplex aſſurgit. id enim commune pariter annuis, atque perpetuis eſt, quod in arborum genere caudicé vocitare ſolemus. Rami ſunt, qui à caule fiſsi multiplices ſparguntur, quos nonnulli nodos appellant. Florem roſæ diſtinguit à roſa ſæpius Galenus VI. κατὰ τόπους, vnde uidetur ſumere florem pro granulis illis luteis, quos circum ambiunt folia: roſam uero uel folia ſolum, vel ex folijs, & granulis ſtructuram: quod & uidetur etiam ſentire Dioſcorides cap. de roſa, cum inquit: Flos qui in mediis roſis inuenitur. & Palladius in Februario: Semina inquit roſarum non putemus medios floſculos eſſe aurei coloris, quos roſæ ferunt: ſed baccas nutriunt, quas &c. Luteos apices illos appellat Plinius lib. XXI. Theophraſtus utranque partem florem appellat, primo de hiſtoria plantarum. Vnde binos flores ferentes appellat roſam, violam nigram, lilium, quod in flore alterum florem inſidentem medium gerant. Sed ſi illos diſtinxerimus, raro nomen habebimus, quo compaginem ex floribus, & folijs, quæ flores ambiunt, appellemus. Secundum hanc ſignificationem

tionem florem ſumpſit, Dioſcorides, cum cnici florem croco compa-
rat: accipit enim in utriſque, pro flore capillamenta quæ obſonijs im-
miſcentur. Folium eſt proprie, quod ex carne, cortice, & neruis con-
ſtat: Fructus quod carne, & ſemine. ita definit Theophraſtus. Ve-
rum Galenus 11. de alimentorũ facultatibus perpulchre dat differen-
tiam inter fructum & ſemen: etenim fici fructus (inquit) ſunt ipſæ fi-
cus: quod uero in eo eſt, κεγχραμὶς græcis dictum ſemen eſt fici: ſicut
& acinus, totius uitis eſt fructus; ſolum autem γίγαρτον, vitis eſt ſemẽ.
Pari modo, & pyri, & mali fructus eſt pyrum, ac malum; ſemen autẽ
tria, uel quatuor grana, quæ in eis mediis habentur. Porro in fabis,
lupinis, & alijs id genus, quæ ſiliquis obuoluuntur; quod quidem ex
ſiliqua, ſemineque eſt compoſitum, eſt fructus. Neque omittendum
apud rei ruſticæ ſcriptores, ſemen multo latius ſumi. Varro enim pri-
mo libro de re ruſtica, quatuor ſeminum genera ſtatuit: inter quæ ter-
tium genus inquit eſſe, quod ex arbore, per ſurculos defertur in ter-
ram. ad quam ſignificationem Vergilius inquit,

-- -- neu ferro læde retuſo
Semina, &c. Atque ita ſeri uites uidemus ſumentes malleolos pro
ſeminibus. Ponit & quartum genus ſeminis Varro, quod tranſit ex
arbore in aliã, hoc eſt, cũ inſitio fit: vnde ſurculos, qui alterius arboris
trunco alligantur, ſemina appellat. hæc nomina uſitatiſsima ſunt apud
rei ruſticæ auctores. Cortex eſt pars ultima, & à ſubiecto corpore ſe-
parabilis. Sunt præterea aliæ plantarum partes, quæ partibus iam enu-
meratis adhærent, ac tanquã partium partes exiſtunt, ut ſurculus, quod
ex ramis (Theophraſto auctore) indiuiduum, ſimplexque oritur. Sunt
& uiticulæ Sarmenta, Virgæ, Capreoli; ita & gummi, lac, ſuccus, la-
chryma, & alia huiuſmodi multa, quorum deſcriptiones aſsignare
non duximus, tum quia uel ex nomine ipſo quid unumquodque ſit,
patere poteſt; tum etiam quod obiter inferius explicabuntur. Hę igi-
tur plantarum partes ita accipiendæ eſſent, ſi modo recte, ac proprie lo-
qui uelimus: quod ſi à Dioſcoride obſeruaretur; non dubium eſt, quin
multæ ſtirpes cognoſcerẽtur, quæ non cognoſcuntur. verum ob ſupe-
rius adductam rationem, hanc nominum proprietatẽ paruifecit. Vnde
quandoque caulem pro ſarmentis, quandoque uiticulas pro caulibus,
ſurculisue accepit: ſicuti ſemen pro fructu; atque hunc pro ſemine;
aliamque pro alia ſtirpis parte ſæpius ſumit. Hæc dum multi non con-
ſiderant, inquiunt Dioſcoridem ſibi ipſi repugnantia dixiſſe, cap. de
Adiãto: cui cauliculos tribuit inquiens, Cauliculi quibus folia exoriũ-
tur &c. ſed rurſus paulopoſt ſubdit, Neq; caulẽ, neque fructum, neq;
florem profert. Hi ſi ſcirent eius morem; illum non ita temere repre-

hendissent. Quis enim non uidet, hoc loco cauliculum, pro pediculo sumpsisse? nam bene nouit Dioscorides propria appellatione uti: ut in filice, cum inquit, Filici folia sine caule, sine fructu, sine flore, ex uno pediculo &c. nam quod hic pediculum, ibi cauliculum libuit appellare, impropria utens appellatione. Sed magna ex parte proprie loquitur Dioscorides, ut cum Cotyledonem, Caucalida, syluestrem lactucam, chondryllam, atque infinitas ferè alias cauliculum habere dicit. Similiter, cum sarmenta sint uitis ipsius bracchiorum, & uirgulatum prælonga ligna; caulis uero de herbis proprie dicatur, sicuti caudex de arboribus, ut superius ex Theophrasto monuimus: iam luce clarius est Dioscoridem caulem accepisse pro sarmentis, loquens de labrusca: inquit enim folia, caules, & clauiculę, quibus repunt, uim habent cultæ uiti similem; uel pro caudice caulem hic sumpsit, ut quod tribuendum esset herbæ, arbori ascribat. sed proprie loquitur, cum de uite uinifera eodem cap. inquit, Lachryma uitium, quæ ueluti gummi, in caudicibus concrescit. sed cum de sambuco inquit in cauliculis circinnatas esse umbellas; per similitudinem teneros adhuc ramulos, herbaceosque cauliculos appellauit: quod & inferius eodē capite expressit, inquiens, caules teneri in patinis cocti. Immo & surculos dicit sambucum habere teretes, arundinaceos: cum rami potius appellandi sint, uel cū Theophrasto, uirgæ: si quidem surculus, ramis indiuiduus adhæret: ramus uero, qui à caule, uel caudice finditur in plura ueluti bracchia. ac sicuti cui ramulos dare debebat, non dedit; ita & aliquando dat, cui nō debet, ut gramini. scribit enim geniculatis serpere ramulis cum tamen uiticulæ potius in gramine adsint: quorum meminit tandem in cap. de holostio; quam dicit habere uiticulas gramini similes. quod si ramulos habere gramē contendas: saltem minus proprie holostio uiticulas tribuisse, eas gramini comparans, fatearis necesse est. Scio enim, cum proprie loqui intendit Dioscorides, per uiticulas intelligere teneras sarmentorum germinationes; ut à sarmentis in hoc distent, quod hæc lignosa, præduraque sint; illæ teneræ herbaceæque. Hoc facile colligitur ex ijs quæ in uite syluestri adnotat, sic scribens: Vitis syluestris sarmenta prelonga uitis modo emittit, aspera, lignosa, rimoso cortice. Inferius uero enascentes (inquit) viticulæ cibi gratia condiuntur. Idem colligitur in uite nigra: primo nanque dicit caules habere cognatos hederæ, smilacique (ubi nec prætereundum caules, pro sarmentis, vel saltem uiticulis accepisse.) Deinde subiungit, Viticulæ, quæ primo germinum partu erumpunt, in olera recipiuntur. Sec undum igitur hanc significationem, helxinem, cissampelon, cucumeres, colocynthida, aliasque eius generis plantas, viticulas habere recte

recte dixerimus: Vitem uero uiniferam, necnon uitem syluestrẽ sarmentis esse prædita; sic smilacem lęuem uiticulas, asperam uero sarmenta posidere dicemus. Improprie ergo colocynthidi, satiuo nec non syluestri cucumeri (vt ex syluestris descriptione elicitur) sarmẽta assignat; sicuti & uiti albæ uiticulas: hæc enim sarmẽta potius retinet: quia uel ipse Dioscorides addit, satiuam vitem æmulari: & res ipsa ostendit. Improprie etiam Helxine, quæ cognomento cissampelos dicitur, ramulos habere scribit. Nam quòd pro viticulis ramulos sumat, ex his quæ subiunxit, clare manifestat. quibus (inquiens) complectitur, quodcunque contigerit adminiculum. Eadem ferè loquendi formula vtitur in altera cyclamino: appellat enim in hac caules, qui circa vicinas arbores capreolorum modo se uoluunt: cum hæc uiticulis potius, vel etiam sarmentis conueniant. Ita & cum psylliũ sarmentosum esse scribit fœni modo, per similitudinem quandam potius, quàm quòd proprie se loqui existimaret, hoc dixit. Est enim psyllium, fœnumque quodammodo lentum fractuque peruicax, ut sarmenta. sicuti cum palmam elaten, caudicem habere statuit, ob eius crassitiem, duritiemque ab arboribus capta similitudine. Theophrastus etiam, primo de historia Plantarum, satis improprie caules appellauit, in arboribus, cum inquit, Caulium alij carnosi, ut roboris, ut fici, & ex minoribus glandis, betæ, cicutæ. Sic enodes arbores idem appellat eodem lib. non, ut nodo omnino careant (talis enim arbor nulla esse uidetur) sed accipit ita enodes, ut nodos paucos naturæ ordine habeant: qualis sambucus, laurus, ficus, denique omnia quibus cortex læuis. Radicem etiam pro fungo Galenus sumpsit in agarico, vi. simplicium, cum inquit, Agarici radix, hoc est quæ trunco innascitur. Nõ enim ueriſimile est Galenum id, quod arborum trunco adnascitur, radicem appellare uoluisse. quod etiam fortasse sentiebant, qui radicem illud esse plantæ (vt Dioscorides est auctor) asseuerabant. Multi igitur, dum proprietatem seruari in omnibus credunt, plurimas plantas, alioquin notissimas; non nouerunt. Hinc Manardi doctissimi deceptio, de nardi spica. credidit nanque id esse spicam, quod radix est. Sed (Galeno primo de antidotis auctore) per similitudinem, quã cum spica habet, hæc radix spica nominatur, non quòd re uera spica sit. neque enim propria appellatione utitur Dioscorides, alijque qui de ea loquuntur. Hinc scammonium inter uolubilum species, multi non esse existimarunt; quia ex Dioscoridis descriptione, re uera colligi minime potest. hocque non aliunde effectum est, nisi quòd in ea ramos appellat, quod viticulas appellare condecens erat. Quod si ex alijs auctoribus, hoc non explicaretur; atque à Mesue præsertim, incognita

gnita fortasse adhuc scammonia nobis esset, uel saltem de ea non ita certi essemus. Hinc multi Ononida non esse plantam illam, quæ passim resta bouis dicitur, ambigunt, propterea quòd in ea ueros geniculos non inueniunt. Sunt enim geniculi, nodi quidam, qui uel caules, uel radices, vel ramulos quodam ueluti circulo, uel annulo ambiunt; ex quibus uel ramulorum, vel furculorum, uel etiam frondiũ exortus esse solent, ut in arundine, & gramine; qui tamen in ononide non adsunt; sed semicirculi sunt in quacunque ramulorum germinatione, qui integram lineam non claudunt. Ibi igitur minus proprie geniculos constituit Dioscorides: atque ut huiusmodi planta cognoscatur, ad alias notas confugiendum erit, semper memoria Dioscoridis morem repetens. Nam si proprie ramulos sumpseris: Brasica marina adhuc nobis ignota est. de ea enim Dioscorides inquit, folia à ramulis rubentibus singula exeunt. Verum vulgata Soldanella, quæ omnium consensu, pro Brasica marina accipitur, ramulos non habet. Sed siquis ramulos pro caulibus sumpsisse, more suo, Dioscoridẽ putauerit; absque dubio hæc erit marina Brasica. Ita & non absque admiratione legimus in Dioscoride, crocum capreolos habere (ἕλικα Græci uocant, latini etiam clauiculam) cum proprie vitibus albis nigris, viniferis, capreoli inesse dicantur. Sunt enim coliculi cõtorti, vt capillorum cincinni, quibus vites veluti manibus uicinis arboribus sustentantur. Pariter cum antirrhinon semine uituli narium constare asserit, manifestum est (si modo vera sint, quæ de semine, & fructu, ex Galeno Theophrastoque adnotauimus) ibi semen pro fructu accepisse: nam quod vituli nares repręsentat, quædam ueluti siliqua est, in qua minutum semen continetur. Hinc est quod scorpioidem (de qua quarto libro vltimis uerbis Dioscorides) quamuis potius aliam accipiunt, quàm quæ à doctissimo Matthiolo depingitur; nixi nimirum quòd sua scorpioides siliquas quidem, siue fructus habeat scorpionis caudæ effigie; non autem semina, ut vult Dioscorides. vnde etiam effectum esse existimo, ut nonnulli calendulam vulgo dictam, scorpioidem esse asseuerent: quia nimirum eius semina caudam scorpionis æmulantur. Sed hi inualida multum ratione mouentur. accipit enim ibi semen pro fructu, sicuti in multis alijs: in hanc nanque significationem Terebinthum, ac marrubium semen habere tradit; sicuti & eupatorium eius semen pilosum, deorsumque spectans, quod siccatum uestibus inhæret depingens. ita & myrtum, lentiscumque semine constare asserit; cum verius fructum posidere has plantas uerius dicere potuisset, siue malis baccas. Quemadmodum propria nomenclatura utens dixit, hederam fructu constare, sambucum acino, quod

& idem

& idem ſonat. Nam Theophraſtus fructus ſambuco tribuit. quam qui Vergil. baccas in ebulo uocat, cum inquit

„ Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Hæc nomina indiſtinctim accipit Dioſcoridesin Thymelæa, eius acinos nunc fructus, nunc ſemina nuncupans. Atque hoc etiam capite idē in myrto feciſſe colligitur. Inquit enim Thymelęam fructu myrti conſtare; tamen capite de myrto inquit eam ſemē habere. Terebintho etiam ſemina conſtituit Dioſcorides; ſed Theophraſtus rectiori appellatione fructus. Apud quem ſiquis obſeruare intendat propriam ſeminis appellationē; illum legat primo de hiſt. cap. XVIII. ubi eius naturam ſpeculatur. Inquit enim ſeminum alia folliculis ueſtiri, alia uaſculis contineri: Item arborum nullam ſemine eſſe nudo; ſed aut carne obducto, aut cute, aut cruſta; & multa alia circa ſeminum differentias ponit: quæ ſi cum his quibus operiuntur, accipiantur; ſiue ſit ſiliqua, ſiue caro, ſiue cruſta, ſiue cutis, ſiue aliud quidpiam, fructus appellatur. in Meſpilo oſsicula appellat, quæ intus ſunt in oxyacantha, nucleos. Quare non abſque ratione dubitabat Manardus eruditiſsimus, an unguentariæ glandis oleum conficiendū eſſet ex fructu, an ex eo quod cortice obducitur, hoc eſt fructus ſubſtantia. ex Dioſcoridis nanque ſcriptura ex nucleo fieri debere colligitur. Nucleus autem & corticem continet, & id tenerum, quod in cortice continetur. quod totum ſemen uerius, quàm fructum dixeris: nam ſi totum fructum; mirum eſt quod à corticibus ita ſiccis oleum exprimi poſsit: ſi tantū ab eo quod intus eſt; uidetur Dioſcoridis ſcripturæ repugnare. Sed dicendum ibi fructum pro eo, quod in ſemine continetur, accepiſſe: quod oſtendit, (ut alia omittam) id quod ſubdit, præferri, quæ facile delibretur; quaſi delibratam aſſumi debere ex hoc ſignificaret. Cui & hodiernus uſus adſtipulatur: noſtri enim unguētarij ex ſeminis ſubſtantia, nō ex toto ſemine oleum de Bē (ita enim glandem unguentariā appellant) eliciūt. Cum præterea Aſarum ſemen habere acinoſum apud Dioſcoridem legimus, pro fructu ſemen accipi nemini dubium eſſe poterit. Sed propria ſeminum appellatione uſus eſt Dioſcorides in Aphaca, Smilace hortenſi, dorycnio, Eryſimo, ſmyrnio, ſecuridaca, alijſque quamplurimis. Verum non raro appellatione fructus ſemen uoluit intelligere: ſicuti è contrario in multis feciſſe ſuperius oſtendimus, ut in Alyſſo, cum inquit fructu pollere duplicium ſcutorum effigie. Verius enim ſemen appellaſſet, ut recte appellauit in Crocodilio, eadem appellatione utens, cum dixit; ſemen ei rotundum ineſt, duplex uti ſcutū. Nec minus in Myrſinite Tithymalo, ſi proprie loqui curaſſet; nō fructum, ſed ſemen eſſe nucis effigie dicere debuiſſet. Sic & capparis

fructus

fructus cum id sit, quod flore excusso glandis oblongę figura inueni-
tur: quod apertum grana acinis punicorum similia ostendit parua ru-
bicunda; ille tamen fructum appellat, quod oleæ simile est, quod cum
dehiscens panditur, florem candidum promit. Vbi clarum est fructum
appellasse, quod uerius flos immaturus, atque non adhuc adapertus
est. Nam & de hoc etiam inferius inquit, cibi gratia condiuntur; est
enim flos qui in cibos expetitur, immaturus tamen, non fructus:
Quid? quod Galenus VII. simplicium, in malo medica appellat semẽ
substantiam illam, in qua acidus succus continetur: in semine inquiẽs
uincentem esse qualitatem acidam, & siccam: vnde frigidum, & siccũ
tertio ordine statuit. quo quid potest dici improprius? quanquam
inferius nucleum re uera semen esse asserit: rursus tñ semen ipsam illã
substantiã appellat. In Auicẽna, qui idem à Galeno accipit, rem ipsam
clare distinctam non habemus: semen enim nunc calidum & siccum
in secundo ordine ponit; alias frigidum & siccum in tertio: cum illud
ad uerum semen; hoc ad acidũ succum referri debeat. ac nisi quis hoc
animaduerterit, Auicennam tanquam sibi ipsi contradicentem damna
bit. Quòd si igitur certi essemus in Asclepiade semen pro fructu sum-
psisse Dioscoridem, cum inquit eam possidere semen securidacæ simi-
le; acceptanda est (meo quidem iudicio) sententia eorum, qui ascle-
piadem eam plantam esse credunt, quam uincetoxicum uulgus appel-
lat: omnes enim notæ pulchre respondent. quòd si radices odoratæ
non sint; id loco ascribi poterit. Verum an proprie semen acceperit,
nec ne, non ausim affirmare: præsertimque quod neque siliqua vin-
cetoxici multam habet similitudinem cum securidacæ siliqua. Sed
hanc difficultatem remouere facile poterit, qui eius facultates experiri
tentauerit. Sæpe tamen multam operam impendebat Dioscorides in
nominibus recte imponendis. quod vtinam in omnibus executus
esset: noluit enim siliquas dignari eas, in quibus hormini semina oc-
cluduntur: vnde potius eas appellare uoluit eminentias siliquis simi-
les. Ita & Agallochum cute verius, quàm cortice uestiri tradit. Vt &
Plinius, qui in Amarantho spicam purpuream, verius quàm florem
appellat. Quin & magna erat apud quosdam contentio (vt Theophra
stus refert III. de historia Plantarũ cap. VI.) an robur, & nux auellana,
& castanea flores habere dicerẽtur. Alij enim negabant, sicuti & de pi-
no, & picea. Proprie enim loqui intendentes, Villum nucis, Muscum
roboris, Nucamentum piceæ, appellabant. Plinius etiam inquit, sili-
quæ semen, neque corpus, neque lignum, nec cartilago dici potest;
neque aliud nomen inueniat. Sed non laborauit, proprie loqui in ni-
gro Chamæleone, flores in vmbella spinosos ei inesse inquiens. Non

enim

enim flores ſpinoſi ſunt, ſed vmbella, quæ loculis, ſiue ſiliquis oblongis denſiſsimis, acutarum ſpinarum circumſeptis plena eſt: in quibus flores purpurei, oblongi, intus candidi, tenues, hyacinthi æmuli ſupereminent: ſed illa ſiliqua ſpinoſa ſemen occludit Cnyco ſimilem, adhuc uigentibus in ea floribus, quod tandem illis decidentibus matureſcit. hic igitur ſiliquas flores continentes, florum appellatione donat. Plinius etiam Ariſtolochiarum fructus, bacculas, nouo quodam uocabulo uidetur appellare: quas cappari comparat. vnde reprehenditur à nonnullis, ob inneptam ſimilitudinem. Verum, ſi mihi liceat, meam in hac referre ſententiam, ſi fructus capparis, iam maturos inſpiciamus, in pyri formam turbinantur; atque ab ariſtolochiarum fructibus uix diſtinguuntur: ac per hoc, ibi per Bacculas, fructus intelligere Plinium crediderim. Aptiori enim ſimilitudine, capparis fructus pyris comparabimus, quàm oblongæ glandi, vt Dioſcorides cõparat. Ita nanque, res ipſa oſtendit. Quòd ſi velimus dicere, pro bacculis ſemina intus contenta eum accipere; neq; reprobanda eſſet comparatio, etiamſi Dioſcorides, quæ in cappari ſunt, granatorum acinis comparet. neque enim multum diſtant, ariſtolochiæ ſemina ab illis. ſed priori ſententiæ magis innitimur. Ruellius in uulgata ſpathula fœtida pilulas appellat, quæ vere ſiliquæ ſunt; ſatis quidem impropria appellatione: Siquidem pilulæ, vel exacte rotundam faciem exprimunt, vel ſaltem teretem, & quæ non intus ſemina contineat, ſed ipſa tota ſeminibus coaleſcat. At ſpathula fœtida triangularem habet ſiliquam, intus ſemina habentem; ſed hoc nihili ducens, vult hanc plantam eſſe ſparganion. quod quidem concedi fortaſſe poſſet, ſi folia cæteræque notæ non penitus repugnarent: ac niſi verum ſparganium haberemus, non ſiliquas, ſed uere pilulas habens, cæterisque notis apte conueniens. Quæ de hiſce ſtirpium partibus dicuntur, dici etiam de ſuccis, ſiue liquoribus earundem poſſunt. Ita enim uarius in his eſt Dioſcorides, vt niſi nimiam habeamus diligentiam, proculdubio nos decipi neceſſe ſit. ſuccum nanque, & lac ſine ullo diſcrimine ſæpius accipit: cum tamen hæc diſtinguere, longe melius eſſet. Nam ſi rectam nominum impoſitionẽ inſequi uelimus; ſuccus per expreſſionem, ſiue contuſionem, vel etiam decoctionem excerptus, liquor eſt, qui quemuis colorem contrahere poteſt: ſed lac candidus liquor eſt ſolum; nec per expreſsionem attritionemúe collectus; ſed leuiter inciſa planta, vel etiam detruncata, ut in ficu, ac tithymalorum generibus patet: quod vel ex ipſo Dioſcoride multis in locis ſumitur, præſertim capite de ficubus, vbi inquit, hoc idem præſtat ſuccus è teneris ramis ſylueſtris fici, qui lacte prægnantes, ſilente adhuc oculo

tuſi

tusi exprimuntur, & siccatus in umbra reponitur. Deinde subiungit, & lac, & succus imponitur exulceratorijs medicamentis. Verum de succo vberius, capite de centaurio minore Dioscorides docet. hæc igi tur proprie accipere, sicuti & alia, non curauit Dioscorides. Hinc succo præditam esse brassicam marinam (quanuis albo addat) non recte videtur docere: quia album illum liquorem non attrita, sed leuiter fracta guttatim, sponteque exhibet: quod uere de lacte dicitur, vel de alio tenui liquore, vt qui ex maiori chelidonio, croceum præ se ferens liquorem, exit. Idem de Peplio dicit, album scilicet ei succũ tribuens: peplon uero lactei succi plenum esse scribit. sed hoc idem cum albo succo intelligitur. Verum in Chamæsyce, ramos succosos habere absolute profert; cum tamen lacteum addidisse præstasset. quam enim differentiam statuemus inter succum à radice centaurij maioris, necnon smyrnij emanantem; atque illum, qui è chamæsyces ramulis exit, si omnibus absolute succum ascribit? Hoc libuit distinguere in Peucedano, ex cuius radice, & caulibus, tam lac, quàm succum extrahi solere affirmat: vnde facile colligas, lac esse quod sponte emanat: quòd si diutius caulibus, vel radicibus adhæreat, in lachrymam conuertitur, quandam acquirens soliditatem: ac per hoc eodem capite subiungit, Verum inefficacior succo lachryma habetur, & velocius expirat. Sed non curauit in lactuca discrimẽ dare cum inquit, Cum in caulem exierunt, uim quandam nanciscuntur succo aut lacti syluestris lactucæ similem: quinimmo, capite de sycomoro, lac, succum, lachrymamque nullum apponens discrimen accipit; immo nullam seruans proprietatem sermonis. Appellat enim succum, qui lapidis ictu summo cortice desquamato eximitur; cum tamen cap. de ficu, per expressionem succum elici docuerit. Verum quod hic succum pro lacte sumat, indicant quæ superius eodem cap. dicit his verbis, Arbor est magna, multo lacte abundans; & etiam ex extrahendi formula clarius patet. Vocat tandem lac lachrymam subiungens, spongia, aut uellere lachryma excipitur. Ita igitur credendum est, in capite de Erino succũ pro lacte accepisse: quod herbula ipsa ostendit, & Plinius declarauit, lacteum succum erino tribuens, cæteris notis nihil à Dioscoride euarians. Huius nos duas species nouimus ocymo similes, quarum altera, altera maior est, lacteo liquore præditas. Sed quod hoc nouũ Dioscoridi non sit, patet cum ex his quæ diximus, tum ex alijs. Pityusa enim Tithymalorum generi ob hanc præcipuam rationem assignatur, quòd lacteo liquore turgeat: & tamen Dioscorides eius radicem dicit succo refertam esse, nihil de colore addens. Ita & scammoniæ radicem succo grauidam esse ponit, cum omnibus ferè notissimũ sit,

eum

eum ſuccum lacteum eſſe. Nec minus Alypi radicem acri ſucco prædi tam conſtituit, cum nulli non cognitum exiſtat, hanc lacteo humore prægnantem eſſe. Hæc igitur, cum tam confuſe proferantur, in cauſa fuere, cur multi deciperentur: nam ſi Apios radicem Dioſcorides lacte refertam eſſe dixiſſet, vt rei ueritas habet: nunquam Fuchſius pro apio herba, ſylueſtrem raphanum depinxiſſet. Hæc enim, & ſi ſuccoſam habet radicem; non tamen lacteam, vt uera apios habere debet; nam & cæteræ notæ, ac facultates multum repugnant. Sed etiamſi nõ adhuc cognoſceretur hæc planta, poſſet tamen non ſpernenda coniectura haberi, lacteo ſucco prædità eſſe debere: quòd Dioſcorides eius hiſtoriam inſerat inter alias plantas lacte prægnantes; & quam facultatem habere ſtatuit, infra ſupraque deijciendi. quæ non niſi his quæ potentiſsime humores educunt, tribui ab eo ſolet: hæ autem lacteæ ut plurimum ſunt. at quam Fuchſius depinxerat, uix uomitionem leuiter proritat. Siquis igitur ſimplicium peritus fieri optet, Dioſcoridis, Theophraſti, aliorumque ſcriptorum ſententias, non caſu, aut impetu quodam dijudicare debebit: ſed omnem induſtriam diligentiamque in illis recte percipiendis collocabit. in multis nanque facilis eorum lectio uidetur, quæ tamen difficillimum, ac penè inexplicabilem ſenſum recondit. Inter cætera igitur attente uideat, cum aliquam plantarum partem nominant, debeat'ne proprie illum accipere an ſecus. Ita enim, & ipſe rariſsime in errore uerſabitur; & aliorum falſas opiniones, erroresque turbulentos, & ſuperſtitiones pene aniles coarguet.

Aequiuocationes circa plantarum ſpecies euenientes; quæ ſimplicium dignotionem impediunt, & vſum peruertunt. Cap. VIII.

GENERA in medicamentis duobus modis accipi poſſe, iam diximus, uel pro illis ad quę omnes plantę deduci poſſunt, uel pro his quæ rectiori appellatione ſpecies dici debere monuimus: à quibus tractationem de nomenclaturis non immerito auſpicati ſumus. in his enim ſolis proprietas (quanquam & improprietatem etiam habent) conſiderari poterat, quam cunctis alijs præcedere operæpretium duximus. Deinde ad genera proprie accepta acceſsimus, ac quicquid circa ea examinari debebat, declarauimus. Verũ tractationem de nominibus partium plantarum, quia quandam connexionem cum hac habere uidebatur, antequam ad ſpecierum improprietatem accederemus, intermittere libuit. qua tandem abſoluta ad ſpecies rurſus reuertimur, earum æquiuocationes proponere intendentes; quæ tam multæ ſunt in Dioſcoride,

scoride,non solum si sua scripta inter se cõparentur; sed etiam ad aliorum auctorum,cum ex græcis, tum ex latinis,tum etiam arabibus monumenta collata; ut errare medicos eruditos, ad hominum perniciem usque sæpissime coëgerint. sed extra rem fortasse cuipiam uidebitur, de hac nominum similitudine hoc loco sermonem inferere; ut quæ continere debeat non ea solum, quæ è Dioscoride excerpentur, Theophrastoque (quã rem nos in hac tractatione potissimum affectamus) sed etiam ex græcis alijs nonnulla, aliqua etiam à latinis, arabibusque alia mutuabitur. Verum non ita res habet: nam quæ ex alijs dicentur, non nisi inquantũ Dioscoridis dictis elucidandis necessaria uidebuntur,in medium afferentur.quam obrem hinc duplex utilitas emanabit: nam & propositam tractationem recto filo sequemur; & interim multa aliorum auctorum scitu non indigna manifestabimus. Hoc autem non propter aliud, nisi ut æquiuoca, quæ inter eos, & Dioscoridem cadunt,distinguantur. Ne scilicet existimantes eodem nomine à Dioscoride alijsque rem unam intelligi, cum diuersas re uera intelligant: ad usum ducant ea medicamenta, quæ uel diuersa, uel etiam contraria (ut sæpius accidit) utentis menti existant. quæ ob id etiam hoc loco inseruntur, quia Dioscoridis simplicia conamur perfectissime cognoscere, non solum ut ijs sigillatim uti; sed ut Galeni, Archigenis, Sorani, Heræ, aliorumque probatissimorum medicorum compositiones dijudicare,ac ad usum reuocare ualeamus: sed primo de his dicendum æquiuocationibus,quę circa Dioscoridis scripta animaduerti possunt; deinde ad alia transibimus. Nam quanuis per ænigmata non scripserit Dioscorides,nec symbolice,ut ille(de quo primo κατὰ τόπους Galenus) qui Adarcem, pericalamitida appellat; Vrsum uero, infantem informem; sicuti & fœnũ græcũ, calliceros; Vitim,Dionysiacum,& multa alia eodem modo: sed usitatioribus uocabulis, & quæ omnibus ferè medicis sui temporis frequentatissima erant: non potuit tamen æquiuocorum difficultates effugere. quod nõ propterea Dioscoridi uitio uertetur; sed rei ipsius difficultati. ex his autem multa adnotauit Dioscorides, ut omnem nobis errandi ansam,quantum fieri posset, removeret: nõnulla tamen,nescio qua ratione,suis perplexa nodis reliquit. Declarauit enim in olea Aethiopica æquiuocationem; quia & arbor per se est,hoc nomine appellata:& syluestrem oleam,quam latini oleastrum appellant,eodẽ nomine censeri asserit, tum capite de olea æthiopica, tum etiam cap.de agresti olea: ut si quando in ueterum compositionibus de ea mentio fiat,non statim alterutram accipiamus; sed considerem us, quamnam accipiendam esse præcipiat.Declarat & elates nomen, quod conuenire ait inuolucro calyciúe fructus plantarum, ad-

nuc

huc florentium (ſpatham etiam appellari tradit) inuolutumque in ea elates fructum, quem ſuo amplexu fouet, elaten etiam appellari ſolere docet, & ab aliquibus Boraſſum. immo & ἐλάτη apud græcos abietem ſignificat. Verum ſi quando abſolute inueniamus de elate mentionem in compoſito aliquo medicamento: conſiderandum nobis eſt, de fructu'ne, an de fructus inuolucro intelligat, an potius de abiete. Quantum nanq; hoc referat, Plinij error declarat; qui abietem, & elaten confundit, Elaten (inquiens) quod nos abietem, alij palmam, alij ſpathon uocant, arborem eſſe, quæ in unguenta ad oleum domandum addatur. ubi palàm eſt, hoc ex aliquo auctore accepiſſe, qui inuolucrũ fructus intelligebat, non fructum, nec abietem, ut clarius mox patebit. Ita & ſiquando ſylueſtre nardũ aliquam ingredi compoſitionem uideamus; nobis penſitandum relinquitur, debeamus'ne Aſarum, an phu accipere: utrunque enim ſylueſtre nardum propter odoris affinitatem appellari Dioſcorides aſſerit. Simili modo, cum tam Cyperus, quàm aſpalathus Eryſiſceptron appelletur; ſi cuipiam libeat hac uoce eryſiſceptro uti, propria aſpernatus nomina: nõ ne nobis coniectandũ eſt utram ex his plantis accipiat? nam ſi utramlibet accipiamus, poterimus noſtra ſpe facile fruſtrari. Quòd enim quandoque auctores prijs medicaminũ nominibus relictis, quæ minus propria ſunt, uſurpẽt, uel ex ipſo Dioſcoride colligitur; qui malabathrum nardi nomine donat, capite de Onyche: inquit enim unguem odoratum in Indiæ nardiferis lacub. inueniri; ſuauem ideo ſpirans odorem, quòd conchilia inibi nardi pabulo ueſcantur. quæ uerba niſi ſano modo intelligantur, abſurdiſsima hic Dioſcorides docere exiſtimabitur: cum enim dixerit nardum in mõte oriri, cuius una pars ad Syrios, pars altera ad Indos flectitur; quomodo hic rurſus in Indiæ lacub. nardum oriri dicit? Sed quia malabathrum quadam odoris cognatione ab aliquibus nardum appellabatur; immo à quibuſdam nardi folium re uera credebatur: uoluit eo capite vulgarem inſequi ſententiam; vngues odoratos nardo veſci inquiẽs, cum malabathro rei ueritate ueſcantur. Multa alia ſunt, quæ cum diuerſa ſint, & facultate, & forma: idem nomen ſortiuntur; ut Caſtaneæ, & nuces communem habẽt iuglandis appellationem. Struthium eſt planta, quæ alio nomine radicula, & lanaria appellatur: ſed & ſtruthion etiam eſt mali cotonei genus quoddam. in qua uoce, Plinij inſignem lapſum adnotare licet (ne fruſtra hæc nos animaduertiſſe exiſtimes) qui animal pro herba acceperit. Inquit enim ſpumei papaueris folia ſi procul intuearis, ſpeciem paſſerum repræſentare (hæc enim auicula ſtruthios dicitur) cum debuiſſet eas comparare lanariæ herbę; quę & ſtruthios etiam, uti diximus, uocatur; cui & Dioſcorides aphro-

dis papaueris folia similia esse tradit. Sycomorum ab aliquibus etiam sycaminum, hoc est morum appellari scribit Dioscorides, & tamen morus arbor alia est, quæ à sycomoro longe distat. Pseudocinnamomum Zingiberis nomine donari scribit: sed Gingiberis, quod alio nomine zingiber etiam dicitur, radix arboris est, à Pseudocinnamomo aliena. Caucalis herbula est. sed inter myrrhæ species est quædam cui caucalidi nomen ineſt. neque deerant qui caucalida plantam, syluestre daucũ appellarent: cum tamen alia sit, quã syluestre daucum proprio sibi nomine appellari cõueniat. Lonchitidis prẹterea duas species proprio capite describit. uerum lonchitida etiam appellari aculeatum fruticem quendam, cap. de lycio scribit; ex quo Indicum fiebat lycium, ut ex aliorum sententia acceperat. Pytides appellari ait, tam pinorum, quàm piceæ fructus, qui in conis inueniuntur, cum proprie fructus existant πιτύων (siue piceam interpreteris, siue malis pinum, nolo enim hoc determinare) sed per abusum ita etiam peucis fructum nuncupari docet Galenus VIII. simplicium. Palmæ fructus palmam appellare, eodem cũ tota arbore nomine græcis omnibus morem esse, idem Galenus auctor est II. de alimentorum facultatibus. Smyrnion planta est de qua III. lib. Dioscorides, uerum & hipposelinũ ab aliquibus smyrnion appellari scribit. Ita & eandem smyrnion, petroselinon dici in Cilicia asseuerat; cum tamen sui generis sit petroselinon, de quo inter selini species Dioscorides loquitur. Zopissa, derasa est à nauibus resina cum cera; ut ex aliorum sententia Dioscorides scribit: atque idem piceam resinam ab aliquibus hoc nomine uocari eodem cap. asserit. Sisymbrium primum serpyllũ syluestre ab aliquibus dicebatur; sed suigeneris est planta syluestre serpyllum. Sisymbrium alterum Sion etiã appellari tradit; sed est sion herba alia diuersa, folijs olusatro similibus odoratis. qui nominum concursus errandi ansam Plinio præbuere, quippe qui sij, & sisymbrij aquatici facultates confundit. Item cum Telephion plãta quẹdam sit, de qua Dioscorides ultimo capite secundi libri: eodem tamen nomine censeri tertium semperuiuum statuit; quod & portulaca syluestris etiam dicitur; sed hoc proprium est alterius plantẹ nomen. Gingidium aliquibus lepidium dicebatur: aliquibus è contrario, quod uere lepidium erat, Gingidij nomine nuncupabatur. sunt tamen duæ plantæ facultatibus ualde diuersæ. Pari modo Dictamnum Creticum, ac secũda calaminthẹ species, syluestris pulegij nomen sortiuntur. Appellatur & Pancration Scilla; cum diuersam esse constet ab ea, quæ uere scilla dicitur. Moly herba est graminis folijs latioribus: syluestris tamen ruta in Cappadocia, & Galatia Moly etiã dicebatur. Chamẹdrys Teucrij nomẽ habuit, ob eam quam cum uero

Teucrio

Teucrio habèt fimilitudinem. Sunt & innumerę ferè alíæ ſtirpes, quę nomine conſentiunt in Dioſcoride;re tamen diſcrepant. quæ non paucam prouinciam ijs exhibent, qui aliorum compoſitiones euoluunt; cum neſciant quid eo nomine intelligere uelint, ſub quo multiplex ſignificatio includitur. Nam ſiquis ſplenion ad aliquem affectum prę-
cipi adinueniat, cur non dubitet, an aſplenon, an hemionitida accipiat;cum utraque planta ſplenium dicatur? Immo & adhuc anceps eſſe poterit, an de linteo intelligat,quo medicamẽta excipiuntur,quia & hoc ſplenium appellatur. Pariter & anceps ſit neceſſe eſt, an pro Amaraco ſumere debeat Parthenium, an potius ſampſuchum: vtriq; enim amaraci nomen ineſt. Idẽ eueniet de Androſemone: quo nomine cẽſetur tũ planta proprio nomine ſic appellata,tum etiam hypericõ. ſed & hyperici nomen datur etiã Cori,ac rurſus Coris nomẽ hyperico: quin immo & idem Hypericon chamępityn appellari ſcribit Dioſcorides: cum tamen cui chamæpityos nomen aſsignatur, ualde ab hac diſtet. Atq; hac forte ratione deceptus eſt Petronius Niger (de quo Dioſcordes in prefatione) qui Androſęmon eãdem herbam cum hyperico eſſe exiſtimabat. In tanta igitur rerum difficultate, ut difficile eſt res ipſas diſtinguere; ita pulcherrimum eſſet,regulas quaſdam inuenire,quibus nos hęc diſcernere ad hominum maximam utilitatẽ ualeamus: quod & nos exequi tẽtabimus, proprio opuſculo ad id deſtinato. Sed ut nũc quidem eſt, hęc pauca admonebimus ad hoc maxime conducentia. Nã quæ ſimplicia idem nomen ſortiuntur, raro admodum facultatibus conueniunt; ſed magna ex parte diſcrepant: in his igitur auctoris mẽs ſpectanda uenit, vt ſciamus ad quam intentionem, ad quemũe affectũ medicamẽtum illud exhibeatur: deinde medicamenti uis conſulenda, an cum affectu conueniat; atque ita in multis certior fieri poteris; vt ſi elates mentio abſolute à quopiam fiat, eiusque uſus ad unguenta inſpiſſanda præcipiatur: iam clarum eſt, nos nõ fructum, ſed fructus involucrum ſumere oportere: quia fructus non ſic unguentis expetitur (auctore Dioſcoride) ut eius operimentum, etiamſi utranque elates nomen retineat. Ita & ſi Eryſiſceptron ponat quis pro medicamento ad ſcorpionis ictus; ſi aſpalathum ſumpſeris,non dubium eſt,quin toto cælo erraturus ſis: quia Aſpalathus quod eryſiſceptron appellatur, ad unguentorum ſpiſſamenta ſolummodo uſum habet. Verum cum cyperus eodem polleat nomine; eique ſcorpionis ictus ſanandi facultas tribuatur: ſi hanc accipiendam eſſe neſcieris, rudis omnino ſis. Ita & ex utẽdi formula multa cognoſces: nam cum ſplenium ſit linteus, ſiue laneus pannus, excipiendis medicamentis idoneus: nunquam ita obſcure loqui poterit auctor, quin ſcias de medicamẽto ne, an de pan-

AT LARGE VENEZIA

no intelligendũ sit. nam si de panno linteisúe, similibus loquendi formulis utetur: splenio superimpone: splenio excipe: splenium huic, uel illi liquori infundito, vt sæpius in lib. κατὰ τόπους inuenimus apud antiquorum pharmaca à Galeno recitata. quòd si de medicamento intelligat; præter id quod alio loquendi genere vtetur, eius etiam modum quantitatemque apponet, drachmis, obolis, uncijs, libris, alioúe id genus pondere commensuratum. Siquis igitur horum admonitus, aconiti mentionem reperiat; dubitetq; an eius plantæ speciem aliquam assumat, quæ inter uenena recensentur; an magis fictilis genus non picati, in quod ustam iam resinam recondi iubet Dioscorides: is plane ridiculus nebulo mihi existimabitur. Exhibendi etiam modus considerandus est. nam si venenatam habeat qualitatem aliquod medicamentum, ac intro exibeatur: quis est tam stupidus, qui nesciat de hoc intelligi non debere? & tamen adsunt (proh scelus) qui hoc non considerent, non nostra solum tempestate, sed antiqua: Plinius enim lib. XXIX. cap. I. sic scribit. Comperiqúe vulgo pro Cinnabari indica in » medicamenta minium addi insciția nominis, quod esse uenenum do- » cebimus inter pigmenta. Hæc Plinius. Verum de recentioribus hic » nihil dicam, quia in longum nimis abiret oratio. Auctoris postremo mos considerandus: sunt enim alia alijs nomina usitatiora, ac magis familiaria: nam prout quisquam aliqua appellatione in una planta frequentius, quàm in alia vtitur; ita de illa potius quàm de alia illum intelligere est existimandum. Galenus enim cum Bryoniam absolute profert, semper uitem nigram intelligit, vt in primo κατὰ τόπους, in psiIothris Critonis. in eadem nanq; compositione vitem albam, & Bryoniam ponit: quodqúe huius fuerit mentis, colligitur ex VI. simplicium; vbi ait vitem nigram uocari proprie bryoniam; licet dicat uitẽ albam ab alijs bryoniam appellari. Dioscorides tamen absolute, per bryoniam uitem albam intelligit. nam vitem nigram nuncupari tradit nigram bryoniam. Amaracum Galenus appellat, quod Dioscorides parthenium potius appellare uoluit: tametsi utrũque nomen ei cognitum esset. Hinc effectum est, ut multi existimarent, de parthenio apud Galenum nullam fieri mentionem. Ita & Cneori nomen faniliarius est Theophrasto, per quod Thymelæam, & Chameleã intelligit: (casiam uertit Gaza) Dioscoridi uero usitatius Thymeleæ nomen, & Chamelææ; sicuti & Hygino Casiæ, vt auctor est Plinius. Præterea etiamsi sciat Galenus Damasonium Alisma appellari, frequentius tamen Damasonij nomen usurpat. Dioscorides autem alismatis nomine crebrius utitur: sicuti idem libentius aconiti Pardaliãches nomen uidetur proferre; Theophrastus tamen Thelyphonũ potius

tius appellat', ne Aconiti quidem nomine illud dignatus. Sic & Croton familiare nomen est Theophrasto, Dioscoridi tamen, & Plinio Ricinus. Andromachus etiam sylvestrem rutam, Syriaco nomine Besasa, necnon Harmalam uocat, apud Galenum libris compositorum pharmacorum secundum loca: vbi inter alia stomaticum ex ea conficit. Galenus præterea Amaranthum appellat, nihil de helichryso loquens: Dioscoridi, etiamsi utrunque nomen habeat, Helichryson tamen familiarius. Ita & in multis alijs apud diuersos scriptores adinueniemus. Hæc, quanquam aberrare à scopo uidentur, non tamen carent vtilitate: nam qui ea non considerarunt, in inextricabiles labyrinthos perplexi sunt; posterisque multa absurda scripta demandarunt. hinc circa simplicium medicaminum scientiam, tot ac tam uariæ hæreses, quæ hominum animis ita inueteratæ sunt, tamque pertinaciter hærent, vt, etiamsi ueritatem uideant, ac cognoscant: malint tamen suis erroribus falsissimisque sententijs inuolui, quàm eam amplecti. hinc adianti nomine cum aliam à uera adianto dignent, illa pro adianto utuntur. Quin & cum nescient polytrichum, idem cum adianto esse, pro eo accipiunt plantam, quæ Dioscoridis Trichomanes est. Ita & cum scolopendrion ea planta sit, quæ proprio nomine asplenon dicitur; recentiorum tamen turba pari uoto, vulgarem linguam ceruinam scolopendriam appellat; illamque pro scolopendrio utuntur: cum hæc potius phyllitis sit apud Dioscoridem. Præterea millefolium plantam illam appellant, quæ stratiotes millefoliũ à Dioscoride dicitur, ac pro uero utuntur millefolio: cum tamen hæc sit ab illa multum diuersa, à Dioscoride Myriophyllon appellata. Similiter & uerum apium, petroselinon uocant. sed ab apio diuersum est, petroselinon Dioscoridis: immo & eiusdem eleoselinon apium nominant; proque apio substituunt. Hæc enim, & alia medicamenta, quòd proprio, uel alieno nomine uocitentur, non multum referret: verum huiusmodi nomen (quod multi momenti est) alienum etiam medicamentum secum trahit, quod uice ueri substituitur; ac in locum non suum, non sine languentium damno adscisitur. Neque solum in ijs, quæ idem nomen sortiuntur, cum diuersa sint, hoc euenit, sed etiam in multis alijs, quæ affinitatem nominis retinent, vna, uel altera litera mutata, addita, uel dempta, sicuti in scordio, cuius uice, allij sylvestris speciem quandam substituunt; illamque scordium uocitant, deceptinimirum quod allium à Græcis scoradon dicitur. In quo errore, uel Auicennam ipsum uersari uidemus: vnde & in hoc minus culpandi sunt id genus hominum. quod siue ipsius, siue interpretum causa euenerit; eorum qui arabicas literas callent, iudicium esto. Verum

id quanto errore exequantur, qui scordij formam, facultatesque probe cognouerit, recte sciet. Ita & Been radicem, pro Ben appellato (quæ glans vnguentaria à Dioscoride dicitur) accipiunt. In similes lapsus (ne recentiores admiremur solos) sæpius incidisse Plinium perspicimus, ut qui dulcem radicem inter aculeatas plantas constituat; cum tamen multum hoc à ueritate abhorreat: sed deceptus est nominum affinitate, schini, quod echinum significat, & echini, quod græcis est hirtum, seu spinosum: vnde cum uellet dicere folia lentisci (ita enim comparat Dioscorides) dixit glycyrrhizæ folia spinosa ac hirta. similis eiusdem lapsus conspicitur in hormino, cuius folia porro comparat: cum tamen marrubio comparari debeant. Nec minus stachyos folia, marrubij similia esse dicere debuisset, ipse nihilominus porro comparat. Erroris causa in utrisque est uicinitas uocum prasij, & prasi. nam prasion græcis marrubium latinis est; prasum uerò ijsdem porrum nostro idiomate significat. Idē ferè error in Plinio uidetur, circa ladanum, quod uult sordem esse, quæ à capris asportatur, dum hedera uescuntur. sed quantum ex omnium historia colligitur, præsertim q; à Dioscoride, ladanū à tertia Cisthi specie fit, dum à capris estur. Sed cum græce hedera Cissos dicatur, ipse cissum pro cistho accepit, ac latino idiomate loquens dixit, ladanum ab hedera fieri. Sunt & nonnulli alij consimiles lapsus in Plinio, de quibus alij copiosius loquuntur. quos legere poterit, qui eorum sit curiosus. Idem ferè Ruellio euenit Dioscoridis interpreti, necnon etiam Marcello, qui φιλλυρέαν Tiliam interpretantur, cum hæc φίλυρα græcis dicatur. vnde nominis affinitas etiam in re ipsa errare eos coëgit, ut Tiliam esse crederent; cuius descriptio phillyreæ conuenit. In quo errore uersari etiam uidetur Plinius; cum asserat Tiliam esse arborem modica proceritate. constat enim proceram arborem esse Tiliam, quod & Matthiolus animaduertit. Arabes etiam non semel, in eosdem errores incidêre. Auicenna nanque ex nominum similitudine chamæleæ & chamæleonis, ea recenset de chamælea, quæ de chamæleone Dioscorides, ut capite de Mezereo apud eum uidere est; per quam, chamælcam Arabes omnes intelligunt. Sunt postremo animaduertendæ æquiuocationes, quæ inter Dioscoridem & alios celebres scriptores cadunt: quo pro illorum mentibus simplicia ad usum ducantur. vt si eupatorium assumere ad medicum usum uelimus, quia hoc nomen tribus plantis diuersis à totidem scriptoribus delineatis datur: considerandum nobis est, quam nam ex his tribus sumere oporteat. est nanque Dioscoridis eupatoriū à Mesuci eupatorio ualde diuersum, pariter & Auicennæ eupatorium, ab utrisque multum distat; vt ex eorum descriptionibus diuersis apparet.

paret. Ac prout ab hoc,uel illo ſcriptore,ad aliquem affectionem prę-
cipitur, ita hoc uel illud aſſumemus. non enim recte fecerit quis, ſi
Auicennæ uel Meſuei eupatorium acceperit, illoque ad Dioſcoridis
mentem utatur. Orobanche etiam Dioſcoridis diuerſa eſt,ab ea quam
Theophraſtus depingit: Illa enim eſt, quæ inter legumina naſcitur,
quæ & ſuffocat, eorum rapiens alimentum; quæ & Nega vulgo(quaſi
necam dicere uellent) appellatur: Hæc uero eſt, quæ ab arabibus Caſ-
ſuta, à uulgaribus cuſcuta nuncupatur. quæ cum Thymo adnaſcitur
epithymi nomen ſortitur. Paliurus item Dioſcoridis à Theophraſti
Paliuro differt; eſt enim Dioſcoridis, quæ uulgo ſpino bianco dici-
tur, alijsque oxyacantha exiſtimatur: Theophraſti uero, eſt quæ pro
tertia rhammi ſpecie à Dioſcoride deſcribitur. Alyſſon Dioſcoridis
eſt planta quædam unicaulis, quæ ſemen fert duplici ſcuto ſimile.
Galenus uero pro Alyſſo,longe aliam deſcribit libro de antidotis,mar
rubio ſimilem, ſpinoſis orbiculis. Nominum igitur conuenientiá de-
clarari tanti mométi eſt,ut niſi ſumma cũ attentione fiat,in multos nõ
leues errores hominem agant:cũ aliud pro alio medicamento neceſſa-
rio accepturus ſit,quod diuerſam,nõnunquam etiam ex toto oppoſitã
habet qualitatẽ ei,quẽ curare intendit,affectui. Videmus etenim prece
dẽtis ſeculi medicos,qui inter celebres habẽtur,& ſunt,ut ex eorũ mo-
numẽtis liquido apparet,omnes ferè cathartice caſię corticem ad men
ſes educendos præcipere, qui præſertim ob excrementorum copiam
ac craſsitiem ſupprimũtur. cum tamen neque ratio perſuadeat, neque
experientia unquã comprobatum ſit, ſolutiuæ caſiæ cortices ciendorũ
menſium uim aliquam habere. Verum nominum conuenientia uiros
hoſce in hunc ita manifeſtum errorem deduxit. Caſiam enim odora-
tam multi ex antiquis, ac potiſsimum Andromachus iunior(ut primo
de antidotis teſtatur Galenus) fiſtulam caſiam appellabant. quia ni-
mirum ab eius ſarmentis detractus cortex fiſtuloſus ſit. Verum & ca-
ſiam catharticem,ſiue ſolutiuam, Arabes, eoſque recentiores ſecuti,fi-
ſtulam etiam caſiam nuncupant. Odorata tamen caſia (quod uulgatũ
cinnamomum eſt) ad menſes educendos ob miram, quam habet par-
tium tenuitatem,mirifice cõmendatur. Illi igitur,cum apud Galenum
uiderint fiſtulam caſiam ad ciendos menſes propinari,exiſtimantes eã-
dem eſſe cum arabum caſia fiſtula, hanc exhibuerunt, pudendo quidẽ
errore; in quo permultos etiam noſtris temporibus uerſari uideo. Vt
igitur iſti errarũt; ita & alij in eiuſdẽ caſiæ nomine errare facile queãt,
eam, quæ ab Hygino ita appellatur, atque (ſi Gazæ interpretationem
inſequamur) etiam à Theophraſto,ad menſes educendos exhibendo:
vice nimirum odoratæ accipientes, uel ad aluum leuiter emolliendũ;

catharticam credentes esse casiam. Posset enim hic error hominem ad interitum facile perducere; cum Hygini, Theophrastique casia (est enim Cneoron) uehementissime pituitam, bilemque extrahat. Sed facilior errandi occasio ei præbebitur, qui Actuarium legerit, ac Theophrastum. appellat enim nigram casiam Actuarius, quam catharticã diximus appellari; quamque ad retorridam bilem leuiter educendam ualere affirmat. at Theophrastus nigram casiam uocat, uel thymelææ speciem quandã myricæ similem: quæ licet à Thymelæa Dioscoridis, chamælæaque, quantum ad formam attinet, sit diuersa, est tamen facultate similis; illam enim nos sæpius legimus in Apuliæ maritimis, atque ex Aenaria insula adlatam aspeximus, quæ degustata fauces mirum in modum exurit. Eandem ob rationem non leuiter reprehendendi ueniunt quamplurimi ex recentioribus, qui uirgam pastoris cum Pandectarum auctore eam plantam appellant, quæ Dipsacos à Dioscoride nominatur; immo & pro Arabum virga pastoris utuntur: attamen secundum hos virga Pastoris, est Dioscoridis polygonon; quæ quãtum differat facultate à dipsaco, omnes norunt. Simili errore ducti multi, Alsinem (de qua Dioscorides lib. IIII.) eandem esse cum muris auricula existimarũt, cuius Dioscorides II. lib. meminit, propterea quòd alsinem myosota etiã appellari ab aliquibus asserit Dioscorides. quare quęcunque de alsine dicũtur, multi ad myosota trãstulerunt, ut in multis Dioscoridis codicibus uidere est. in emendatis tamen dépta sunt, ac inter Dioscoridis notha habita. Nescientes itẽ muscum apud antiquiores esse, quod bryon, siue splachnon etiam appellatur; quodque in cedro arbore, populo alba, & quercu inuenitur; ac credentes idem cum mosco uulgari, re quidem odoratissima, esse: ubicunque de musco mentio est, illi odoratum moscum assumunt, decepti tum nominis affinitate, tum etiam quod apud Galenum in libris κατὰ τόπους odorati muscí mentionem sæpius fieri uident. ubi non aduertunt Bryon illud laudari, quod suaue olet; ac inter omnes species, quod à cedro arbore sumitur, præcipuum locum ideo habere, quod omnium odoratissimus sit. Verum quam magnus error sit, uulgatum moscum pro splachno assumere, facile est cuiuis existimare. Bryon enim astringendi; moscus aperiendi uim habet. Nec minus multos errare uidimus, existimantes easdem esse spinã albam, & albam spinam (acantha leuce, & leucacantha græcis) atque utramlibet, nullum discrimen apponentes, assumunt, nominis significationi potius attenti, quàm plantarum uarietati. Dioscorides enim de spina alba III. libro, cap. XII. sed de alba spina eodẽ libro, cap. XIX. loquitur. Sunt qui pro dauco, syluestrem pastinacam accipiendam esse moneant, nullam inter has diuersitatem apponentes,

decepti

decepti Galeni lectione, qui daucum ſylueſtre à nonnullis paſtinacã appellari tradit. quam ſententiam præter id quod non recte perpendunt, non uident etiam ſeparatis capitibus de utriſque Galenum eſſe locutum: ſic & nonnulli chamædaphnem putant prouincam appellatã; quæ uere clematis daphnoides eſt: quod ab aliquibus, præſertimq; à Plinio clematim, ob ſimilitudinẽ chamædaphnem uocatam uideant. Ita & pro Eryngio multi ſecacul Serapionis accipiunt: quod ſcilicet in nonnullis codicibus inueniant caput hoc in Serapione inſcriptum de ſecacul & Iringis: neque uident eundem Serapionẽ de eryngio ſeparato capite egiſſe: quod ſtatuit inter medicamenta exſiccantia. Secacul vero humectandi uim habere tradit: ita & curcumã appellat Serapio, quam Dioſcorides Chelidonium, Auicenna Caucum. Verum ſeplaſię curcumæ nomine dicunt Indicum Cyperum à Dioſcoride depictum. eſt enim radix zingiberi ſimilis figura, colore lutea, lanarum infectoribus magis, quàm medicis deſeruiens. Cumque apud Serapionis compoſitiones nonnunquam curcumam inueniant: ipſi credentes eandem eſſe cum uulgata curcuma, Cyperi Indici radicem in his accipiunt, cũ chelidonium maius aſſumere debeant. Harmala Dioſcorides Syriaca lingua (ut ſuperius diximus) ſylueſtrem rutam appellat. at adſunt qui arabum compoſitionibus cicutæ ſemen pro harmala, ſeu harmel accipiunt: cum tamen ex arabum ſententia nihil aliud harmel ſit, quã ſylueſtris ruta: hocque non aliunde effectum eſt, niſi quia neſcio quibus auctoribus fidem adhibentes, quaſdam nugas de harmel cum aſpiratione, et ſine, legerunt. Quòd ſi liceret aliorum auctorum medicamenta recenſere, quę anſam errandi nobis prębere ob nominis affinitatẽ poſſent: multa in mediũ afferre poſſem, ut hermodactylos, quos Actuarius in antidoto diamoſcu diuidit in albos & puniceos. per quos eas radices intelligit, quæ been album, & rubrum appellantur, quæque ad ſemen augendum exhiberi ſolent. Sed Arabum Hermodactyli, radices ſunt candidæ, quę ad humores craſſos potiſſimum à iuncturis extrahẽdos, præcipiuntur. pro quibus nunc, admirando errore, hominumque maxima pernicie, colchicon, lethalẽ radicem paſsim uſurpant. Sed à propoſito noſtro maxime aberraremus; ſi aliorum auctorum æquiuocationes omnes hic adnotare aggrederemur: nã nobis ſatis eſſe poterit, ſi quæ Dioſcoridem obſcurum reddere poterant, animaduerterimus: ex quibus multa ſilẽtio prętiri potuiſſe abſque libri in commodo, quiſpiam iure putauerit; quod etiamſi ita eſſe ei conceſſerimus, magnam tamen inde utilitatem cum conſecutum fuiſſe minime negabit.

Mos Dioscoridis in plantarum generibus distinguendis. *Cap.* IX.

PROXIMVM est, vt ad eas stirpium multiplicitates accedamus, quæ in numero considerari possunt (nam de nominibus quidem, quæcunque dici poterant, copiose, puto, diximus) hoc tamen non probe assequemur, nisi quædam prælibentur; quæ ut necessaria cognitu sunt, ita uel nemini, uel paucis intellecta. Mos enim Dioscoridis, ut & Theophrasti, aliorumque antiquorum scriptorum, fuit, ut quæcunq; necessaria videbantur, in medium afferrent, ac interim breuitati studerent; quo simul & utilia posteris demandarent, & lectores breuitatis suauitate ad sua scripta iterum, atque iterum legenda allicerent. Vnde quæ in illis affinitate quadam includi possent, ac per se inferri, omittebant: vt per se ipsi lectores, corollaria ex dictis necessario consequentia elicerent. Ac quantum ipse obseruare ualui, video Dioscoridem ea simplicia medicamenta genere distinguere, quæ uel forma, & facultatibus omnino discreparent, vel si in forma conuenirent, uirtutibus saltem diuersa essent, vel virtutibus eadem, formaque dissimilia: Verum quæ & forma, & facultate conuenirent; quanquam uel loco, uel tempore, uel aliqua sui parte, pauci tamen momenti non consentirent; non curauit in species, vel genera distinguere. Hinc multa addiderunt nostri recentiores, quæ tamen Dioscoridi fortasse notissima erant; quæq; re uera speciem non uariant, sed distinctionem modicam retinent: quam nouisse optimum quidem est (neque enim in hoc neotericos accuso) sed ad plantarum cognitionem non multum necessaria est. multa tamen Dioscorides non nouit, specie ipsa inter se distincta, quæ ab illis non absque simplicium medicamentorum incremento apposita sunt. Hæc qui non obseruarunt, in multa absurda inciderunt: vt arabibus ferè omnibus accidit in centaurio; Cuius cũ duo debeant esse genera, vt quæ & forma, & facultatibus distinguantur: ita confuse de his loquuntur, ut non satis clare colligatur, utri hæ, uel illæ facultates assignentur; quod quanti momenti sit, nemo est qui nesciat. Recte igitur suũ morem seruans Dioscorides, quatuor graminis genera delineat, quia aliud, ab alio tum figura, tum facultate multum discrepat: vt percurrenti omnes species clarum esse poterit. Facultate item, figuraque differunt Chelidonium maius, & minus; Ita & maius symphytũ à minore. Tria uero absinthij genera posuit; quoniam & si tertium genus cum primo in forma cõueniret: discrepabat tamen quo ad facultates. Secundum etiam genus, licet uirtutibus cum tertio conueniat: in forma tamen minime consentit. Primum

mium uero à ſecundo, & facultate, & forma diſſentit. Tithymali autem genera ſeptem enumerat, quia omnia in figura uariant, licet quædam in facultate conueniant. verum quia plura ſeptem tithymalorũ genera reperiuntur, quædam Dioſcoridem nouiſſe credibile eſt, vt quod caraciæ congener eſt, item quod paralio; ſed tacuiſſe ob cauſam mox dicendam: quædam uero tanquam ignota reliquiſſe, quæ forma diuerſa ſunt. Ita & Anagallidis duas ſpecies ſexu diſtinguit; quia aliorum teſtimonio, facultate diuerſæ ſunt: nam eam, quæ cæruleum ædit florem, prociduam ſedem reprimere; quæ uero phoeniceũ, illitu euocare tradunt. Quòd ſi diuerſam hanc facultatem duæ iſtæ plantæ non habuiſſent; eas tanquam duas forte non diſtinxiſſet: ſed ut unicã conſideraſſet. Quòd ſi dicas floris colore diſtinguentur: dicimus hanc diuerſitatem nunquam ita conſideraſſe Dioſcoridem, ut diuerſas faceret hac ſola diſtinctione plantas. immo nunquam ferè curauit; vt quæ ita pauci momenti diuerſitas eſſet, vt ſpeciem uariare non deberet; quod facile ex eo colligi poteſt. Hypociſtida enim noluit in ſpecies diuidere; ſed & rufam, & herbaceam, & candidam reperiri poſſe, ſimpliciter protulit. hac ratione polygonum marem, in duas ſpecies non multũ curauit diuidere; quia ſola erat differentia in floris colore: & propterea illam deſcribens dixit, flos ei candidus, aut puniceus. Idem etiam in Atractylide legitur: nullam enim diſtinctionem, ex floris differẽtia facere uoluit: ſed tantum dixit flos luteus, quibuſdam in locis purpureus inuenitur. Ita & Aſterem atticum dicit florem in cacumine habere purpureum, luteumúe. Ranunculi etiam primam ſpeciem flore luteo, interdum purpureo, nullum aliud diſcrimen apponens depingit: quemadmodum & papauer Rheada flore puniceo, interdũ albo; Telephion flore luteo, aut candido; Heliotropium magnum flore candido, aut ſubfuluo: ſic Narciſſi florem album eſſe ſcribit, intus croceum, in quibuſdam purpureum. In his igitur, & nonnullis alijs florum differentias libuit Dioſcoridi explicare, etiamſi ſpecie non diſtinxerit. in quibuſdam tamen exprimere non curauit, tametſi illi cognitas fuiſſe, quiſpiam non abſque ratione coniectari poſsit. nos tamen illa conſiderare debemus. Nam non propter aliam cauſam, leucoij in flore differentias recenſuiſſe exiſtimo; niſi quòd cum non omnes uſui medico deſeruiant, ſed quæ luteo ſolum flore prædita eſt: verebatur ne aliqua, ex alijs acciperetur, quæ nihil prodeſſet. Nam ſi eadem facultate omnes pollerent, hoc eſt tam cærulei, quàm albi, quàm purpurei, quàm etiam lutei floris; hanc diuerſitatem non appoſuiſſet. ſicuti & in alijs non curauit. atque hinc eſt quòd dicit in floribus quandam (quaſi modicam, ac uix conſiderandam dicere uoluiſſet) differentiam

eſſe

esse: hinc etiam non obscure colligitur error eorum, qui uolunt uulgatum Gelsiminum à Dioscoride in cap. de leucoio comprehendi: illudque esse cæruleum leucoium, quandoquidem in speciebus Leucoij solum in florum colore statuit dissimilitudinem: at viola Gelsiminum appellata, folijs magnitudine, radice, ramis, caule, qui vitium modo scandit, alijsque ferè omnibus partibus multum distat à leucoio. Hac etiam ratione crediderim Theophrastum, cum de leucoio loquitur, lib. VI. differentias apposuisse, cum inquit colorem enim earum uariari liquido apparet. nam cum de uiola nigra ibidē loquitur, dicit Violas nigras, nullo pacto discerni posse: hæ nanque(inquit) differentiam nullam habere videntur. & tamen adest in nigris uiolis, ex flore differentia. siquidem albæ, purpurascentes, pallidæ, luteæque inueniuntur. quanquam rectius intuenti videbitur has species ignotas esse Theophrasto. In his enim, non solum in floris colore, sed in facultate etiam discrepantiam esse clarissimum est: cum nullam retineant odoris gratiam: absurdumque fortasse esset, dicere Theophrastum in uiola nigra, omnes hasce differentias intelligere voluisse. sed hæc aliàs forte uberius. Quòd si obieceris non obseruasse hoc Dioscoridem in Vitice; cuius duo genera statuit, nullam aliā præter floris colorem differentiam assignās: dicemus in Viticis duobus generibus, alias esse differentias: nam unum est arboreum, ad salicis magnitudinem assurgens, quod album florem profert cum purpureo: alterū est longe minus; immo & folia habet candidiora, lanuginosa, & purpureum tantum florem. quas differentias Dioscorides si non expressit: non propterea in duo genera distinguere nō debebat. explicatur tamen à Plinio. unde non leuis suspitio est, Dioscoridis cōtextum esse deprauatum, ut suo loco dicemus. Solitus eram aliàs dicere hanc in duo genera diuisionē ab interprete additam fuisse: nō quòd ita Dioscorides senserit. in græco enim aliter sonant uerba. Sed siquis totam capitis historiā perlegat, colliget Dioscoridem duo genera uoluisse proponere. Anthemidis etiam tria genera posuit, tantum flore distantia: atque clarius explicās seipsum, in colore, non in forma hanc discrepantiam sumpsit. unde, quia nullam aliam habebat differentiam, omnia hæc tria genera unica descriptione complexus est: sed necesse fuit ea distinguere, ut quæ facultatum gradibus distarent. nam si eque omnia uiribus pollerent, nullam (puto) feciſſet in genera diuersitatem. Verum, etiamsi in descriptiones nōnunquam incidas, in quibus Dioscorides ea etiā diligenter distinguit, quæ parui momēti esse diximus: hoc non alia de causa eum facere est existimandū, nisi quòd illa ab alijs ante se ita distincta adinuenit; neque ausus est mutare, sciens, hoc, etiā

etiamsi nõ multum iuuaret, nihil tñ nocere posse: sed pro maiori parte illum hoc more usum intelligas. Vtque ad rem redeam. Fumariam flore purpureo depingit; sed candido etiam inuenitur, qua tanquam meliore Neapoli (licet magno errore, si Mesueo credendum sit) utuntur. Forte & hanc nouit Dioscorides, sed ut quam putabat eadem posse, noluit distinguere. Arabes tñ ualentiorem esse quæ purpureo flore constat cũ experientia cõprobassent; eam distinxerunt: Immo & luteo etiam flore reperitur, quæ non nisi in montibus oritur, radice crassiori chordę instar contorta. quæ montana capnos dicitur (uulgo splith) & Dioscoridi & arabibus ignota. Idem in symphyto maiori euenit, cuius flores luteos esse statuit; nos tamen & candidos, & purpureos uidimus: sicuti in Antirrhino purpureos, necnõ etiam candidos flores videre est; cum tamen de purpureis tãtummodo Dioscorides loquatur. Osyrim præterea florere nunc purpureo, nunc etiam luteo flore adinuenimus: sed nullo pacto flores distinguens Dioscorides unicam tantum spetiem delineat. quemadmodum & Anonida, tum purpureo, tum candido flore conspeximus, quanquam Dioscorides unum genus describit. Quæ diximus ratione florum, dici etiam possunt, ratione aliarum partium, dummodo non multum referant. nam ratione seminis si leui quadam diuersitate differant plantæ, cæteris conueniant: non laborauit Dioscorides differentias notare. vt cnici unicam speciẽ scribit: & tamen inquit constare semine candido, interdum rufo. Hinc unum psyllij genus depinxit; etiamsi eius semina tres habeant differentias. Sinapi etiam in candidum, & nigrum à semine sumpta uarietate recentiores diuidunt: in Dioscoride tamen vnicum genus reperitur. Ita & in radice, nam de Helenio inquit, radicem habere subalbidam, interdum subrufam. Sic etiam crediderim in magnitudine differentiam paruifeciſſe Dioscoridem, non eam tamen, qua alia planta est frutex, alia herba, alia arbor: sed quæ, cum intra idem genus contineatur, modicam tamen in magnitudine differentiam retinet. vt Ocymum describens nullam appposuit distinctionem; etiamsi fortasse ei compertæ essent tres illæ differentiæ, quas moderni exhibent in maius, minus, minimumque diuidentes. Hinc apud Theophrastum VII. de historia, cap. IIII. legimus Ocymum inter eas plantas recenseri, quæ plura genera non sortiuntur: vbi mirum est, quòd inter alias atriplicem, erucam, rumicem, & quasdam alias enumeret. Hæ nanque apud Dioscoridem generis diuersitatem habent, immo magna ex parte reperiuntur. Sed plura etiam de generibus, ibidem lector uidere poterit; quæ tamen nos in commentarijs nostris, in Dioscoridem pluribus examinabimus. Delphinij etiam tres diuersitates magni-

magnitudinis ratione videmus (si modo id delphinium sit, quam con solidam regalem appellant) duas tamen recensет Dioscorides, ac secundam fortasse non apposuisset, si sola magnitudine discreparet, sed quia uiribus, non ita efficacibus pollere uidebat. Quæcunque etiam primo statim intuitu dignosci à quouis posse Dioscorides sciebat; neque laborauit distinguere: aut si distinxit, negligentius id fecit, ut in Myrti descriptione, in qua unico uersiculo multas earum differentias, tum in speciebus, tum in facultatibus complexus est, ita inquiens: Myrtus satiua nigra utilior est medicinæ, quàm candida: ac multo magis montana; semen tamen imbecillius parit. bene tamen sciebat Dioscorides dari latifoliam, & tenuifoliam. nam cap. de Tithymalis dendroidem inquit constare folijs myrti tenuioris. Ita & ex capite de sampsucho colligi potest distinctio calaminthæ, in angustifoliã, & latifoliam, cum inquit, sampsuchum folijs eius calaminthæ, quæ tenuifolio constat esse. sed hanc diuisionem cap. de calamintha apponere non curauit. Similiter cum unum Thymi genus cap. proprio descripsisset, cap. tamen de epithymo aliud durius, & satureiæ simile, illum cognouisse apparet. Quando etiam nullam utilitatem genus aliquod medicinæ præstare poterat, illud paruifecit. vt inferius in huius libri ultimo capite uberrime probabimus. Multa igitur cognouit Dioscorides, quæ recensere noluit: propterea que cum de lauro loquitur, in tenuifoliam, & latifoliam diuidere fuit contentus. Plinius tamen eius genera tredecim recensет. ex quibus multa ad hanc diuisionem deduci possunt; licet multa toto genere discrepent. Ita & dum malorum genera distinguit; nullam uel modicam uidetur adhibuisse in illis distinguendis diligentiam, vt intuenti clarum est. Licebit igitur multas plantarum species à recentioribus inuentas Dioscoridi addere; siue eius morem seruans ita distinguendo, vt facultate, vel forma, uel utroque discrepantes sint: vel cum Plinio, ac recentioribus minimas quasque differentias notasse: atque ita uarias species conficere. quod in quibusnam plantis euenerit, paucas ex tam multis enumerare contenti mox manifestabimus.

Quòd non omnia plantarum genera scire potuerit Dioscorides, quodque multa à recentioribus inuenta sint, quæ Dioscoridi iure addi possint. Cap. x.

Rationе igitur numeri multæ non prætereundæ diuersitates conspiciuntur. Numerus autem intelligi potest, uel in pluralitate specierum, siue generum plantarum; vt cum sciamus Sabinæ duas species

à Dioscoride

à Dioſcoride deſcribi; accidat tamen plures uel pauciores reperiri: uel in pluralitate partium plantę, uel frondium, caulium, florum, ſeminum, radicum, &c. ut ſi dicat Dioſcorides ſingulari caule, uel radice adoleſcere plantam aliquam, eandem tamẽ inueniſſe eueniat pluribus caulibus, uel pluribus radicibus: ſed de priori hoc capite agemus. In qua quidem re multos non obſcuri nominis uiros admirari licet; quippe qui ita imbecillo, demiſſoque ac penitus languenti animo fuerint, ut nihil Dioſcoridi addere auſi ſint. pro firmo enim habuerũt, omnia plantarũ genera à Dioſcoride deſcripta fuiſſe: neque quicquam à poſteris reperiri potuiſſe, quod à Dioſcoride dictũ non ſit. Vnde quoniã duæ geranij ſpecies ab illo deſcribuntur; ſiquis poſt eum nonnullas alias inuenerit, quæ & folijs, ac gruino roſtro illis perſimiles exiſtãt; hi in geranij genera non admittunt, hanc, quam pro maxima tenent, rationem adducentes, quòd ſi inter geraniorum ſpecies recenſeri deberent; fuiſſent procul dubio à Dioſcoride deſcriptæ. quaſi uero potuerit Dioſcorides omnia nouiſſe; ſingulaſque orbis partes in tam modico ſuæ uitæ curriculo penetraſſe: ac in tam breuem libellum cũcta orbis terrarum medicamenta congeſsiſſe. Damnandus igitur eſſet Plinius, quòd ſex graminis ſpecies ponat: quia Dioſcorides tantummodo quatuor recenſeat; nec minus, quòd duas ponat cynogloſsi ſpecies; cum Dioſcorides unicam. Damnãdus item eſſet Theophraſtus, quod duas adianti ſpecies ſtatuat; quia Dioſcorides unicam tantum ponat. Atq; ita in multis alijs, grauiſsimos ſcriptores accuſabit, quòd plura quàm Dioſcorides auſi fuerint ſcribere. Verũ quod nõ omnia uiſu aſſequi ille potuerit, ſed multa ab alijs ſcriptoribus tranſcripſerit, multa etiam percunctatione à fide dignis hominibus acceperit, in ultimo huius libri capite copioſius proſequemur: vbi manifeſtiſsimum fiet, multa Dioſcoridem latuiſſe; ac ſi duo alicuius plantæ genera deſcripſit, nihil uetare quo minus alia etiam ſint, quæ ab alijs inueniri poſſe nullum fuerit abſurdum. Quibus ſanè eorum ſententia omnino explodetur, qui omnia Dioſcoridi tribuunt, nihilque eum fugere exiſtimant. Sed & quædam conſulto ſiluiſſe multas ob cauſas, nihil minus demonſtrabimus, illuc igitur lectorem ablegamus. Sed neque audiendi ſunt qui è contrario, cum uideant Dioſcoridem alicuius plantæ duas, pluresúe ſpecies poſuiſſe: ipſique quòd nonnulla loca perluſtrarint, atque aliquam ex illis non adinuenerint, ea capita ſuperflua in Dioſcoride; atque ab aliquo curioſo addita fuiſſe exiſtimarũt: vnde & capita nonnulla à Dioſcoridis uolumine, tãquam ea quæ nuſquam reperiri poſſent, reſecanda eſſe cenſuerunt. ſicut in dracunculo euenit: cuius cum duas ſpecies duobus capitibus deſcribat Dioſcori-

des

des, multi unum ex illis remouent, ut superfluum (quod in emendatioribus codicibus videre est) atque unum tantum dracunculi genus reperiri affirmant. at Andreas Matthiolus utrunque genus se cognouisse fatetur; atque utriusque etiam picturam in doctissimis suis commentarijs eleganter exhibet. non igitur cum illis consentiendū. Sunt qui caput de Baccari ociosum esse in Dioscoride cōtendant, existimātes, asarum & baccarim idem esse. quod non aliunde effectum est, nisi quòd baccarim nondum inuenerant; atque affinitate nominis (asarum enim baccarim etiam appellatam antiquis, apud Plinium legimus: quod usque ad nostra tempora inualuit) decepti, eam à Dioscoride remouebant. Caput etiam de Iberide multi resecandum esse suspicātur: quod apud auctores inueniatur, idem cum lepidio esse. quod quidem an recte fiat, nolo nunc decernere; non enim mens est nunc simplicia medicamenta examinare: sed alibi hæc, & multa alia fortasse dicemus: nunc intantum dixisse sufficiet, inquantum præsentis operis instituto conueniant. Quòd igitur, ut ad propositum redeamus, nullum inconueniens sit, in multis plantis plura genera reperiri posse, quàm à Dioscoride fuerint scripta: in ipsis plantis exempla tradendo fiet manifestum. Atriplicis (ut ab hac incipiamus) duo genera tradit Dioscorides, sylueſtre & satiuum: tamen maritimum etiam, quod est tertium genus, dari nemo inficiabitur: cum ex frondium, seminum, radicisque similitudine liquido appareat: neque aliam habeat differētiam; nisi quòd salso gustu est, propter maris contiguitatem; foliaq; subalbida habeat, vt in omnibus maritimis euenire solet. Polygoni item maris unicum genus describit; vel si duo constituere uelis, ex florum diuersitate, non multum refert: sed aliud præter hæc locis maritimis inuenitur, quæ maritima polygonus appellari potest; vt appareret ex multa frondium, florum, geniculorum, cæterarumq; partium conuenientia. Ocymi diximus unum genus descripsisse, si unius appellatione tria illa, quæ magnitudinis ratione distingui diximus, intelligere uoluerit. Verum plura his tribus reperiri, vel mulierculæ Neapolitanæ sciunt; quæ in testaceis uasculis multas eius species colunt; & præsertim duo, quorum alterum garyophylatum; alterum citriatum, ab odoris similitudine nuncupant. Similiter quanuis Ocymoidis unum genus depingat Dioscorides, alterum tamen nos cognoscimus, locis arenosis oriens, minoribus folijs, floribusque non ut primum candidis, sed subpurpureis: quam Ocymoidem minorem appellare consueuimus. Tubera illa solum uidetur cognouisse Dioscorides, quæ flauescentes radices sunt: sed nigra tubera, quorum maximus prouentus locis Apuliæ finitimis; quæq; in ditiorum cœnas auidissime

disſime expetuntur, non nouit. Deſcribit, & aſphodeli unum genus: nos tria alia in monte Gargano reperimus; flore,& radicibus ualde ſimilia: licet folia multo minora habeant. Ponit & ranunculi quatuor genera:nos ad decem usque obſeruauimus; quæ floribus radice,ſolijs, acrimoniaque ranunculorum naturam præ ſe ferunt: licet differant quod aliud alio acrius ſit. Trifolij unicam ſpeciem deſcribit: ſed tot reperiũtur, ut vix dinumerari queant. ſicuti & teſticuli cum duas ſpecies deſcribat; nos uſque ad uiginti uidimus: ex quibus nonnullus eruditiſsimus Fuchſius depingit. Varietas autem eorum eſt, uel in floribus, uel in ſolijs, vel radice, uel magnitudine. Præterea duas Geranij ſpecies Dioſcorides deſcribit: Fuchſius ſex: nos quinque alias obſeruauimus. Recentiores duo lithoſpermi genera; rectum ſcilicet, & ſerpens inuenerunt; cum tamẽ de uno apud Dioſcoridem mentio habeatur. Ita & clematidis daphnoidis tres differentias obſeruauimus, magnitudine differentes; & quartam etiam,duplicem in flore foliorũ exortum habentem: ſed una ſolummodo à Dioſcoride notatur. Ita & Tithymali genera duodecim, & eo amplius, ſæpius me obſeruaſſe memini: licet ſeptem apud Dioſcoridem proponantur,uel paulo fortaſſe plura ei cognita ſint; vt ſuperius diximus. Alſines præterea ſex ſpecies nouimus, flore, frondibus,facultate,naſcendique tempore concurrentes: vix tamen unicam in Dioſcoride legas licebit. Quid multa? tam magnus eſt numerus plantarum, à recentioribus præter eas, quæ in Dioſcoride ſunt, inuentarum: vt multum negocium ei relinquatur, qui uelit omnes enumerare. cum dubium omnino ſit, quas nam maiori numero eſſe dixerimus; eas ne quæ à recentioribus ſunt adinuentæ, an quas Dioſcorides poſteritati reliquit. Propterea hæ quas recenſuimus ſatis eſſe poterunt, ad noſtrum propoſitum confirmandum; necnon ad proteruientium ſententias explodendas. quę remanent, quia plures ſunt, quàm ut breui compendio perſtringi poſſint; lector apud diuerſos ſtirpium profeſſores, per ocium legere poterit, multasque etiam per ſe inuenire.

Quòd Dioſcorides plantarum partibus, ſæpius ſtatutum numerum ponat: quem tamen non perpetuo adeſſe intelligit. Cap. XI.

DIXIMVS numerum nos duobus modis conſiderare poſſe; uel ratione ſpecierum plantarum, uel ratione partium earundem. Verum ſi primo modo ſumamus, quæ eſſent conſiderãda in ſtirpium cognitione,abunde iam diximus,ac ſufficienter adnotauimus. relinquitur nunc nonnulla animaduertere circa numerum partium plantarum. ex quo

non minor utilitas emanabit. remouebuntur enim multi errores, qui in multorum animis uersantur, ac, ut multæ plantæ illis incognitæ essent, in causa fuere. Plantarum multas esse partes nemo non nouit: in quibus describendis numerum Dioscorides sæpius apposuit; quo facilius, si quando occurrant, dignoscerentur. Hinc Alysson, ac Myriophyllon singulari caule; marem mercurialem semine ceu binis testiculis constare asserit: Satyrion uero tria folia habere, multasque præterea stirpium partes statuto numero scribit: in multis uero certus numerus partium dari non potest: cum natura ueluti pro arbitrio illum uariare soleat. Sed obseruatum est à Dioscoride multas plantas maiori ex parte certum numerum seruare, quem si quando excedant, non tamen ab illo multum distent: quod explicauit in phlomide lichniti appellato; cum inquit folijs ternis, aut quaternis; subiungens, aut paulo pluribus. ita & in phalangio cum de eo inquit. Ramuli sunt ei duo, aut tres, pluresúe. Hunc igitur numerum in multis Dioscorides obseruauit, & scriptum reliquit: in multis uero uel ignorauit, uel si sciuerit, scriptis mãdare paruipendit. Seruauit quidem in Verbenaca, inquiens singulari eam ramo, radiceque sola sæpius inueniri: sed addidit sæpius; quia nonnunquam plures ramos, pluresque radices habere posse, nihil uetabat. Ita & gramen Parnasi montis, radicibus quinis, aut senis pollere; sicuti & sylueſtre cuminum quaterna, aut quina folia tenuia, item in cacumine capitula quina, aut sena habere scribit. quapropter hæc non ita scripsisse Dioscoridem est existimandum; ut crederet numerum quem statuit, necessario, ac semper debere inueniri: quodque si aliter inueniatur, plantam aliam constituat, sed ueluti monuimus, ut plurimum. Nam Apion herbã ramulos duos, siue tres habere Dioscorides docet: Theophrastus tres, aut quatuor statuit: sed non propterea hos dissentire inuicem dixerimus, quia ex utriusque obseruatione uaria, sententiarum etiam uarietas nata est. Non igitur mirum fuerit, si nos etiam aliter plantarum partium numerum inuenerimus, quàm à Dioscoride fuerit dictum. nam & hanc etiam plantam, quæ in Venusino tractu in pluribus collibus uberrime prouenit, quinis, senisque ramulis non semel legimus: quod & in multis alijs uidimus. scribit enim Dioscorides Psyllium duobus, tribusúe cõuolutis in cacumine capitulis constare: tamẽ nos quinque uel septem, quandoque etiam plura continentem uidimus. Item quòd dicat mandragoram nigram, seu fœminam, radicibus inhærere binis, ternisúe inter se conuolutis: non esse perpetuo uerum nos testari possumus: qui quandoque singulari radice, quandoque quaternis etiam uidimus. Scribit & phyllitim sena, aut septena folia habere: sed sæpe minore, sæpe etiã

maiore

maiore foliorum numero eam legimus. Ergo non propterea ceruinã linguam uulgarem phyllitida esse negabimus; neque Dioscoridem accusabimus, tanquam falsa scribentem; quia non necessario illa hoc numero adesse debere credebat. Nam tussilaginem etiam dicit folia sex, aut septem possidere: nos tamen plura, & pauciora sæpissime uidimus. Ita & limonium uult decem folia habere; sæpe etiam plura: sed nos multo paucioribus folijs illud non semel collegimus. Pentaphyllum ex eo nomen sumpsit, quòd quinque folia singulis pediculis habeat: sena tamen,& septena non pluries adinuenimus. quod & Dioscoridi etiam notum fuisse ex eo capite patet; inquit enim folia quina singulis pediculis, raro plura. Male igitur tormentillam, pentaphyllon uerũ esse nonnulli existimant: hęc enim septena folia habet; raro pauciora,pręter id quòd aliæ notæ non respondent. Trifolium etiam ita appellari certum est,quia (ut Dioscorides) ei terna singulis germinationibus exeunt folia, nos tamen quinis folijs uidimus. Scribit Iberida duas radices habere: sed pluribus inueniri,non solum à nobis obseruatum est, sed à Damocrate scriptum, cum inquit.

„ Adnata radici tamen cernes alia.

Aconitum pardalianchen tria,aut quatuor folia habere tradit: hic autẽ numerus nõ perpetuo,ac necessario illam insequitur. inuenimus enim uulgatum Doronicum (hanc enim aconitum pardalianchen existimamus) quinque constare folijs, pluribusque usque ad denarium numerum. Verum in colle quodam prope Venusiam, qui ad orientem spectat,ubi plantarum rarissimarũ ingẽs adest copia, inter quas & aconiti pardalianches infinitus prope numerus conspicitur, obseruaui in unaquaque planta foliorum numerum non excedere ternarium, aut quaternarium;nullamque uidere ualui,quæ quinque folijs constaret. forte & locum consimilem obseruauit Dioscorides, qui in causa fuerit, quam ob rem istius plantę determinatum numerum in folijs poneret. Sed cum hęc planta oriatur etiam in tractu Neapolitano, necnon copiosissima in monte Gargano: uidi duobus hisce in locis decem folijs constare, uel octo, uel alio numero quaternarium excedente. Sed ne quis miretur nouam de hac aconiti specie opinionem; libet hic paululum digredi, atque quibus rationibus nitamur, ut uulgare Doronicum esse pardalianchen, seu Thelyphonon aconitum, affirmemus, declarare.Nam si descriptionẽ inspiciamus; nihil est, quod repugnare uideatur. Sunt enim doronici folia satis cyclamino similia, subhirsuta, caulem habet palmo altum, florem in eo (quod omittitur tum à Dioscoride, tum etiam à Theophrasto) luteum, anthemidis figura: radix tantam habet cum scorpione similitudinem; ut exanimatus scor

pius absque dubio appareat: item candida est & splendens. Accedunt & notæ, quas illi præter has assignat Theophrastus VIII. de historia plantarum, cap. XIX. qui inquit radicem esse geniculatam, atque graminis modo nasci, locosque umbrosos amare. quæ omnia tam belle doronico conueniunt; ut ne minimum quidem sit, quod repugnet: est enim radix geniculis constans scorpionis geniculis (si ita illos liceat appellare) similis, quæ minimi digiti crassitudinem æquat; quæque tãdem definit in tenuitatem quandam, quæ scorpionis caudam æmulatur: nam crassior pars scorpionem ipsum repræsentat; rursusque crassior redditur, ac iterum exilis: multasque uidere est radices crassiusculas tenuibus insertas; ut plures scorpiones caudis inuicem alligatos, esse dixeris: quod serpere iure appellat Theophrastus. foliorum uero exortus ex crassiori radicum omnium parte prouenit ita, ut per interualla ex una radice plura folia exeant: quæ nonnullis tria, aut quatuor, nonnullis plura singulis germinationibus esse (uti prædiximus) solét. Neque uero repugnabit, quòd doronicum ad cordis palpitationem syncopimque; item ad uenenatorum ictus per intus susceptionem exhibeatur: aconitum uero inter uenena recensetur. hoc nanque nostram sententiam potius confirmat; tantũ abest, ut eam destruat. Dioscorides enim pardalianchen hominibus uenenum non statuit; sed tãtummodo pantheris, suibus, lupis, ferisque omnibus. quòd si intro non exhibeat; forte est, quia huius rei periculum nondum fecerat. Verum quod tuto exhiberi intro possit, Theophastus testatur; qui illud potum contra scorpionum ictus proficere tradit: quod eo magis nostram opinionem roborat, quia uenenatorum ictibus (ut præmonuimus) doronicum ualet: quod ex Serapione colligitur. neque propter aliam causam cordis affectibus illud ualere putauerim; nisi inquantũ humorum malitiæ cor molestantium resistendi uim habet. Sed neque Galeni auctoritas obstabit, qui inter septica medicamenta aconitũ hoc collocat, proindeque in cibo, potuque fugiendum esse monet: nam fieri posset, ut Galenus hoc, non tam quòd de eo periculum fecerit, persuaderet; quàm ut in tuto rem poneret. Nam est quidem calidum tertio ordine doronicum; atque certa quadam mensura potu exhibitum; iuuare potest: sed si excedatur, nihil mirum si septicam naturam adipiscatur; quæ quarti ordinis calida requirit: aucta enim medicamẽti quantitate, necessario qualitatem augeri nemini non compertum est. Quod illud etiam confirmabit; quia Theophastus inter aconiti genera non recẽset Thelyphonum, sed de eo separatim pertractat: immo nec aconitum appellat, ut per hæc nobis significaret, hominibus uenenum non esse. Neque est quod obijcias, Dioscoridem caudæ scorpionis aconiti

niti radicem comparare, non autem uniuerſo ſcorpio; at doronici radix uniuerſum potius, quàm caudam ęmulatur: ſiquidem puerilis hęc ratio eſt. nam & caudę ſcorpionis, & corpori Doronicum ſimile eſt. nec hoc curauit explicare Dioſcorides: explicatur tamen à Theophraſto, qui radicem dicit habere ſimilem ſcorpioni, non autem caudę ſcorpionis; eſt enim Theophraſti deſcriptio de aconito hæc. Thelyphonum, quod alij ſcorpionem appellant, quia radicem ſcorpioni ſimilę habet, admotum ſcorpionem occidere tradunt; & eum reuiuiſcere poſſe, ſi helleboro candido linatur: enecat idem & boues, & oues, & iumenta, & ad ſummam omnes quadrupedes, eodem die, ſi genitalibus folium, uel radicula imponatur: proficit potum contra ſcorpionum ictus: habet folium tuberis terrę; radicem (ut dictum eſt) ſimilem ſcorpioni: naſcitur graminis modo, & geniculis conſtat: loca amat umbroſa. Hactenus Theophraſtus. Sed, ut ad rem tandem accedamus; ſi in deſcriptiones quandoque incidas, quæ numerũ quendam partium plantarum ſtatuant (nam de his ſermo erat) noli illum tam accurate quærere, vt neque maiorem, neq; minorem reperiri poſſe exiſtimes. ſic enim non ſolum naturæ ipſius ui, quæ maxima eſt, derogas; ſed te ipſum offendis, vt qui in ſimplicibus ueris indagandis multum temporis, atque operæ luſurus ſis. Nolim tamen credas, me eorum ſententiæ aſſentiri, qui tanacetum, ſeu Athanaſiam uulgo appellatam plantam, unicaulem artemiſiam in tertia ſpecie à Dioſcoride propoſitam, eſſe aſſeuerant. nam hæc unicaulis eſſe debet, vnde nomen ſortita eſt. quòd ſi ſemel, aut quibuſdam in locis tantum, ſemper plurium caulium reperiretur Tanacetũ; vt plurimum uero unicum caulem proferret: damnandi fortaſſe non eſſent. verum, cum nunquam unicaulis ſit Athanaſia, immo ſemper quamplurimis polleat: nullo pacto acceptandi ſunt. vt interim omittam alias quaſdam notas, quæ non apte cohærent. Sed non ita eſt cum de hemerocallide dicit flores in caule per ſingulos exortus, ternos, aut quaternos erumpere. nam ſi inuenias plantam, cui bini, uel etiam quini flores inſint; verum aliæ notæ à caule, folijs, radiceque ſumptæ ex toto conueniant: non propterea talem plantam hemerocallidam eſſe negare debes. ſicuti ſi octo, vel nouem caules à radice mittentem plantam aliquam reperies, cæteris notis conſtantibus: iam manicum ſolanum illam eſſe nullo pacto dubitabis. non enim te mouere debebit, quòd Dioſcorides dicat de ſolano manico, decem, aut duodecim caules habere: quia & plures, & pauciores quandoque eſſe poſſe nihil impedit; atque Dioſcorides etiam (puto) exiſtimabat. Ita & cum dicit heliotropium maius ramulos habere à radice ternos, aut quaternos; elatine quinos, ſenosúe:

iam plures, paucioresúe esse posse existimandum est. quodque de floribus, folijs, ramulis, dictum est, de seminibus etiam dici potest: quid enim impedit, Aegylopem quaterna, uel etiam plura in summo capite habere semina; etiamsi Dioscorides dicat bina, ternaúe illi inesse? Similiter Dorycnij semina in siliquis minore quàm quinario, ac maiore quàm senario; in Aphaca minore quàm ternario, maiore quàm quaternario numero nonnunquam reperiri, quid uetabit? Quare, cum catanance prima ignota adhuc omnibus ferè rei herbariæ professoribus existat, si quando in plantam incidas, cui omnes catanances notæ correspondeant: caue turberis, quòd non sena, aut septena; sed alio quopiam numero capitula habeat. nam si hunc numerum, quia à Dioscoride illi constituatur, necessario adesse debere tibi persuadebis: fortasse eam nunquam assequeris. In multis alijs plãtis statutum partium numerum Dioscorides ponit, quas adnotare superuacaneum ducimus: cum quæ de alijs diximus, de illis etiam intelligi debere, omnibus patere possit.

Cur Dioscorides multarum stirpium historiam omnino omiserit; quidúe eius calumniatoribus respondendum sit. Cap. XII.

Tractatio de numero absoluetur, si nonnulla, quę Dioscoridi à quibusdam obiiciuntur, diluamus. Quibus enim inexhausta redarguendi cupiditas est, neque aliud agunt, aut cogitant; sed omne consilium in exagitãdis celeberrimorum uirorum sententijs conuertunt; obiurgandi sitim nunquam explere possunt; sed quo asperius probos auctores insectantur, eo maius accusandi desiderium eis relinquitur. Sunt igitur qui multa scitu necessaria omisisse Dioscoridem asseuerẽt; cum quamplurima medicamenta in suo uolumine nullo pacto inclu-serit. nam et apud Theophrastum multa sunt, quemadmodum et apud Plinium, qui ex antiquorum sententia non pauca enumerat, de quibus nulla apud eum mẽtio extat. Loquitur enim Theophrastus de Vingo, quam fructũ sub terra parere asserit, eiusque folia esse ampla, et germen pusillum, radicẽ longam, et in modũ fructus, cibo idoneam: loquitur et de Arachidna planta, de Butomo, de Ficu Indica, Buxo, Thuia, Aquifolia, Philyca, Celastro, Adrachne, Cedrula, Betula, Colutea, Colytea, Cratego, Euonymo arbore, ac quãplurimis alijs, de quib⁹ nullus apud Dioscoridem sermo habetur. Sic & apud Plinium; libro. n. XXI. cap. XI. inquit Democritum inter pauca miratum fuisse Nyctegreton plãtam, coloris ignei, folijs spinę, nec à terra se attollentem: sic et multas alias recensęt Plinius. Sunt et apud Apuleium, nonnulloque alios auctores

alia

alia multa: quę cum ab illis paulo obſcurius proponantur, Dioſcoridis partes eſſe uidebantur (ut qui hanc prouinciam ſuſcepiſſe uideatur) clariora reddere, atque medendi uſum adiungere. Sed his ita occurrimus. Cur enim multa ſimplicia Dioſcorides tacuerit, duæ potiſſimum ſunt cauſæ: vna, quod noluerit; altera, quod non potuerit. ſed quamobrem non potuerit; paulo ante rationem dedimus. oſtendimus enim nõ omnia medicaminum genera ſcire Dioſcoridem potuiſſe; ſed à recentioribus multa eſſe addita, quæ ei ex omni parte incomperta erant. Verum cur noluerit; duplex adhuc ratio eſt: uel enim ex eorum numero erant, quæ uſui medico non deſeruiebant, ſed alijs quibuſdam officijs: uel quod uiſu ille ea non cognouerit; ac, tanquam ea, quæ ut dubia habebat, noluit ſcriptis ſuis inſerere. Quæ igitur uſui medico non deſeruiebant, noluit Dioſcorides apponere, ut qui medicinalẽ materiam ſolã docere aggreſſus ſit, ut uel ex operis inſcriptione colligitur. In hoc enim differentiam ſcribendi inter illum, et Theophraſtum ſtatuimus; quòd hic ut philoſophus, ille ut medicus ſcribat. Si quæ igitur ſimplicia architectis ſolis commoda ſint, uel ædificatoribus, ſculptoribusúe, aut alijs eius generis artificibus, ad Dioſcoridis inſtitutum pertinere nemo ſanæ mentis dixerit. ſed quòd de ijſdem differat uel Plinius, uel Theophraſtus, uel alij quidam, qui eodem ferè ſcribendi genere uſi ſunt: nullum uidebitur abſurdum. Iam vero ſiquis percurrat omnia ſimplicia, quæ Theophraſtus habet, et Plinius, et cæteri, de quibus non loquatur Dioſcorides: procul dubio inueniet bonam eorum partem medicę arti opem nullam ferre poſſe. Nam cur de Thuia feciſſet mentionem, ſi huius radice, ut qua nihil criſpius reperiretur, ut Theophraſtus refert; quæque materiẽ retinet omnino incorruptam, pretioſa opera fieri ſolere cognoſcebat? Eadem ratione neque de buxo locutus eſt: ex ea enim ſimulachra ſculpi ſolebant, quia rimas non capit. ſed nihil hæ duæ plantæ præſtare poſſunt medicinæ; immo & buxus, illis etiam operibus nonnunquam inutilis eſt, ut cũ breuis nodoſaque aſſurgit; qualis, quæ in monte Olympo prouenit. Ita neque de phylica loquitur: huic enim nullus eſt honor, præter quã in alendo pecore; ſemper enim fronde abundat. Adrachne mulieribus ad opus textorium, Apharca uallis expetitur, & ad urendum commoda eſt, Celaſtri uſus ad baculos, atque ita de quamplurimis alijs, quæ vel ad nauigia, uel ad ædificia, uel ad arcas, uel ad res tornatiles, uel ad carbones optimos faciendos, vel ad ignem flammamque optime excipiendam, uel ad fomites, aut ad inſtrumenta fabrilia, & ad id genus alia aſſumi ſolent. Verũ ſi quæ erant, à quibus aliquid medendi ars mutuari poſſet; etiamſi uel architectis, uel ſculptoribus, alijsúe nonnullis artificibus

tificibus deseruirent; non omisit Dioscorides: sed horum id tantum appositit, quod ad susceptum suum consilium facere posset. Hinc de cedro, de loto, de cupresso, de olea locutus est; tametsi & hæ simulachris, ac quibusdam alijs commoditatibus materiem præstent: de quibus tamen ille non loquitur, vt quæ ad rem suam minime faciant. neque enim de cedro, aut pino id scribit, quod aptissimæ nauibus sint; nec de iunipero, aut iuglande, quod rei ædificatoriæ deseruiant: sed medicum usum tantum elicit. Ita & de alijs, quæ à Plinio recensentur dici potest. Nyctegreto enim, de qua superius mentionem fecimus, Magos uti Parthorumque Reges ad uota suscipienda, Plinius testatur: sed hoc quid ad medicinam? ita & de multis alijs intelligendum est. Sed circa hæc multæ difficultates oriuntur. non enim uidetur uerum esse, Dioscoridem ea tantum simplicia describere, quæ medicæ arti utilia sunt: multa nanque ab eo proponuntur, quæ nullius in medicina usus esse ipse ille testatur; multa etiam, quæ non solum medico, sed alijs quoque opificibus opem præstare possunt. Reperiuntur enim non pauca apud Dioscoridem, quæ uel ad amuleta, vel ad expiationes, uel ad incantamenta, uel ad ueneficia, vel ad amatoria expetuntur: immo & alia, quæ uestes à carie præseruant, uel odoratas reddunt; alia, quæ pictoribus ad colores conficiendos deseruiunt; nec minus quæ ad comptoriam artem pertinent, vt quæ flauos reddunt capillos, uel rufos, uel nigros; quæ faciem extendunt, erugantque; quæ supercilliorum pilos accommodant; quæ maculas in facie delent; & alia huiusmodi non pauca. Quibus quidem haud difficile erit respondere: ac primum quidem Dioscoridem de his loqui, vt ad scopum suum faciunt; non vt de re aliena loqui uelit. Cum enim mens sua sit, non solum facultates medicaminum docere; verum etiam eadem nobis utcunque posset, cognoscenda proponere; quicquid uel ad cognitionē, vel ad facultates pertinere uideretur, interponere non dubitauit. Facultates igitur, quæ extra medendi scopum sunt, ad cognitionem stirpium maxime conducunt: Nam non propter aliud, botryn uestimentis interijci ob odorem: malum citrium uestiarijs imponi, ut aberosionis uitio uestes uindicet, scripsisse credibile est: sicuti & absinthium sparsum arcis uestes ab erodentium iniuria præseruare, culices ex oleo perunctum abigere, atramentum librarium diluto eius temperatum literas à murium erosione tueri: nec minus aliqua ad coronamenta usum habere, ut serpyllum, sampsuchum, ambrosiam, & quasdam alias: similiter & Verbasci folia ad lucernarum lumina; Aconitum ad feras, & quatrupedes enecandos ualere: nisi ut ex his medicamenti effigiem quasi ob oculos poneret. Cum enim vulgo notius id sit ex his

plantis,

plantis,quod huiuſmodi commoditatibus deſeruiant; ignotius,quod hanc uel illam medendi uim obtineant; & (quod caput eſt) nomina non eadem medico, & vulgo eſſe ſoleant: voluit hæc interiicere, ut eas eſſe plantas denotaret, quæ alioquin ob aſsiduum uſum nobis nota eſſe poſſunt. Atque hac ratione Samium lapidem eſſe aſſerit, quo aurifices utuntur poliendo auro, ut reſplendeat: item Meliam terram pictoribus uſum præbere, ut colores diutius peremnent: ita & fuliginem, qua pictores utuntur, ex uitrarijs officinis collectam; vt ab huiuſmodi artificibus petere poſsimus, quæ per nos ipſos cognoſcere nequiremus: nam hæc omnia pluribus medendi dotibus pollent. Idē & de his, quæ ad amuleta, uel expiationes aſſumebantur, dici poteſt. Solebat enim (ut & noſtris etiam temporibus) Scilla in limine appendi, ad mali ueneni noxam arcendam; quod Dioſcorides noluit ſubticere, quaſi diceret ab illa planta affectus, quos diximus, ſanari poſſunt, quam ad ueneni iniurias repellendas in limine appendi ſolere, nō ignoras. Nonnunquam autem horum mentionem facit, non tam ad hoc docendum, quàm ut nomen, cur ita medicamentum dicatur, explicet; ut ſacram herbam ideo appellari ſcribit; quia plurimum ad expiationes, & amuleta commendari ſolita fuerit. Hoc uero uel illud confirmabit; quòd Dioſcorides nunquam ferè extraneam facultatem ſolam proponit: ſed poſtquam multa ad medicinam facientia explicauerit, alia intermiſcet, quæ ad alias facultates pertinent. Scilla enim non id ſolum præſtare poteſt, ut in limine ſuſpendatur: nec botrys, aut abſinthium ad ueſtium commoditates ſolas commodæ ſunt: ſed pluribus uirtutibus pollent, quas ſibi medica ars expoſcit. Sic tripolion non ſolum ad amuleta ualet (vt Marcelli uerſio habet) ſed aquam, vrinamque per aluum extrahit. Idem de his, quæ ad amatoria ualere tradit, dicendum eſt: nam præter id, quod faciliorem medicamenti cognitionem nobis præbent; ex his ſimplicibus habentur, quæ medicinæ potiſsimum deſeruiunt, vt leontopodium, etiamſi ad amorum veneficia ualere ſcribat; tamen tubercula diſcutere poteſt; quod medicinæ proprium eſt. Quòd ſi nonnullas mihi in Dioſcoride oſtenderis, quæ nullum medicinæ auxilium prębent, ut Geranium ſecundā, quam delineat, & tamen nullius eſſe in medicina uſus aſſerit; ſimiliter & catanancen utranq;, phyteuma, dorycnium, & quaſdam alias, quas ad amatoria ſolum ualere tradit: ad aliam rationem confugiemus, dicemuſque Geranium ſecundam ideo ab eo forte deſcriptam fuiſſe; quia cum altera etiam Geranium reperiretur, quæ medicinæ deſeruire poteſt, uerebatur ne alterutra ſine ulla diſtinctione acciperetur, ſi quando ab aliquo ſcriptore Geranij abſolute cōmemoratio fiat: ſiquis tamen

ſciat

sciat primam tantum usui medico deseruire, abstinebit ab hoc errore; ut in leucoio seciſſe diximus. cuius cum quæ luteo constat flore usui medico tantũ deseruiat, alias etiam describere non piguit. Nam quémadmodum boni agricolæ officium est, non solum optima semina terræ mãdare; sed terram ipsam uepribus, lapidibus, alijsq; expurgare, quæ eorum fertilem fœcundumq; exitum impedire, uel infirmare possent: ita & optimus de materia medica scriptor non solum ea medicamenta apponere debet, quæ medicæ arti utilissima sunt; sed ea etiam à quibus præcauere oporteat. Nam & huc etiam spectant, quæ venenatam uim possident, nihil medicinæ utilitatis impertientia. Colchicũ enim depingit Dioscorides, ne (ut inquit) à quoquam pro bulbo imprudenter deuoretur; quando mirum in modum saporis uoluptate imperitos alliciat. Miniũ præterea describit; usumque pictoribus solũ præstare tradit ad sumptuosa parietum ornamenta; sed illud descripsit, non quòd inter medicamenta reponendum esse iudicaret; sed quia à multis pro cinnabari sumebatur: qui error cogebat uenenum pro medicamento accipi. quod Plinium etiam animaduertisse iam diximus. Quare, ut diuersas esse res cinnabarim, miniumque denotaret, utrũque depinxit, atque utriusque usum addidit; ut quod assumendum, & à quo præcauendum esset, cognosceremus. Quantum vero ad ea pertinet, quæ ad amatoria valere diximus; si quæ erunt, quæ ad manifestã causam duci possint: iam hoc medicinæ solius erit. Nam cum dorycnium soporẽ inducat; si idcirco ad amatoria expetitur, quod arctiori somno complecti uetulas quasdam, uel maritos cogat; qui uigilãdo, amantium uota irrita facere possunt: nihil mirum sit; nam & rutam fascinationis remedium antiquitas existimauit. Aristoteles uero cur id pollere possit, naturalem rationem assignat. Verum si nullam huiusmodi rationem habent, sed totum occultæ proprietati tribuamus; ad eandem, uel consimilem rationẽ, quam in geranio proposuimus, cõfugiendum est. Plantæ enim, quæ amoribus destinantur, ab his qui eas operantur exercentque, occultari solent; ac ne mira amoris secreta cunctis exponantur, ignorari eas cupiunt: hinc uaria vulgo commẽta persuadent; simulantque illis se uti ad corporis quosdam affectus, non ad amatoria. atque ob hanc rationem multas plantarum historias perijsse credibile est; multis etiam facultates nonnullas, quibus nullo pacto pollent, adscriptas esse. Ne igitur quis ab id genus hominibus decipiatur; non inutile fuerit scire nonnullas plantas amatorijs tantum ualere, non etiã medicinæ: sicuti & quasdam amuletis tantum; ac propterea mirum nõ sit antirrhinon à Dioscoride describi, eiusque usum esse, ut eo peruncti uenustiores fierẽt; nec ullo medicamento lædi posse,

se; siquis appensum gestauerit. quod ex aliorum dictis (sicuti & in omnibus alijs eiusdem generis) scriptum reliquit, nihil ipse per se cõfirmans. Ex quo facile quis colligat, has non multum curasse Dioscoridem; cuius etiam indicium est, earum minus diligens historia. has enim ita interponit, ut huiusce rei statim quasi pœnituisse uideatur: nec ut suas, sed ut ab alijs excerptas, transcriptasq; in medium affert. quod & ab omnibus ferè celebribus auctoribus obseruatũ est: nam de phyteumate nihil monendum Plinius duxit; ut quæ ad amatoria tantum usus præstare soleat. Quanquam si rectius intueamur, inter medicamenta etiam reponi debet antirrhinum. Galenus enim VI. simpliciũ, adsimilis facultatis cum bubonio hanc statuit, ex illa de hac conijcien dum. quod in Dioscoridis libro forte perijt. Sed quid de Apocyno dicemus, quam constat nihil aliud præstare posse, nisi quod quædam animalia necare potest? nam de aconitis, quæ idem possunt, satis responsum esse puto ex hoc, quod præter illud, medicinæ etiã opem ferunt. Profecto nihil amplius, ut nunc quidem est, mihi ocurrit; nisi quòd & hæc animalia cum nõnullis suis partibus uarios morbos profligare possint: non inutile erit scire, quonam pacto capi possint, ut medicamenta ab eis accepta, ad usum, cum necessitas postulet, ducere possimus. sicut non esset damnandus, qui Theriaces compositionem docturus, modum quo uiperæ capiantur, præscriberet. Vel quòd nõ solum feris illis uenenum esse credit, sed etiam homini: tametsi non explicuerit. nam inter illa Apocyni mentionem facit, quæ uenenata sunt; uel potius quòd alias habeat uires medicinæ utiles; quæ in Dioscoride perierint. nam eius semen ex aqua pleuriticos, & omnes lateris dolores persanare Plinius est auctor. Adde, quòd ex his plantis recte cognitis in aliarum cognitionem adduci poterimus, quæ medendi uim obtinent, cum scilicet eis comparatæ fuerint: quod quantum referre poterit, sequenti libro enarrabimus. Quòd si hę rationes cuiquã minus satisfecerint: dicimus illas plantas, quæ harũ difficultatum causa sunt, tam paucas esse, ut nulla de eis ratio habenda esse uideatur: Quę quidem (si modo illis quisquam offendatur) possunt absque ullo disciplinæ detrimento omitti: atque in illis tantum se exercere is poterit, quas utiles esse cognouerit. Nam quæ ad comptoriam artem pertinent, ad medendi scopum facile deduci possunt: cum & ob uitiligines, impetiginesque, atque in uniuersum ex humorum uitiosorum ad aliquam corporis partem decubitu, pili à naturali eorum colore recedere possint: qui cum quibusdam adhibitis remedijs non restituatur; medici partes sunt, eum decenti colore ex medicamentis expetito ita restituere; vt uerum, & genuinum mentiatur: sic si quando uel

ex

ex tumore præter naturam, uel vulnere locum rugas contraxisse contingat. Sanitatem enim tunc perfectam nos adeptos fuisse existimamur, cum nihil deficit, quod ad pristinum statum deductum non sit. Quòd si neque hæc ratio tibi arrideat: dicam cum Galeno (in primo κατὰ τόπους, cum de conseruandis, augendisq; capillis loquitur; docetque quonam pacto comptoria ars ab exornatoria medicinæ parte differat) comptoria simplicia adiungi propter societatem quandam, quã habent cum illis, quæ naturalem pulchritudinem (quod medici est) inducunt: quandoque ad regiarum fœminarum, atque adeo ipsorum Regum imperium. vtpote cum his negare nó liceat. Hinc Xanthium flauos facere capillos, Saluiam, & Iligeneæ radicis corticem, eosdem denigrare: Chiam terram faciem extendere, & erugare; splendidãque reddere, colorem in facie, & toto corpore commendare: sicuti & Cacaliam faciem erugare, Polygonaton maculas in facie delere, & cutẽ extendere, nonnullasque alias aliquid tale præstare posse apud Dioscoridem uidemus. Cumque Galenum comptoriã artem damnare legimus; non de his intelligendus est, sed de alijs, q̃ corpus à naturali habitu recedere cogunt. qualium multa à mulierculis, præsertimq; Neapolitanis, fieri cernimus; quæ in longe plures formas mutari uident, quàm de Proteo fabulantur: nonnunquã enim uix à parentibus agnoscuntur. quæ luxuries eò deducta est, ut uiros etiam (si Dijs placet) ijsdem ferè ornatuum generibus faciem, totumque corpus expolire non pudeat. Hæc non immerito à Galeno reijciuntur, cum non solũ ad medicinam nullo pacto pertineant; sed per se ipsa odiosa esse uideãtur. Quòd si fortasse aliqua eiusmodi sint apud Dioscoridem; nõ esse inutile ea nouisse uel eædem mulierculæ docere possunt: quæ cum uarias sibi herbas ad uenustatem conciliandam comparare soleant, ne à maritis, uel parentibus deprehendantur; illis se ad nonnullos corporis morbos, quibus se conflictari dissimulant, uti affirmant; ita enim venenatas alioquin aquas haustas à quamplurimis percepimus, credulitate eos ad mortẽ ducente. His adiũgitur, quòd ex horum simpliciũ, quæ ad ornatum spectant, usu assiduo mulierculis plures morbos cõtrahi nouimus: aliquas enim dentium mobilitate, gingiuarumque putredine, aut halitus fœtore laborasse perspeximus; sicuti & multas apoplexia correptas fuisse, aut alterius lateris resolutione, aut ophthalmia, aut destillationibus, quæ ad phthisim duxerint, alijsque grauissimis affectibus; in quos incidisse ex quauis alia causa, quàm ex huiusmodi fucis, philtrisque affirmabunt: ueritæ nedum curationem aggreditur medicus, ab illis eas abstinere cogat. Quare qui hæc nõ ignorauerit, tum in morbificarum causarum inuentione, tum in affectibus

quibusdam

quibuſdam rectè curandis ueram uiam adinueniet. Idem dici etiam de coronarijs plantis poteſt: cum conſtet multas ex coronis ad caput recreandum fieri ſolitas eſſe: nam & cephalica medicamenta, atque odorem ſpirantia magna ex parte ſunt, quæ in coronas admittuntur: alteratus enim ab eorum odore circunfuſus aer per inſpirationem attrahitur, vt cerebrum corroboret, nonnunquam & alia membra: vt uidere eſt apud Plinium libro x x i. nam de coronis priuatim ſcripſiſſe Mneſtheum, atque Callimachum medicos tradit. Sed adſunt alij coronarum honores, de quibus medicus non loquatur: niſi ex his iuuari cognitionem ſimplicium, ſuperius dicta ratione, ſpem habeat. Ergo quæ communem habent utcunque cum medicina rationem, reponi in de re medica libello poſſe, nullum fuerit abſurdum. Sed hactenus de his; concludamusque Dioſcoridem eorum, quæ ad rem medicam non pertinent, noluiſſe mentionem facere; niſi ob illas, quas diximus, aut conſimiles rationes. Atque hæc quidem una ratio eſt, cur ille noluerit de nonnullis ſimplicibus ſermonem habere: Altera uero (uti præmonuimus) eſt, quod cum quædam uiſu ille non aſſecutus eſſet, non poterat de illis aliquid certi docere. quamobrem, nedum uera ſe ſcripſiſſe exiſtimaret, falſa proponeret, vnde grauitati ſuæ multum detraheretur, ab eorum hiſtoria omnino ſibi abſtinendum eſſe rectius duxit. In qua quidem re animaduertendum eſt, Dioſcoridem, dum ſuum librum conficeret, ſummam adhibuiſſe curam, ut ueriſſima omnia ſcriberet. quod ut exequeretur, multas orbis partes penetrauit, ut oculis ſi fieri poſſet, omnia cognoſceret. Verum cum hoc illi non licuerit, coactus eſt quædam ab alijs ante ſe ſcriptoribus tranſcribere; quædam etiam percunctatione eorum intelligere, quibus auctoritatem, fidemque ſummam habendam eſſe exiſtimabat. Verum dum nonnulla ab alijs tranſcribebat, ab hac cogitatione nunquam oculos deiecit: vt omnibus auctoribus, qui de eadem re mentionem facie-
bant, inter ſe diligenter collatis, ea tantum in ſuo libro apponeret; in quibus eos una mente, uno animo, atque conſenſu conuenientes, conſpirantesque aſpiciebat. Idem & in his, quæ per interrogationem à uario hominum genere habuit, obſeruauit, ea tantum ſcilicet ſcriptis ſuis diſponens, in quibus omnes, quotquot ſciſcitabatur, in eandem ſententiam concurrere inueniret: ac propterea in præfatione ſic de ſe
„ ipſo inquit. Etenim plurima uiſu ipſi exactiſsime cognouimus (quia
„ ſuperius dixerat, neque enim neſcis nos militarē uitam exegiſſe) quæ-
„ dam etiam ex ea, de qua inter omnes conuenit, hiſtoria, percunctatione
neque rerum apud ſingulos uernacularum, diligenter accepimus, &c.
Vt nobis ex hoc denotaret, nihil eorum ab alijs auctoribus mutuatum

fuiſſe,

fuisse, in quibus unus, aut alter dissentiret: neque multam adhibuisse fidem his, qui percunctanti sibi uaria, minusque cohærentia responderent. Eueniebat igitur, ut auctorum de aliquo medicamento nonnunquam minus conuenirent historiæ, uel in delineatione, uel in facultatibus, uel in utrisque: cumque nihil haberet, quod ex sua officina promeret; nec cuinam ex tot sententijs adhæreret, iudicare posset: satius putauit nihil de eo proferre; sed siquid quandoque ei occurrisset, quod uerius in medium afferre potuisset, explosis aliorum sententijs suam dicebat. Hinc de Othonna cum quinque uarias, dissentientesq; inter se opiniones recitasset; suam deinde protulit, quam ueram esse certo sciebat: sic etiam refutat opinionem uolentium piperis radicem esse gingiber; quia sui generis plantam esse gingiber eum non latebat: nec minus reprehendit sentientes coccon gnidium fructum esse Thymelææ; quandoquidem Chamelææ fructum illud esse nouerat: ita & in nonnullis alijs. Quòd si in facultatibus certus esset, sed in delineatione hæreret, uel contra; mos eius est, ut quod uerum, compertumq; esse intelligebat, pro uero exploratoque proponat: in quo uero animi penderet, atque suspensus, incertusque esset, dubitationis notis inustum relinqueret. Quia igitur in agarici facultatibus nihil habebat dubitationis; eas omnes definita, certaque oratione prosecutus est: sed eiusdem descriptionem dubitanter, uerecundeq; quodam modo protulit; vt se in ea aliquid ambigere nobis manifestaret: ac propterea cum duas de eo sententias recitasset; nullam, neq; reiicere ausus est, neque aliquid de suo addere. At non ita in asparago hærens fuit: nam cum apud aliquos legisset illum nasci posse arietis cornibus contusis atque defossis; id à ueritate abhorrere affirmauit. Contra uero, cum nihil dubij haberet in trifolij asphaltitis figura; eam decenti delineatione circunscripsit. At quia in nonnullis facultatibus incertus erat, quæ à quibusdam auctoribus scriptis suis relictæ fuerant, ex eorũ sententia eas enumerauit, nullam ipse certitudinem adnectens: ac propterea inquit, tradunt aliqui totius fruticis radicis, foliorumque decoctum fotu dolores eorum finire, quos serpentes percussserint, &c. Similiter, cum plantaginis utriusque formas satis perspectas haberet: quia apud aliquos reperiebat eius radices cum tribus uini cyathis, & pari aquæ modo, tertianis auxiliari, & quatuor quartanis: ipseque huiusce rei periculum nondum fecerat, confirmare ausus non est; sed illorum sententiam recitasse sibi satis uisum est. atq; ita in multis alijs: in quibus cum rem confirmare non vult; ferunt, aiunt, fama est, & id genus alijs uerbis uti solet. Nam & cum in utroque dubius est, tam scilicet in delineatione, quàm in uiribus medicaminum, ijsdem loquendi

quendi formulis utitur; vt cum lonchitida fruticem describit,cap. de lycio, Tradunt (inquit) Indicum fieri Lycium, ex frutice lonchitide appellato: ac deinde delineationem prosequitur; qua absoluta cum eius facultates recensere aggrederetur; subdit: Herba in aceto decocta proditur lienis inflammationibus, & regio morbo mederi. In utrisq; etiam incertus erat, cum capite de Lasere ait. Fertur & alia magudaris in Lybia nasci; radix laserpitio similis, sed minus crassa, acris,& fungosa: ex qua non profluit succus, eiusdem cum lasere facultatis. Nec minus, cum helenij alterum genus in Aegypto nascentis, ex Crateuæ sententia describit; tam in eius uiribus, quàm in descriptione dubius est. Hanc etiam ob rationem, tradunt (ait) & purpurea esse lilia: quia ille nunquam ea uiderat; nec affirmare audebat. Manifestum est etiam uniuersam de phyllo historiam à Crateuæ scriptis transcripsisse: ex cuius etiam mente Thlaspi quoddam genus describit. Sed hæc pauca admodum sunt; longe enim plura esse, quæ nullo pacto scripsit, credibile est. Nam uel delineationem subticebat, solas facultates adijciens; uel utrunque silentio prætermittens, vniuersam medicamenti historiam à libro suo reijciebat. Nam in quo delineationem proponeret facultates reticens nihil habebat; cum non nisi facultatum gratia illum medicamenta describere cuiuis notissimum sit. Hæc igitur executum fuisse in Thure, & in Myrrha perbelle apparet: horum enim circa delineationes tam uariæ erant sententiæ,ut quã ex his ueram existimaret,minime cognosceret. nam & Theophrastus ipse in hac re incertus est. Thus enim aliqui in prealto quodam mõte in Arabum regione media ningi solito, nasci tradebant: alij in terra quadã subargillosa, & sabulosa, & aquas fonte fluentes, raras admodũ comperiri: quod repugnat his quę alij dicebant, videlicet ningi, & imbribus perlui, & amnibus locum illum exhilarari. Alij folium ei pyri inesse affirmabant, sed multo minus, colore herbidum modo rutæ: alij folium laurinum, læueque habere asseuerabant; alij arborem esse non magnam, sed quinis ferè cubitis attolli, permultosque ramos gerere, sed formam non explicant. Alii thuris arborem lentisco similem prodidere, & fructum quoque lentisci, folium subrutilum; alij terebintho similẽ esse: nec defuere qui Terebinthum eam esse omnino putarent: immo & Thus,myrrhamque nasci ex eadem arbore quidam existimarunt. Eadem ferè uarietas in myrrhæ descriptione erat: quidã enim ijsdem locis ningi solitis, quibus thus nasci diximus, eam prouenire affirmabant; quidam etiã terra subargillosa & sabulosa, ut erat alia Thuris opinio: alij myrrham fruticosam esse caudice duro, contortoque iuxta terram, crassiorique sura hominis, cortice læui, similique

liq́ue portulacæ: quidam in magnitudine consentiunt; sed folium acu leatũ ei inesse dicebant, non læue, ulmeo simile, crispũ tamen; extremo spina horridulum Ilignei modo: alij myrrhæ arborẽ terebintho similẽ reddidere; sed scabriorem, spinosioremq́ue, folium paulo rotundius, gustatu proximum terebintho. de cinnamomo etiam uariæ erant circa descriptionem sententiæ, ut uidere est apud Theophrastum lib. IX. In tantis igitur, ac tam uarijs sententijs, quid certi pronuntiaret Dioscorides non habebat: hinc horum medicaminum delineationes subticuit, solas facultates, in quibus certus erat, enumerans. Quin & in his, in quibus nulla erat auctorum discrepantia, nonnunquam mendaciũ repertum est. quam ob rem Dioscorides illis fidem adhibens, in errorẽ incidit; ea ita memoriæ posteris tradens, ut vel scripta ab omnibus inueniebat; uel enarratione à pluribus acceperat. sed non ita ut res se habebat, certior ab illis factus est; ut in terra lemnia: quam dicit caprino sanguine permisceri in lemno insula; deinde in pastillos cogi, & imaginæ capræ signari. Verũ Galenus, qui in Lemnũ insulam non alia de causa nauigauit, nisi ut terræ lemniæ mixturã aspiceret, hoc falsum esse affirmat, lib. VIII. simpliciũ medicamentorum. Piperis arborem cum Dioscoridi videre non licuerit; atque ex aliorum scriptis eius fructus describeret; tria illius genera eiusdem arboris esse tradit: & tamen hi, qui in nouas Indias nauigarunt, quinque piperis arbores uiderunt, diuersarum arborum fructus nigrum, candidum, longum esse affirmãt. Quod si casiam folijs piperis describat Dioscorides, nõ propterea eius arborem eum inspexisse est existimandum: cũ uel aliorum relatu, uel quòd piperis folia ad se trãsmissa fuerint, hoc nouisse potius credendũ sit. In loti etiã ægyptij historia Dioscorides in multis à Theophrasto diuersus est, ut inspicienti clarum erit; & præsertim in radice. hanc enim decoctũ lutei oui qualitatẽ referre Dioscorides auctor est: Theophrastus tamen in albuminis specimen uerti elixum, assumq́ue tradit. vnde facile quis coniectari posset, bonam partem eorum, qui de loto ægyptio scribebant, eius fuisse sententiæ, quam Dioscorides sectatus est: quam ob rem à Theophrasto dissentire non dubitauit. Si igitur in his error fieri contingebat, in quibus omnes conuenirent; quanto magis in illis accidere posset, in quibus multorum distinctæ ac minime consentientes erant sententiæ. Quæ cum ita sint, mirari non debemus, si nonnulla simplicia in Theophrasto, uel Plinio, uel Apuleio, uel alio quopiã scriptore legamus, quæ in Dioscoride non adsint. ex his enim quæ diximus, discrepasse in illis auctores tam in delineatione, quàm in uiribus, credibile est: ob quam rationem ille, ut quæ dubia, ac incerta habebat, inter ea quæ certissima apud se erant, nullo pacto interponenda

nenda esse duxit. Vel quia nullam opem medicinæ præstare possent. Neque enim dicendum est eorum ignarum Dioscoridem fuisse: quandoquidem multa apud eum inueniuntur, quæ cum medendi arti nihil deseruiant; ipse ille silere uoluit: quod ex aluminum historia facile colligitur. horũ enim plura esse genera tradit, sed tria tantum usui medico deseruire, quæ sola examinauit: Multa etiã uarijs capitibus habentur, de quibus obiter meminit, & quorum separata capita conficere non curauit. Quanuis nanque Buxum non depingat ob superius dictam rationem; tamen ei cognitam fuisse colligimus ex capite de lycio, cuius folia buxo comparat. Immo & utriusq; aristolochiæ, & uitis nigrę colorem in interna radicum parte, & glycyrrhizæ radicis, & aliarum quarundam à buxi colore mutuatus est. Thuiam præterea ei cognitam fuisse colligimus ex capite de agallocho: huius enim lignũ thuiæ ligno comparat; non tamen quicquam de Thuia locutus est; vt quæ alijs à medicinæ operibus deseruiat. Aegyptiæ spinæ meminit capite de myrrha, & de acacia: loquitur & de uiolis albis Iasmæ, qua de Iasmino unguento: quorum omnium ne uerbum quidẽ separatim scripsit. Meminit & stibij, cap. de nardo. illo enim nardum adulterari scribit, quemadmodũ & amomum adulterari herba simili, quę Amomis uocatur, sed sine odore, sine fructu, & in Armenia nasci, flore origani. est & hirculus herba, ab odoris grauitate sic dicta, nardo celticæ similis, candidior, sine cauliculo, minoribus foliis, radice neque amara, neque odorata: qua celtica nardus adulterabatur. De hac Dioscorides ubi de celtica nardo loquitur; sed peculiaris historia de ea, alijsque superius enumeratis non extat: sicuti neque pyracanthæ usquam apud illum sermo est; neque quid sit scimus, nisi idem sit quod oxyacantha: illi tamen balsami arborem comparat. Adhæc à Petra oppido semen deferri ibidem autumat, hyperico simile: quo carpobalsamum adulterabatur. Sylueſtre linum nouisse Dioscoridem ex cap. de Thymelæa colligimus; vbi satiui facit mentionem. Præterea tres tantum hederæ species scribere uoluit; plures tamen nouisse manifestum est, cum inquit, Hedera differentias multas in specie sortitur; summas autem genere tres. Sic & quamplurima alia apud Dioscoridem uidere est, quæ cum illi satis perspecta fuerint; aliqua tamen ex his, quas diximus, ratione commotus, examinare noluit. sed nos ea lubentes prætermittimus: tum quia per se lector considerare poterit; tum etiam quòd quæ hucusque proposuimus, non solum ad Dioscoridis mentem declarandam satis esse existimamus, sed ad calumniatorum demen-

tias propalandas, qui non ratione, & consilio, sed stultitia quadam in omnibus Dioscoridem inconsideratissime reprehendunt. Sed hi dum immortalem gloriam sibi quibusdam commentis, fallacijsque comparare studeant: præterquam quòd à summæ temeritatis reprehensione non absunt: suam imprudentiam, falsitatemque nihil firmamenti, nihil virium habentem ante omnium oculos apertam ponunt.

PRIMI LIBRI FINIS.

BARTHO

BARTHOLOMEI MARANTAE VENVSINI MEDICI

Methodi cognoſcendorum ſimplicium

LIBER SECVNDVS.

Ratio aſſignatur, cur nonnullorum errata hoc libro manifeſtentur. Cap. 1.

QVONIAM multorum in re medica præclariſsimorum virorum errata quædam priore libro adnotauimus; atque hoc etiam adnotabimus: nolim mihi id temeritati adſcribatur; vt qui non eorum redarguendorum, ſed indagandæ ueritatis ſtudio, hæc omnia ſcribere aggreſſus ſim. ſcio nanque fore, ut multa hic imprudenter, atque indocte dicta reperiantur: in quibus à quouis (dummodo rite ea animaduertat) reprehendi mihi longe gratiſsimũ erit. Sed illud unum fortaſſe doctiſsimi uiri æquo animo non patientur, quòd mihi non cum imperitis (quibuscum multo acrius eſſe debuiſſet) ſed cum ijs ſolum, qui in aliquo ſunt numero, contentionem eſſe uoluerim. Nam cum multa ſint, quæ reprehendi poſſunt apud ſeplaſiarios, necnõ apud quamplurimos rei herbariæ profeſſores; quin & apud quoſdam, qui in medicorum cœtu habentur: in admirationem non absque ratione uenient, quòd in id genus homines non inuectus fuerim; vt errores eorum penè innumeros, ac deteſtabiles, non minus & uitandos eſſe, & quo pacto eos præcauere liceret, monerem: Quibus quidem reſponſum uolo, noſtrum cõſilium fuiſſe, dum hunc libellum aggrederemur, neminem erroris culpa notare; ſed regulas tantummodo aſsignare, quibus errandi anſas ſubterfugere ualeremus: quas non vulgo, neque ijs quibus nullum eſt conſilium, nulla ratio, nullum diſcrimen legendas eſſe animo concepimus: ſed ijs ſolum, qui

sapientia, ac delectu omnia contemplantur. Verum dum hæc scriberemus, non potuimus abstinere (ut quod tractationis filum exposcere uideretur) quin obiter aliquorum errata proponeremus. Sed adnotanda duximus ea, quæ ita commissa sunt, vt rationabilis quædã persuasio doctorum uirorum animos ad errorem impelleret. quæ enim sponte, ac nulla habita ratione ab imperitissimis quibusdam inconsideratissime proposita sunt, ridicula sunt; atque ut ab eruditis legantur minime digna. Hos si reprehẽdere, uel corrigere conaremur, prẹter id quod inanem gloriam, laudemque nobis inde arrogare existimaremur (videremur enim quasi mortuis vulnera infligere) eos etiã ab inueterata sua sententia deducere minime possemus; vt qui malint suos illustres, atque ante omnium oculos positos errores, tueri, quàm cum quouis uera sentire. Nam quibus uel ætas, uel regio, uel locus, uel anni status, uel æquiuocatio aliqua, uel similitudo, uel aliquid tale, quod plantas immutare à propria forma potest, in causa, est cur minus recte sentiant: poterunt ex nostra methodo aliquid utilitatis, in uitandis erroribus consequi. verum qui temere, uel casu, uel impetu quodam res proferunt; quî ex ætate, loco, alijsque corrigi poterunt? vtque rem omnem exemplis comprobemus, quis corrigat opinionem sentientium Nardũ Celticam Dioscoridis esse Lauandam appellatam: cum nulla nota neque ex frondibus, neque ex floribus, neque ex magnitudine, neque ex alijs consentiat? quis etiam eorum stupiditatem literis prodendam censeat, qui pro eadem celtica nardo muscosam quandam plantam ostendunt, quæ arbores amplexu circundare solet, folijs minutissimis, flauescentibus, cui nullus inest odor; atque, ut breuibus perstringam, celticam nardum, non ut hominem simia, sed ut eundem aquila, vel coruus, repræsentat? In hoc etiam numero ponemus eos, qui amomum credunt esse semen quoddam odoratum, & acre, colore nigrum, quod passim pro amomo uendunt officinæ. sunt & qui ex Dioscoridis sententia Caphuram esse herbæ succum contendant; quo quid potes esse absurdius, præsertim cum nihil unquam Dioscorides de ea locutus sit? Ita nec desunt, qui buxum esse guaiaci ligni speciem asseuerent, argumento quòd buxus, uti lignum Indicum, decocto multis morbis fœlici successu exhibeatur. Quemadmodum & qui pro Rhamno ostendunt rubi speciem quandam nigra mora ferentem; aut qui pro Asclepiade, hederam terrestrem vulgarem; aut pro Phyllo mercurialem. Nec minus qui epimedium eam plantam existimant, quam herbam Trinitatis vulgus nuncupat: quia trifida folia profert. sicuti & qui personatã esse credit Aparinem; aut qui calendulam vulgarem (quæ pro caltha Plinii ab omnibus fere ostendi solet)

solet) maius Dioscoridis Heliotropium. Similiter uidemus in uniuersa ferè Germania pro satiuo Acantho, à pharmacopolis assumi fœniculaceam quandam plantam sphondylio similem (non enim mihi uidetur pictura Fuchsii uerum spondylium repræsentare) præsertim in solijs: quæ tantum à uero acantho, quantum coruus à ceruo, distat. Quis igitur in his, aut consimilibus sententijs refutandis tempus conterat? profecto qui hanc prouinciam susceperit non absque ratione irridebitur. Quod cum ita sit, nemo nostrum consilium iure damnauerit, quòd doctorum uirorum solos errores corrigere ausi simus. nã quemadmodum (ut prouerbio rem omnem claudam) πολλάκιτοι καὶ μωρὸς ἀνὴρ κατακαίριον εἶπεν: ita & quandoque bonus dormitat Homerus. est enim cuiusuis hominis errare: quãquam nullius nisi insipientis perseuerare in errore. Quam ob rem qui recte reprehenduntur, non solum id boni consulere debent, sed nobis etiam aliquid gratiarum agere; vt qui ab errore nostra opera deducantur: qui uero minus recte se erroris nota aspergi cognoscent, in nos culpam omnem reflectent: quorum admonita libenti animo admissuros esse promittimus; ac præterquam quòd diutius in errore nos uersari non patiemur, maximam illis gratiam habebimus.

Plantarum varietates ratione substantiæ euenientes. Cap. 11.

VARIETATEM in medicamentis, ob quam difficile internoscũtur, quatuor potissimum ob causas contingere posse iam diximus: ratione nomenclaturæ, numeri, delineationis, & facultatum. Quæ uero hæ sint, atque à quibus ortum ducant, tum quantum ad nomen, tum etiam quantum ad numerum pertinet, priore libro satis superque docuimus: nunc quæ circa delineationem considerandæ sunt, exquirere tentabimus: quod hoc secundo libro perficiemus. Huius uero ratione duplex deceptionis genus accidere poterat: alterum, quod ex plantis ipsis proficiscebatur; alterũ, quod ex auctoribus: atque hoc quidem, quãdo eorum delineationes medicamentis non consentiunt; quia notas in illis describendis, aptissimas hi deligere non curarunt: illud, cum medicamenta ob aliquod impedimentum à propria forma recessere; ac per hoc ad delineationes, quanquam apposite congruenterque propositas, minime accommodantur. Exui autẽ propria figura medicamẽta multis rationibus poterãt; inter quas erat, cum sui ipsius ratione faciẽ permutabant: atque hoc in tribus accidere docuimus, in substantia, in ætate, in vetustate. Agemus hoc capite de ijs diuersitatibus, quæ ratione substantiæ euenire solitæ sunt, Sed illud primo lectorem admonebimus,

nebimus, tractationem de substantia, quasi extra rem, hic poni, nos nõ latere: quandoquidem aliarum mutationum in plantis causa esse non uideatur: sed ipsa illa mutatio quædam est, ab alijs causis proueniens. Vnde neq; apta uidetur distinctio substãtiam inter ea immiscere, quæ sui ratione variare plantas possunt. siquidem ætas, & senectus agentis munere fungentes, multa variãt: inter quæ & substantiam ipsam: quã ob rem passi naturam hęc sortitur. potius igitur inter uariatorum numerum, quàm inter ea, quæ variare alia possunt, recensenda substãtia esset. Sed scire licet vera quidem hæc omnia esse; sed agentis personam nonnunquam eam obtinere inuenimus: ita ut non solum ab alijs uariari possit, sed & ipsa per se alijs nonnullas permutationes inducere apta sit: atque hac quidem ratione vtrisque eam locis immiscuimus. Voco autem substantiam plantarum partes, atque ea, quæ illis tanquã superflua adnasci solent: sicuti & cum quicquam deficiat, ad hanc etiã deducimus. Hæc autem uel naturalia esse solent, uel præter naturam. Naturalia quidem; ut capillamenta, quæ tribuli aquatici caulibus adnascuntur, quæ Theophrasto auctore nec folia, nec caules esse uidentur, sed cauli adnascentia intelliguntur. Huiusmodi & uiscum, & stelis, & Hyphear, quæ non nisi in aliena arbore nasci possunt. ita & ledon Cisti species; in cuius folijs pingue quiddam contrahitur verno tempore. Ad substantiam etiam referas gummi, lacrymas, lac, succus, & id genus alia: quæ quandoque sunt, quandoque cum esse deberent, deficiunt. Huiusmodi est mastiche iuxta chamęleonis albi radices: sic & quæ deficiunt, ut chondrillę alterum genus, quod folia fert circũrosa, ut & othonna. chamæleonis nigri radix, quæ interdum exesa est. Quæ præter naturam sunt, huiusmodi esse solent, ut cum ficui scabies nascitur, erugo oliuis apud Tarentum; atque eadem in frugibus ex serenitatibus flatibusque austrinis, aqua, & rore in spicis insidente. Ad hanc etiam animalia deduces, quæ plantis innascuntur: ut hordeo & frumento curculio: fabis Midas, atque alia, quæ nomina carent, alijs plantis innata; siue sint vermes, siue in volatilium genere: quanquam hæc cognitionem non multum impedire possunt. Sic & cum præter naturam aliqua deficiunt, ut in Myrto, quæ iuxta balneum sine nucleis exijt; & multa alia, quæ non solum hoc capite, sed passim alijs subsequentibus enumerabuntur. Viros enim in materia medica alioqui exercitatissimos, doctissimosque nõ raro deceptos uidimus; quòd quædã in plantis inuenerint, quæ Dioscorides in suis descriptionibus adesse negat, vnde & multas plantas à Dioscoridis capitibus hac de causa reiecerunt; quæ tamen absq; ulla controuersia acceptari debent. Dictamnum Cretense multi non cognouerunt, quod Dioscorides dicat

florem

florem nullum, aut fructum proferre: sed habemus nos plantam, cui omnes notæ à Dioscoride Dictamno cretensi attributæ pulchre respõdent; est enim acris, leuis, pulegio similis, sed minoribus folijs: quæ tomento spissaq; lanugine pubescunt. Ac etiam si florem nullum proferre dicat Dioscorides, potuit hoc ex regionis natura euenire, in qua eam uidit neq; enim solum in Creta dictamnum creticum oritur; sed in alijs etiam regionibus prouenire certum est: etiamsi Theophrastus dicat proprium Cretæ insulæ dari: scio tamen ego ex Creta semina eius ad excellentissimum, doctissimumque Lucam Ghinum præceptorem meum, Pisis tunc materiam medicam, summa cum omnium admiratione, publice profitentem; à fratre suo ibi degente transmissa: quæ sata perbelle prouenerunt: planta tamen florem quidem edebat; sed ad semen usque peruenire non poterat. Eodem pacto fieri potuit, ut eadem planta in his locis, quibus eam Dioscorides uidit, florem nõ emitteret, nec fructum, loci, aut regionis ratione; nisi uelimus dicere codicem esse deprauatum, ut inferius fusius dicemus. locus igitur plantarum substantiam variare potest. Arcades enim populum solam sterilem habent, cæteræ omnes syluestres plantæ fructum pariunt: ut in Creta, & populi nigri complures fructificant. Macedones in montibus vlmum tantum fructiferam habent, ut auctor est Theophrastus III. de historia. Discrimen summum ad fœcunditatem sterilitatẽque locorum natura facere potest. Persica in Aegypto, & locis proximis fructificat: quanquam in Rhodo usque florem duntaxat deuenit. Palma apud Babylonem fructum mirum in modum largitur: in Græcia vero ne fructum quidem maturat; apudque nonnullos nec fructum vllum ostendit. Centaurium in Elio agro fœcundum, quod mõtuosis æditur infœcundum; quod planis, flosculo tantum gaudens; quod concauis, ne floret quidem, nisi improbe. his similia quamplurima his quæ de loco reperies. substantiæ.n. plantarũ consideratio & locis, & ætati, & vetustati, & alijs ferè omnibus varietatibus adaptari potest. si quis igitur exactam eius contemplationem optet, ad alia capita cõfugiat: ubi aptius cohærentiusque hæc omnia habentur. nam & hac ratione nos breuiores tractatio de substantia esse coget. Quod Dioscoridi in Dictamno Cretico accidit multis ante eum, accidisse in Tussilaginis flore ipse ille testatur libro tertio, cum de illa inquit. Flos luteus vere prodit, quo vna cum caule confestim exuitur. inde nonnulli his vacare existimauerũt. hæc Dioscorides. Ab huiusmodi auctoribus sumpsisse Plinium suam de Tussilagine historiam est credẽdum: qui neque florem, neque caulem, neque semen proferre hanc plantam tradit. sed hoc non solum in Tussilagine; sed alijs quibusdã herbis eue-

nire idem Dioſcorides in ſui libri præfatione confirmat, his verbis. Quæ cauſa etiam nonnullis ſcriptoribus impoſuit, qui herbas quaſ- „
dam, uerbi gratia, gramen, quinquefolium, & tuſsilaginem emittere „
florem, fructum, & caulem negant. Hoc autem, vt ſuperius diximus, „
non aliunde natum eſt; niſi quod non omni ætate herbas uiderunt, ac propterea ſubdit Dioſcorides. Ergo qui ſæpius ad uidendas herbas, „
& earum natales ſe contulerit, earum cognitionem maxime conſeque- „
tur. Huc etiam ſpectat quod de Cynogloſſo recenſebimus, cum de ſe nectute plantarum loquemur; quam caule uacare aſſerit; cum caulem poſt certum tempus proferre uiderimus. Hæc uero, ut alij animaduer 10
terent, Dioſcorides monuit: verum in nonnullis ipſe ille animaduertiſſe non ualuit; neque ob id damnanda eſt eius diligentia, cum infinitæ ferè eſſe poſsint cauſæ, quibus plantæ mutationem ſuſcipiunt, ut progreſſu patebit: quarum ne minimam quidem partem uni homini quantumuis diligenti obſeruare licuerit. Sed ſat ſit Dioſcoridi, quas ipſe nouerit, proprietates proponere; vt ſi in ſimiles nos inciderimus, eas non ignoremus. ſunt enim multa, quæ ſuis deſcriptionibus repugnare uidentur; vt in hyppogloſſo, quam ſcribit è medio frondium ceu linguas exeuntes habere: in multis nihilominus frondibus immo in integris plantis linguæ illæ non conſpiciuntur. Hanc iſtius plantæ 20
diuerſitatem qui nõ obſeruarunt, ſæpius decepti ſunt: ac hyppogloſſum non eſſe crediderunt; quod uerum erat hyppogloſſum. Euenit hæc differentia magna ex parte in tenera adhuc planta; (quod, cum diuerſitates ratione ætatis euenientes manifeſtabimus, adnotabitur) ſed in adulta planta non raro idem eueniſſe perſpeximus. Multa præter hæc adnaſcuntur plantis, quæ omnino & forma, & ſubſtantia à plantis, quibus adnaſcuntur, ſunt diuerſa: quæque ita rara inuentu ſunt; vt uix in altera idem inuenias. Annus eſt cum roſam rubram multifoliam legi, ex cuius floris medio alter pediculus erumpebat, alterum roſæ florem in cacumine habens, utrunque etiam odoratiſsimum; vt 30
duo uaſa paruula, quorum alterum alteri ſuperſtaret, repræſentarent. Vidi & in capni radice tuberculum adnatum, aſphodeli radicis glandi ſatis ſimile, licet aliquanto minus: quod in alijs reperiri, fieri nõ poſſe crediderim. Rubi ramum folijs refertum inueni: quæ rotundas pilulas rubentesque quamplurimas parte ſuperna continerent: item in fagi folijs adnatas pilulas multas, denſas, tritici magnitudine pleniores, in ſummo acuminatas, uirentes reperi. ſicuti in quercus folijs pilulas rotundas, ſcabras, ſubluteas; necnon lanuginem quandam, nunc rubri, nunc nigricantis coloris: goſipio cæteris perſimilem; & multa alia frondibus, ramisque adnata, de quibus Plinius. Vidimus & in Ilice pilulas

ce pilulas huiusmodi in frondium parte inferiore; easdemque in salice, & multis aliis fructibus arboribusque, de quibus nullam scriptores mentionem faciunt. Acanthum satiuum folium proferre satis magnum aspeximus: super quo alia foliola multa, veluti appendices, inferiore parte pendebant, eiusdem coloris ac substantiæ. An nos hanc non esse acanthon dicemus, quòd in folio habeat id, quod in nulla alia planta reperiri poterit, atque ita de aliis iam enumeratis? Profecto qui hæc dixerit, non secus irridebitur, ac qui sextum digitum hominem in manu habentem uiderit, hunc hominem negauerit. Solita quidem est natura sæpius ludere in plantis, ac, cum ei multa copiosaque materia suggeritur, luxuriari; illas uariando uel in radice, vel in flore, vel in foliis, uel in alia parte plantæ: vel contra, cum alimentum ei deficit, aliquid in plantis desiderari: quandoque nullam in his causam dare possumus, sed tanquã prodigia admiramur, vt Plinius lib. XVII. & Theophrastus II. de historia. Inuentum est uites sine folijs natas: uitem habere vuas sine foliis: oleas quoque amisisse folia, baccis hærentibus: cuius causam reddens V. de causis. inquit esse, quia natura se tota ad fructum generandum contulerit. Ad substantiam etiam referemus, cum plantæ, vel eius pars non sibi similis prouenit: nec ulla adsit causa manifesta, cur ita sit. quod & Galenus primo de Antidotis tradit, cum inquit casiam quandoque ramulos quosdam cinnamomo penitus similes habuisse, & in optima myrrha opocalpasum repertum fuisse; quod tamen à myrrha differt: & chalbani partem quandá, quæ spumosa, & leuis est, re uera in sagapenum transisse. Immo in his tribus nempe sagapeno, opocalpaso, & cinnamomo; quæ ex aliis nasci diximus, quædam adnascuntur, quæ nullam naturam retinent eorum, ex quibus orta sunt, scilicet chalbani, myrrhæ, & casiæ: & tamẽ diuersa etiam sunt à sagapeno, opocalpaso, & cinnamomo; quibus adnata esse protulimus. Sunt & multæ aliæ transmutationes plantarũ cum in alias species transeunt: quæ recte quidem in hoc capite inseri, & enumerari possent. verum cum manifestas habeant causas, nempe cultum, uel negligentiam; vt cum sisymbrium transit in mentham; in his quæ de cultu dicentur, longioribus manifestabimus; illuc igitur lectorem ablegamus. Hæc qui non rite animaduerterunt; in inutiles quæstiones sæpius incidêre: quia alias pro aliis plantas acceperunt; easque ut falsas reiecerunt: quæ citra controuersiam ueriſsimæ sunt.

Quòd

Quòd uarietas, quæ ob plantarum ætates contingit, non minus ac aliæ eorum indagatores perturbet. Cap. III.

DANTVR & in plantis ætates, nõ secus ac in omnibus animalibus. siquidem & hæ etiam animatæ sunt: cuius ratione & pueritiam, & adolescentiam, & senectutem habent. Dupliciter autem ætatem considerari in plãtis posse prædiximus: & cum adhuc in terra uigent, & postquam collectæ sunt. De priori, hoc capite pertractabimus. Scire igitur licet, plantas ferè omnes, cum ex pueritia ad adolescentiam transeunt; rursusq; ex adolescentia ad senectam: facilẽ adeo permutare; ut aliæ, atq; aliæ omnino videantur. quod quidẽ errandi ansam uel peritissimis rei herbariæ sæpissime præbuit. Nam cum plantam iam iam è terra erumpentem conspexerint, eandemque foliorum formam adesse debere in eius adolescentia conceperint, sua spe frustrati, illam non cognouerũt. Magni igitur refert omni ætate plantas vidisse; ac ad natalia earũ loca sæpius accessisse. hoc uero ut necessarium, ita est laborioſum: unde hortos herbarum uariarum plenos quamplurimi sibi hodierno tempore comparant; quo stirpium ætates commodius cõtemplari ualeant. Hoc autem antiquorum inuentum fuisse Plinius testatur, cum de se ita lib. XXIIII. inquit: Nobis certe, exceptis, admodum paucis, contingit reliquas contemplari, scientia Antonij Castoris; cui summa auctoritas erat in ea arte, nostro æuo visendo hortulo eius, in quo plurimas alebat &c. Hæc cũ non ignorasset Dioscorides, uoluit nos huius rei commonefacere in sua præfatione his uerbis. Quare cui in animo est horũ peritiã assequi, necesse est eum prima germinatione, solo emergẽtibus; adulti, & senescentibus adesse: nam qui pullulanti herbæ duntaxat astiterit, adultam cognoscere non potest: neque qui adultam tantum inspexerit nuper erumpentem noscet. quo fit ut propter mutatam foliorũ faciem, caulium proceritates, florum, seminumque magnitudinem, & id genus alias peculiares notas; nonnulli qui olim has rerum uarietates non perspexerunt, magno in errore uersentur. Hæc ille. Quod & Plinius etiam tetigit præcitato loco inquiens: Præterea parum est singulas earum ætates pingi, cum quadripartitis uarietatibus anni, faciẽ mutent. Vnde ob eandem rationem stirpium picturam damnat. Verũ enimuero quantam hæc habeant ueritatem, in herbis ipsis exempla tradendo manifestum fiet; si illud primo considerauerimus: Dioscoridem, dum plantas delineabat, non potuisse uarietatem foliorum, aliarumq; partium plantæ in omni earum ætate euenientẽ, describere: sed prout planta in hac, uel illa ætate ei ad manus aderat, ita illã depingebat.

Sæpius

Sæpius igitur plantam delineabat, notas illi tribuens, quæ in prima eius germinatione recte quidem apparent, sed adultæ quodammodo refragantur. atque idem intelligendum in alijs ætatibus. Quod si quis plantam uiderit adultam, cuius notas Dioscorides, cum adhuc tenera esset, exhibuit; uideatque non apte appositeque respondere: non propterea debebit illã non esse affirmare. sed postquã omni ætate eam obseruauerit; atque in nulla signa, illa cõspiciat: tũc demum illã tãquam adulterinam reijcere iure poterit. Visitur hoc clarissime in Iberide; cuius folia in prima eorum germinatione uidetur descripsisse Dioscorides: cum nasturtij folijs similia esse dicat. nam postquam caulem edidit, nullam cum nasturtio retinere similitudinem uidentur: ita ut hãc solum ob causam multis diu incognita fuerit, & (ut uerum fatear) mihi etiam non propter id solum incomperta diutius fuit, sed etiam quòd folia in eadem ætate uariare ita soleat, ut una eiusdem speciei planta alteri dissimilis penitus uideatur. Contra uero Centaurij minoris descriptionem adulti, ac iam caulem habentis prosecutus est: cum rutæ folia habere dicat prælonga & parua; totamque herbam origano, atque hyperico comparet. nam si centaurium minus, cum folia incipit proferre, inspiciamus; longe maiora, quàm rutæ habere inueniemus. sunt enim lata, ut plantaginis esse uideantur, paruæ tamen; prorsusque ab origano, ac ab hyperico abhorrere uniuersam plantam appareat: quod multos rei herbariæ peritissimos fefellit. Hoc igitur in multis alijs animaduertisse par est: ac præsertim in smyrnio, cuius folia apio comparat Dioscorides latiora esse inquiens, & subpinguia: ac recte quidem respondet comparatio, si folia caudici, seu radici proxima assumãtur. Nam quæ stolones circundant, ac caules; rotundantur nullam præ se ferentes diuisuram: ita vt aristolochiæ, aut oblongæ hederæ figuram potius, quã apij retineãt. ut in lathyri Dioscorides cueniisse asserit; reliquæ notæ nulla reclamante conueniunt. Quod & Theophrastus adnotauit in nonnullis. secundo enim de causis Plantarum inquit nõnulla Crotonis folia (intelligit autẽ ricinum) cum rotunda principio prouenerint, in angulum deinde sese colligunt. quod ita fit, quia res simplex facilior est, quàm multiformis: & principium rem difficilem peragere nequit. Sed contrarium in hedera uideri ex ipso etiam Theophrasto habemus; quam primo de historia cap. XVI. inquit, dum noua est, angulatiora folia gerere; cum autem ætate prouecta fuerit, rotũda. Hoc Dioscorides de altero sisymbrio dixit; cuius folia primo rotunda esse dicit; sed cum adoleuerunt, erucæ modo diuidi. Hippoglossum, cum adhuc tenera est, linguas è folijs exeuntes nunquam habet: adultis tamen adsunt. licet & his etiam quandoque desint; vt superius diximus.

diximus. Phyllitis antequam solidior reddatur, nullos sub folijs pensiles vermiculos retinet. Rubum spinis horridum depingit Dioscorides cap. de Idęo rubo, & cap. de Cappari: tamen cum tenerrimos ramos proferre incipit; nullas profert spinas: ita vt qui hoc non considerarint, illam quamuis aliam potius, quàm rubũ, existimabunt. quod neque omisit Theophrastus: nam 1. de histor. nonnulla inquit caulem primo mitem, post horridulum spinis gerunt, vt lactuca: & magis in fruticum genere, vt rubus, paliurus. Hoc idem in multis alijs plantis, quarum descriptiones, ut quæ uulgatæ omnibus essent, omisit Dioscorides, euenire cernimus; necnon in his, de quibus nullam Dioscorides mentionem fecit. Apium & Nasturtium antequã caulescant, folia habent modice lata diuisaque: at cum caulem ædiderunt, folia mutant. sunt enim oblonga, tenuia, digiti longitudinem æquantia. Coriannũ, cum adhuc recens est, folia habet ranunculi; sed postquam caulem protulit, scinduntur ita, ut fœniculum ex toto æmulentur. Idem de vulgari saxifragia dicitur. hæc enim pro ætatis ratione folia multiplici uarietate permutat: quandoque enim subrotunda, inciſaque, apio similia uidentur: quandoque oblonga: sæpius etiam ita diuisa, ut fœniculacea appareant: ac sex, septemúe uarietates foliorum in ea me obseruasse memini. quam ob rem nonnunquam decipiebar, ita vt aliam plantam existimarem, donec gustum consulerem. Hoc ipsum in vulgari raphano uidere est: quæ in eadem numero planta, folia quædam rumici similia, quædam etiam erucæ diuisura habet, vt si separatim deinde uiderentur, longe aliæ existimarentur. Plinius libro XVI. populi albæ folia in iuuenta circinnatæ rotunditatis esse tradit; vetustissima in angulos exire. quod & nunc etiam obseruari potest: è contrario hederæ angulosa rotundari; quod ex Theophrasto etiam superius adnotauimus. Quin & earum substantia etiam permutatur: Palma enim, ferula, raphanorum radices, cum ex carne constent; ætatis ratione in lignum transeunt, vt auctor est Theophrastus. Quod uero ætas uariare possit odorem, colorem, saporem, tactilem qualitatem, & alias id genus differentias sortiatur; notius est, quàm ut subinde dicendum sit: hoc enim in quamplurimis locis in Dioscoride animaduerti potest. Nanque hæc differentia est non solum in folijs, caulibusque; sed etiam in seminibus & fructibus, & radicibus, vt Trifolij folijs recenter enatis rutæ odor inest, ubi autem adoleuerunt, bitumen olent. Solanum hortense fructu uiridi, qui post maturitatem nigricat, aut fulueſcit; sic & in omnibus fructibus qui comeduntur: nam & colorem, & odorem, & saporem in his ab ætate uariari certissimum est. omnes enim ferè acerbo, aut austero, aut acido sapore primum constant:

stant: item colore uel subcandido, vel herbaceo, odore aut nullo, aut modico: tandem uero dulcem saporem; nigrum, vel fuluum, uel rubrũ, uel alium colorem adipiscuntur: odorem etiam suauissimum atque iucundissimum afflant. Colchicum inquit Dioscorides dulcem habere bulbum hoc uerissimum est autunno, dum florem habet: nam cum folia uere profert, amarissima eius radix est. quam ob rem à non nullis pro colchico habita nõ est. Allia cũ excauleſcunt, plenius quàm recens ędita olent. Cepæ recentiores minus acres sentiuntur, & cęteri nuper æditi fructus dilutiores fiunt. Causa est humor multus extraneus, quem recentes omnes plantæ continere solent, ut tradit Arist. in problematibus. Ocimum Theophrasto sub canis ortum palleſcit coriannum saleſcit. VII. de histor. atque in innumeris prope alijs plãtis hoc idem accidit. Quæ cum à multis non considerarentur, non paucas plantas tanquam adulterinas reiecerũt; quæ nullo dubio verisimæ sunt: ac per hoc recte monebat Dioscorides plantas omnes prima germinatione, solo emergentes, adultas, ac seneſcentes uidendas esse.

Annosas plantas sæpius ita faciem permutare, vt descriptionibus repugnare videantur. Cap. IIII.

QVONIAM de stirpium ætatibus, quantum ad unicum ætatis circuitum pertinet, præcedenti capite abunde tractauimus: (de his enim tantummodo Dioscorides in præfatione loquebatur) remanet, ut uarietatem assignemus, quas plantæ efficiunt post nonnullos suarum ætatum orbes: nam seneſcere, ac tandem interire stirpes (cum singulis annis multæ reuiuiscant) minus proprie dicimus. Ergo cum quędam plantæ natura sua anno tantum suo pariant, ut Plinius lib. XIX: quędã sæpius, sicut apium, quod semel satum pluribus annis restibili fertilitate prouenit: quæ eiusmodi sunt, cum plures annuos circuitus (uis enim semper his in radice remanet, quę suis temporibns regerminat) perfecerint, atque iterum, & sępius omnes ętates peregerint, post certum tempus multę solent aliquid noui proferre. quod cum in eis nunquam visum, neque à quopiam auctore scriptum sit, longe alię apparent; atque viros alioquin in re herbaria exercitatissimos, rerum nouitatibus perturbant; resque ante sibi notissimas tanquam nusquam visas mirantur. quod non solum in plantis vniuersis; sed in earum etiã partibus euenire solet: in quibus omnia ferè varietatum genera conspiciuntur: nam & qualitas, & quantitas, & substantia, & tempus uariari solet; & alia quędam. Vetustatis enim ratione quędam fertiliora, quędam minus feracia existunt: quędam ocyus, in senecta quædam

tardius

tardius fructus ferunt, & contra: quædam meliores, quædam deteriores, & id genus multa. Amygdala enim & pyrus in senecta fertiliores sunt, quàm in iuuenta: nouellæ vites copiosius vinum fundunt uetustioribus. Malus deteriorem fructum gignit cum senescit; atque ex malis quædam biferæ sunt, quædam alternis annis fructiferæ: sicuti & quædam vites triferæ. Nouellæ omnes plantæ ex nutrimenti copia suos fructus tarde perficiunt: veteres autem cessant, quòd effœtæ lõga ætate redditæ sint: ut arbor illa in Aegypto, quam (vt Theophrastus docet) anno centesimo fructificare tradunt. Legumina (ut idẽ habet 1111. de causis) cũ vetustescunt, incoctiliora redduntur. sicciora enim efficiuntur, tam ex aëre circunfuso, quàm exhalatione humoris interni. Cucurbitæ præterea, atque cucumeris semina, si recentiora sint, maturius gignuntur: ex vetere autem celerius proueniunt apium, & nasturtium; vt ex Plinio habemus. Circa quod, & nonnulla alia leges apud Theophrastum 1111. de causis, cap. 111. Theophrast. s etiã 11. de causis, populum candidam transire in nigram, tum fronde, tum etiam tota specie, docet. & huius rationem reddens inquit, cum amplius crassescere arbos inceperit, quod euenire ætatis causa solet: augescit enim arbor in profundum in senecta: itaque frons crassior, & rami ampliores, pluresque conficiuntur. Vinum uetustate amarum fieri idem Theophrastus est auctor v1. de causis. resoluitur enim ab ambiente aëre tenuis pars, quæ apta potui est. Cicero vinum uetustate coacescere: & alibi uinum, & falsamentum uetustate euanescere tradit. Semen uetus (vt auctor est Varro 1. de Re rustica) tantum ualet in quibusdam rebus, vt naturam commutet, & in aliam speciem transeat, vt capite de cultu longioribus dicemus. Viola alba annos tres uiuit, si Theophrasto credimus: senescens diminuitur, candidioresque assidue flores fert. Rosæ si non exurantur, neque recidantur (exustæ enim aut recisæ diutius multo seruantur.) ad quinquennium uiuere possunt, sed senescentes & hæ deteriores redduntur. Obseruauimus & nos nonnulla alia: quæ non pigebit apponere. Scribit Dioscorides Cynoglossum caulem nullum proferre: quod & ita est; multique qui uerum Cynoglossum cognoscunt, hoc obseruarunt. Verum cum anno ab hinc tertio nos Garganum montem Maio mense peteremus, in itinere largus cynoglossi campus sese nobis obtulit: ex quibus multas caule uacare uidimus: multas tamen caules habere è medio frondium nascentes, nudos, dodrantis, aut amplius altitudine, scabros, in summitate ramosos; vt sua vmbra vniuersum frondium ambitum, quę humi sparsa iacebant, superarent. flores in illis subpurpurei, anchusæ æmuli: atque in uniuersum tota planta pulcherrima. Hanc rem nos attentius

tentius considerandam duximus. Atque ad illud unum laborabamus, ut, an diuersæ essent plantæ, certiores redderemur: tandemq; nullam in frondibus, radice, saporeq; dissimilitudinem inuenientes, eandem esse coacti sumus affirmare: ancipitesq; rei nouitas nos reddidit, an plantam illam pro Cynoglosso admitteremus; donec medicus quidã Germanus, materiæ medicæ studiosus, qui permultos annos Patauij artibus operam dederat, se Cynoglossum in Patauino horto consitam vidisse, quæ post tertium annum caulem ædidisset, mihi affirmauit. Vnde priorem meam sententiam nihil mutans, hanc diuersitatem uetustatis ratione euenisse arbitratus sum, hocq; Dioscoridi, sicuti & multa alia, incompertũ fuisse. Huius exemplo instituti in multis alijs credimus idem accidere posse: sicuti & in Plinij pistolochia (quæ uberrime in Neapolitano tractu prouenit) obseruauimus. depingit enim eius radicem Plinius iunci plenioris crassitudine: quod quidem in omnibus pulchre quadrat; sed nonnullas digitum æquare adinuenimus: quod non aliunde effectum esse, quàm ex eius uetustate, non leui coniectura credidimus. erat enim in plantis illis cespes radicibus connatus, satis crassus, ex quo uiticularum propè infinitus exortus, quæ in alijs non uidebantur. Has igitur ob res cum de Cytiso leges, in eius trunci medio nigrum colorem contineri, ebeni similem: caue de quacunq; intelligas: quia non nisi in inueteratis, caudicemq; crassissimũ habentibus partem nigram mediam reperies. quanquã si in adolescente, tenerrimoq; adhuc frutice quæsieris; non dubium est, quin cytisus semper tibi incognita futura sit. sed in hoc nimis immorandum non est: cum uideamus, herbas in frutices, atque hos in arbores pertransire uetustatis ratione. Vidimus enim nos myrtum, uiticem, atque hederam, multosq; alios frutices arborum magnitudinẽ æquare: quod Dioscorides de Vitice inquit, & Theophrastus in hedera obseruauit lib. III. de historia, crassari inquiens maiorem in modum, ut per se ipsa arbor fiat. Quid? quod nix, ut auctor est Plinius, uetustate rubescit. Atque hæc circa hanc rem exempla sufficere possunt. tu alias plures uarietates per te ipsum obseruare poteris.

Quòd sapor, color, substantia, aliaq; id genus, quæ in medicamentorum descriptionibus proponuntur; nisi nonnullis consideratis, sæpius intelligantur; eorum cognitionem impediunt. Cap. V.

EVENIT, cum odorata esse medicamenta, aut acria, dulciaúe, aut aliquo colore imbuta, Dioscorides tradit; aut aliam qualitatem possidere: vt ea non simpliciter, sed nonnullis consideratis, sæpius intelligi debeant.

debeant. Nam & decens distantia in his quandoque requiritur, & vetustas; hoc est longum, postquam lecta fuere, interuallum, uel etiam breue; & præparatio quædam, & nonnulla alia, quæ qualitates illas à Dioscoride propositas, vel ad actum ducunt, vel alioquin latentes detegunt: vel actu existentes (quia ita opus sit) remouent, occulũtque. Hæc nisi vt decet, animaduertantur, non dubium est, quin multorum medicaminum cognitionẽ quodammodo nobis subripiant. de his igitur pauca quædam dicenda sunt. Sed hanc tractationẽ capiti de ætate, vetustateque non absque ratione subnectimus: de illis enim hic etiam tractabitur; quanquam longe aliter. Nam ætatem, vetustatemque in plantis cõsideramus, uel in terra adhuc existentibus, uigentibusq;, vel detruncatis iam, siue à solo euulsis. Si nanque lecta sit planta adolescẽs iam, aut senescens, aut quauis alia eius ætatis parte, atque ut arescat permittatur, vt cum velimus ad vsum accomodemus: eam videtur ætatem tueri, in qua lecta est. ad hunc enim modum dicimus polium, stœchada, aliasque fruticosas herbas seminibus prægnantes eligi debere: ut, etiamsi exsiccatę fuerint, hanc ętatẽ retineant. Ad quẽ sensum palmã medio maturitatis vigore autunno decerpi solere Dioscorides tradit. quod si ad maturitatem peruenerit, eam phœnicobalanum fieri. Vetustas eodem pacto in collecta iam stirpe consideratur. in qua significatione dicimus Veratri genera multis edurare annis, alias quam plurimas herbas à trimatu inutiles: sic euphorbium vetus, & recens appellamus; non existens adhuc in arbore, vnde colligitur, sed collectũ iam. hocque vel recenter, uel aliqua intercedente temporis intercapedine. De his igitur secundum priorem modum, hoc est dum adhuc uirentes in terra viuunt, superioribus capitibus egimus; in secunda autem acceptione hoc capite tractabimus. Nam cum dicimus Asari florem odoratum esse, antequam ad manus habeamus, adhuc scire desideramus exsiccatum'ne, an recens odorem afflet; & an à longinquo, an naribus proximus, an omni tempore, & an integrum fractumue: prætereaq; confricatum'ne, an intactum: & quædam alia, quæ in exemplis dicentur. Neq; solum circa odorem hæc, & consimilia quæri possunt: sed circa substantiam, saporem, colorem, figuram, & alia quædam: Vtq; à substantia incipiamus, (nam circa omnia hæc huiusmodi diuersitates Dioscorides ipse adnotauit) inquit Iridis radicem teredines sentire non semper, sed in uetustate: quanquam Plinius, quasi ex proposito Dioscoridi contradicere volens, inquit teredines non sicca modo, verum & in terra celerrime sentit. Thus masculum pingue est; sed intus cum frangitur (ut vult Dioscor.) non ex omni sua parte huiusmodi est. Veratrum album tunicas, quibus caulis conuoluitur, ab-

dicat

dicat, cum arescere incipit. Eodemque pacto legimus apud Galenum Chalcanthum in chalcitin transire: atque hanc rursus in Misy: sicuti & Sory in chalcitin. Hæ enim trasmutationes nō nisi ex uetustate eueniunt. Idem circa odorē considerauit in nonnullis Dioscorides. Nam cytisi folia erucam olere asserit: sed non nisi digitis trita. Onagræ etiam radicem si sicca fuerit, uinum redolere: quod & Theophrastus etiam dixit, œnoteram eam appellans: odorati Iunci fragmēta manibus confricando rosæ odorem emittere: easdemq; rosas redolere Rhodiam radicem: sed si conteratur. Hinc colligi potest error (quod eorum pace dixerim) uolentium galeopsin esse, quam uulgo urticam fœtidam appellant, inter alias notas eius herbæ graueolentiam in medium afferentes: non enim animaduerterunt graueolentiam galeopsidis folijs Dioscoridem asignasse, si terantur: nō autem integris: at in urtica fœtida, etiamsi non confricentur, grauissimum longius emittunt odorem. Recte igitur in dauci tertij semine suauissimum odorem esse in mandendo Dioscorides nos admonuit; ne illum naribus frustra consuleremus. ex omnibus enim quæ saporem aliquem obtinent, quædam odorata illico sunt, ut Theophrastus docet: maior tamen pars odorē quendam gustantibus copulatum cum sapore ostendit. nonnulla etiam uel confricata duntaxat, & permota reddunt odorem. Rursus quæ odorata sunt, saporem gustantibus, aut manducantibus exprimunt: quasi non modo sensus uicini inter se sint; uerum etiam quæ sub sensum uenire ualeant, proxima quodam modo inter se collocari natura uoluerit. Sensum enim illum odoris, qui gustu sentitur, nō temere adiungi multa indicant: sed præsertim, quæ mirum in modum arida, nullū spirant odorem: ueluti lens, Cnicum, & alia multa. Hæc enim perfracta, cum primum cōmanducantur, subferuefacta uaporem tenuissimū emittunt; qui per meatus sursum ad odoris sensorium permeat: eundemq; retinent saporē, dum manducantur. Sed cōsideratione, simulq; admiratione dignum est, quod Dioscorides de cyrenaico lasere asserit: inquit enim, si quis eum degustarit, humorem toto corpore ciet blandissimo odore; adeo ut ne ori quidē gustantis, nisi modicus odor remaneat: sed per uniuersum corpus mira quadā ui penetrandi diffunditur. Possumus & per nos ipsos alia id genus quamplurima inspicere: quæ à Dioscoride non explicantur: & ex re ipsa atque experimentis illis ueluti quandam declarationem addere. Nam cum dicit myrrham eligi debere odoratam; si ita nude id intelligatur: nunquam fortasse in eius cognitionē ueniemus; nō enim odorata est myrrha, nisi usta, quēadmodū & thus, ut res ipsa ostendit, & Plinius adnotat. Pariter & agallochum odoratū esse tradit: sed odor in eo nō sentitur, nisi cōbusto, uel

salté cõfricato : si modo id agallochũ sit(ut certe quidé est)quod in seplasijs lignũ aloës nuncupatur.hoc Dioſc.in bdellio exprimere voluit, illud suffitu inquiés esse odoratũ : nec nõ in ebeno, quam suffiri iucun do odore supra carbones,sine fumi tædio docet . Vbi animaduertendũ si quando cremationeadactum odorem ducimus, modicá esse debere, nõ vrentem rapidamq;:nam sic corruptio odoris sequeretur,ut Theophrastus docet vi. de causis : materiæ enim cõbustæ admixtus humor vaporem quendam excitat, in quo odor sustentatur. qui si violentum habuerit ignem , consumitur , ac penitus tollitur . Cum igitur violæ purpureæ flosculum suauissime olere Dioscorides tradit,à longinquo intelligendum hoc est: nam propius admotus hebetatur , ac minus suaue redditur ; ut quisq; puto scit . quod & Plinius obseruauit ; qui addit etiam rosam recentem à longinquo olere,siccam propius : quod & nos quotidie cernimus in vulgato mosco , & appellato zibetto.hoc enim propius admotus , nares ita ferit sui odoris acutie , ut fœtidum potius existimetur : longius autem suauiter spirat : illud cum remotũ est , suauem emittit odorem : sed proximum hebetatur ita , ut modice admodum oleat . Horum ratio est(si Theophrasto credimus)quia odor purus sinceruſq; ad locum remotiorem deferri aptum sit. sed effluunt à quibusdam plantis aliqua , quæ quia terrena magis,crassioraque sunt ; longinquius transire non possunt . Multas præterea odorũ diuersitates in medicamentis obseruat Plinius lib. xxi. Inquit enim odorem uerno tempore acriorem esse ; & matutinis quicquid ad meridianas horas dies uergit , hebetari . Nouella quoque uetustis minus odorata : acerrimum tamen odorem omnium æstate media . Rosa, & crocum odoratiora cum serenis diebus legũtur:& omnia in calidis, quàm in frigidis. Quædam cum uirent , non olent , propter humorem nimium, ut fœnum græcum : Quædam etiam odorata cum sint uirentia, odoratissima redduntur sicca : ut ruta , mentha , apium : Quædam quo vetustiora , eo odoratiora : ut cotonea : Quædam non nisi noctu odorem reddunt, ut hesperis. Sunt & aliæ odorum varietates , quæ legi apud Plinium possunt . quæ omnia ex Theophrasto accepit , libro vi. de causis plantarum ; cap. xxviii . Ergo cum Dioscorides inquit Meliloton boni esse odoris , si de uirente intelligamus ; herbam non cognoscemus, quia nullum ferè odorem virens habet : qui tamen cum aruit fragrantissimus est . quod neque prætermissum est à Theophrasto: vi. enim de causis inquit sertulam campanam siccatam plenius olere , sicuti & Iridem , & œnanthen: quædam siccata olere , viridia nihil olere , ut calamus , iuncus : non tamen omnia ita se habere , sed adesse quæ è diuerso naturam sortita sunt . verum magna ex

parte

parte ſicca potentius olent: ſiccitas enim odori conuenientior eſt. & omnia odorata eò potius vergunt. Argumento eſt, quod tractibus æſtuoſis plura melioraq́; odoratorum genera prodeunt: melius enim ibi cõcoquuntur. Flores omnes, quia odores exiles habẽt, virides atq; recentes odorari poſſunt: ſed temporis ſpatio exhalationis cauſa hebeteſcunt. non ſic roſæ, quæ tam virides, quàm ſiccæ olent: verum recentes longe, ſiccatæ non niſi propius admotæ. rationem quære ex Theophraſto. Abrotonum, ſampſuchum, crocum, & quæcunq; ex coronariorum numero acrem reddunt odorem, ſicca odoratiora reddun tur: ſic & poma cotonea, unà enim & quantum humoris eſt exhalatur; & alimenti ceſſat acceſsio. Ex herbaceis uiridia nihil olent; propter humorem: ſicca autem olent, ut fœnum græcum, ſic & mala, & quædã alia arboribus decerpta odoratiora redduntur. Cæterum adſunt quæ inter odorata, nimirum exſiccata deterius oleant: eo quòd acriorem durioremq́; reddant odorem, ut ſerpyllum, ſiſymbriũ, ruta. Quæ cum ita ſint, ſi quandoq; inuenias ſuccinum, ſiue electrum odoratum eſſe, intellige cum Dioſcoride iucundum ei ineſſe odorem, attritu: quod & nos quotidie experimur uel in horarijs precibus, quas ex ſuccino conficiunt. Baccharis radix cinnamomum reſipere debet, ex Dioſcoride: nonnulli uero, qui ſe baccharim cognoſcere arbitrantur, hunc odorem ſe non inuenire, niſi in ſiccis radicibus affirmant. Cum præterea Dioſcorides eryngium odoratum ſtatuit, intelligi putarem, ſi abrumpatur, & aliquatenus tundatur: aliter enim uix in eo odor aliquis ſentitur. Ita & in betonica intelligendum eſſe, ſuperius cum de uarietatibus regionum ratione loqueremur, ſuſpicati ſumus; hoc eſt ſi digitis teratur: aliter enim quæ ab omnibus pro betonica oſtenditur, odorata non eſt. De Tragio ſecundo inquit Dioſcorides per autumnum hircum olere. Eadem circa ſaporem ratio eſt. Radices enim, Theophraſto auctore, ſuam dulcedinem ſeruant, uſq; quo reſiccentur: reſiccatæ, ſtatim eam amittunt. ſiccitas enim neque cibo idonea, neque ſapida eſt: qua propter caulium quoque uigor certus ſtatuitur. Odor è contrario in his eſt: uirides enim aut nihil olent, aut non æque; ut ſuperius probauimus. Verum tam in odore, quàm ſapore determinatus datus eſt terminus: nam ſi ſupra modum exſiccentur, uel nimio humore abundent; euanida reddi neceſſe eſt. propterea enim idẽ Theophraſtus fructus ſeneſcentes, ſoleq́; ferueſcentes dulciores omnes effici docet; craſſantur enim aquoſa humoris parte difflata: dulcedo nanq; & ſaporis ſuauitas non niſi per craſſationem fit. Neque enim id contrarium erit eius, quod paulo ſuperius dixerat, multis ſcilicet euenire, ut cum uiridia ſunt, mandi poſsint; ſaporiſq́; reddant ideo ſuauitatem,

quia humorem in se aquosum commixtum habent: quæ & cum sicce-
scunt inqustabilia relinquuntur; ut germina uitium, & stipitum. Nõ
enim id dicitur, ut humorem nullum habere debeant, quæ sapida esse
uelit: sed excessus solũ damnatur. Vnde cicer, & fabæ, quia cum arue-
runt mediocritatem transgressæ sunt; atque exuperantem ariditatem
retinent, nullam habent saporis gratiam. eoque minus uitis palmites
arefacti, & aculeatorum quorundam germina. lignosa enim sunt, atq;
humore penitus destituta. sed cum uiridia sunt, propter admixtionẽ
aquosi humoris, aliqualiter sapiunt. quod ideo his fit, quia suapte na-
tura succus habent acriores, aut amariores, aut acerbiores, qui aquoso
humore contemperati, non nisi in melius commutari possunt. sed sua-
uissimum gratissimum q; omnino palato saporem hunc non dixeris:
quemadmodum eorum quæ per crassationem suauiora reddi monui-
mus. Ergõ, ut ad rem accedamus, propterea Dioscorides dixit chamæ-
leonis nigri radicem commanducatam mordere, quia sciebat eam pri-
mo statim gustus occursu nullam ostendere acrimoniam. quod & nos
non semel experti sumus. propterea etiam lathyris semina dulcia esse
scribit, dum corticibus exuuntur: cum cortice enim alium saporem
retinere sciebat. sic & Arbuti fructum acerosum esse inter mandendũ:
ne quis uel succum solum, uel aliter degustatum ita esse putaret. Si igi-
tur acrimoniam in Thapsia quæsieris, nihil est quòd statim degustata
te inuenire posse credas: sed si commanducetur. hoc nos obseruaui-
mus, quanquam à Dioscoride silentio præteritur. Sed & Galenus hoc
uidetur innuere, cum ei multam humiditatem permixtam statuat, ob
quam plusculum temporis requirere ait, ad exalto uiolenter extrahen-
dum, digerendum q;: Ita & chamælæam linguam mordere, & arteriam
deradere non statim gustata nos testari possumus, sed commanducata:
nam primo occursu modice amara est, & glutinosa: sed hoc non ita
declaratur à Dioscoride. Videmus & quotidie in medicamentis, quæ
intus assumuntur, quæq; in continuo usu habentur, idem euenire, tam
his quæ uim habent purgatoriam, quàm alijs: mutare enim solent odo
rem, saporemq; nonnullis adhibitis alterationibus. cassiam enim ca-
tharticam, si per cribrum extrahatur, saporem permutare, quandamq;
odoris grauitatẽ contrahere, nulli dubium est: quam ob rem & ægrius
ab omnibus deuoratur. ex illo enim attritu subcalefacta utranq; hanc
alioqui latentem qualitatem ad actum ducit. Idem in Rhabarbarico
uisitur. hanc enim radicem arentem nemo non cõmanducet: ac maxi-
ma copia absq; stomacho deuoret; at uero si aliquo liquore quantũuis
ori grato maceretur, quantas nauseas excitet, nemo fermè est, qui igno-
ret. sic & in quãplurimis alijs. Idẽ de colore dicitur. Obseruauit enim

Dioscorides

Dioſcorides in phalangij radice herbaceũ colorẽ, dum à terra eruitur. ut per hoc nobis tacite manifeſtet, poſtq̃ eruta eſt, colorẽ illũ paulatim permutare. Quinquefolia, ſiue quinquepeta (ut auctor eſt Theophr.) rubra eſt; inareſcens uero nigreſcit. Veſicaria ſomnifica (eodẽ auctore) radice rubra ſanguinis modo eſt; ſed cum ſicceſcit candida. Idem dicit ebeni lignum aſpectu buxo ſimile eſſe, ſed decorticatũ nigerrimum reddi: Ita & Thus maſculum candidum eſſe Dioſcorides aſſerit, cum frangitur: quaſi in integro non quærendus omnino ſit candor. Quemadmodum & Thus atomum, aut ſyagrum appellatum tempore flauescere: atque his conſimilia in plantis innumera ferè reperies; ut chamæleonis nigri radix foris nigra eſt; ſed intus diſſecta flaueſcit: Smyrnij radicis cortex foris niger, intus uiridis, aut ſubalbidus: Polypodij radix coloris intus herbacei eſt: hæc, & alia adnotauit Dioſcorides, ne huiuſmodi colores in quauis plantæ parte, aut quouis tempore ineſſe crederemus. quod facile eſſe poſſet, ſi abſolute proferret; ut cum dicit Oſyrim fruticem eſſe nigrum, ſi ſic abſolute pronuntiaſſet, ſi quando rubentem videremus, poſſemus ab eius cognitione longius recedere: quamobrem huius rei rationem habens ſubdidit, folia nigra in initio, dein colore mutato rubeſcentia. Recte igitur hyperici florem ſanguineum ſuccum emittere inquit, ſi digitis teratur, quod & de Aſcyri fructu, deq̃ue Androſæmi folijs dixit. Recte etiam primam anchuſam æſtate manus inficere ſanguineo colore: ſecundamq̃ue meſsium tempore ſanguineum ſuccum fundere admonuit: ne quouis tempore colorem illum quæreremus. Ita & de Dipſaco, cuius capitula, poſtquam arefacta fuerint, candida ſpectari tradit. ſed hæc cap. de coloribus inferius vberius habebis. Atque vtinam hæc in omnibus Dioſcorides adnotaſſet: nõ enim tantum negocij ſtirpium veſtigatoribus reliquiſſet. Verum noſtræ partes ſunt, quæ ille ſubticuit, accurata diligentia quærere; ſatq̃ue fuerit grauiſsimo ſcriptori in aliquibus huiuſmodi animaduerſiones libaſſe: quibus nobis uiam muniret, qua conſimilia quærere valeremus. Quæ ad tangendi qualitatem pertinent, hoc loco etiam inſeri poſſunt; quia ad cognitionem medicaminum pertinent: ut cum Theophraſtus inquit ſalicem ſiccam tantummodo leuem eſſe, ſuber etiam viride: Buxum & ebenum ne arefactas quidẽ leues reddi: ſambuci materies fungoſa, & ſiccata leuis. Ita & circa aliquas ſimilitudinẽs: ut catanances radix in terram flectitur; & ſe contrahit in ſpeciem milui exanimati, ſed hoc cum areſcit. Iam vero ſi dicat Dioſcorides colchicon radicem habere cum delibratur candidam; noſtrum eſt obſeruare eam tẽporis diuturnitate rufeſcere: Nec minus cum eam dulcem eſſe dicit, noſtræ partes ſunt ſcire, hunc ſaporem non niſi per

autunnum retinere; nam verno tempore amarissima est, ut in superioribus diximus. Verum hæc in his, quæ ratione ætatis superius adnotauimus, multo vberius videri possunt.

Quid obseruandum sit in anni constitutionibus, ut vera medicamenta cognoscamus. Cap. VI.

INTER alias diuersitates, quas plantis accidere diximus, eam quæ ratione cæli fit, recensuimus: prout enim cælum varias reddit anni constitutiones, ita & plantas variat. Aëris nanque inæqualitatem maxime considerandam esse Theophrastus docet III. de causis. quibusdã enim imbres conueniunt, quibusdam repugnant: ita & flatus, & frigora, & calor. ex quo fit, ut si illis adsint, illis minime, non paucæ varietates efficiantur; uel enim figuram mutant, uel minores solito, maiores ne redduntur: non solum vniuersæ plantæ, sed flores, frondes, radices, aliæq; illarum partes uel tempestiuius, aut tardius proueniunt; uel etiam omnino emarcescunt: ut imber omnibus leguminibus prodest, præterquã ciceri: hoc enim abluta salsugine tanquã re naturali & sibi ingenita destitutum, radicitus statim tabescit; atque ab erucis exeditur. Vnde recte in prouerbio est (inquit Theophrastus) annus fructificat, non tellus. Colorem etiam, & odorem, & tangendi qualitatem, & saporem annus immutat. Annus enim (ut idem Theophrastus asserit VI. de historia) videtur ad bonam olentiam referre, cũ scilicet talis, aut talis fuerit, non solum imbrium, squalorumq; ratione, sed etiam cum tempus certum, & aquæ, & flatus, & in totum cæli commodæ mutationes accessere. Quin & aliquid nunc addit, nunc dimunit. inquit enim Columella lib. III. posse uel anni prouẽtu, uel alijs de causis, etiam naturaliter infœcundam vitem, semel exuberare: quin & ipse Theophrastus II. de historia inquit nonnunquã ratione hyemis, aut alias ob causas quædam accidunt, quæ normę naturali in congrua videntur. Singula etiam loca uitia, morbosq; habent: hæc autem euenire nonnunquam solo, nonnunquam aëre, nonnunquam vtroque tradit. Sed communem omnium causam flatibus dari: qui per æstatem feruidi; per uer frigidi admodum veniant; cum arbores germina floresque suos incipiunt ædere. Addit etiam si flatus pluuiæque non tempestiuæ fuerint: aliæ enim propter aquæ penuriam fructus amittunt, ut fici: aliæ nimium ob humorem uel putrescunt, uel stranguluntur, uel humoris desiderio siccescunt. hac ratione Plinius obseruauit rosam quibusdam annis minus odoratam prouenire: ac propterea in vniuersum docuit aërem, qui media constat temperie, omnibus propè

propè arboribus percõmodum esse:nam & ad germinandũ, & fructificandum plurimum iuuat. Non tamen deesse, qui excessu lætentur, & aliæ caloris auidæ sint, ut palma; aliæ frigoris, ut hedera, pinus. vnde subiungebat soli, & cæli æqualitatem in vniuersum plantis dari non posse, ut per recessum à temperamento ad vtrunq; extremum variationes fieri dicamus. Nam pro diuersa stirpium natura, diuersæ etiã soli, aëriscque qualitates requiruntur. quanquam in his quæ coluntur, aliquid in uniuersum dici possit, ac præsertim in uite: quod cum de cultu loquemur proponemus. Sed quod vere in vniuersum dici possit, erit hoc. Omne enim plantarũ genus prosperam germinationem, fructificationemque habebit, cum tempestiuam, probamque hyemem senserit. Hæc autem probatur, cum imbrium aquiloniorum copiam, & niuis frequentiam, & in totum frigora sine gelu obtineat. cum enim alimenti adest vbertas, & cæli clementia; probe germinari, fructificariq; rationabile est. Intempestiuis uero imbribus omnia, aut certe plurima deterius florent. quare & fructus deteriores reddi necesse est. Quamobrẽ recte illud dici potest, quot aeris agriq; genera sunt; totidem & plantarum mutationes fieri: quæ uel genera alia constituãt. Ex his enim fructuum diuersitates, quanquam ex eadem parente semina ponantur: hinc sterilitates; cum scilicet nequit planta in alieno agro hospitari: hinc tempus. Nam quòd in Aegypto, mense prius, quàm in Græcia fruges perficiantur, binisque mensibus rosas, & violas, & reliquos flores; item quòd in Melio agro (ut sequenti cap. clarius dicemus) qui nouissime seruisset, cum primis metere possit, aëris clementia, habilitasq; ad alendum, solique habitudo fertilis in causa est. quamobrem qualis fuerit annus, talis fructificatio, tum cæteris in rebus, tum in celeritate, tarditateq; clarissimum est. Has igitur ob rationes multas reperire est plãtas, quæ naturaliter in fine ueris flores pariant; nonnunquam tamen vix ineunte, uel etiam media hyeme eos protulerint: quod cum à nonnullis videretur, in earum cognitione hæserũt, quòd auctoris historiæ repugnare viderétur. Nec desunt qui scriptorem tanquam falsa scribentem damnent, non animaduertentes hoc euenisse uel anni cementia, qui non ita horridam, ac niualem hyemem habuit, uel etiam loci; qui sit soli magna ex parte expositus, sit amœnus, pinguis, aliasque habeat proprietates, quæ quo maturius herbæ erumpant, in causa sint. Theophrastus enim v. de causis tradit germinationem intempestiuam fieri posse hyeme placida, austróue sequente; sed in his tantum, quæ humidæ sunt & fertilissimæ, ut ficus: in qua cum multum humoris superfuerit; aër mitis tepidus subsecutus mox germina euocat. Quod cum considerasset diligentissimus

Dioscorides, in sui libri præfatione huius nos commonitos fecit, cum inquit: Neque ignorandum sæpe pro peculiari loci natura, aut anni clementia maturius, aut serius adolescere. Quod quidem anno ab hinc secundo perpulchre nobis visum est. Omnes enim ferè plantas solito maturius adoleuisse perspeximus. fuit enim eius constitutio pluuiosa, & calida; neq; vllus Boreæ flatus, uel rarus admodum apparuit, sed per uices sol, atque pluuiæ ita hyemem moderatæ sunt, ut illam æqua cõditione diuisisse, atq; alternatim regnare voluisse visæ fuerint: quod non parum contulit ad tempestiuiorem stirpium prouẽtum. Hinc est, quod brassicas ipsas mense decembri caules edidisse, ac in flores erupisse viderimus; cum ut plurimũ vix Februario florere incipiãt. Vidimus etiã chelidoniũ tum maius, tum minus ineunte Februario flores protulisse: & tamẽ ex Dioscoride habemus eas aduẽtu hirundinũ (qui Martij discessu esse solet) exoriri; vnde & nomen traxerunt. Idem ferè in symphyto maiori obseruauimus: cum enim soleat æstate florere, eius tamen flores vix accedente uere vidimus. Serpyllum hortense in Aprilis initio florens conspeximus: sed Iunio & Iulio mensibus florere scribit Fuchsius. Senecio, erygeron etiam, ideo appellatur, quod Vere canescit, sed nos in media hyeme eius flores obseruauimus: ita & in multis alijs, quas prætermittimus. Contra vero, si accidat aridam esse anni constitutionem niualem, ac borealem, contrarium euenire, quantum ad nascendi tempus pertinet, in plantis nemo (puto) negauerit. Verum animaduertendum illud est, si fructus, verbigratia, aliqui hyeme perficiantur, iam hyemis ratione eos concoctos, & ad maturitatem deductos non existimabimus: calor enim est, qui vbique uim obtinet concoquendi: sed hoc ex accidenti est: nam quia sero perficiuntur, hyems eis superuenit. Causa igitur in eorũ naturã referenda est, quia scilicet serotini existũt, ut Theophrastus 11. de causis. Hyems etiam flosculos habet, etiam si ob gelu infœcunda, autumnalibus scilicet prorogatis. quod si hybernum tempus clementius fuerit, & loca etiam aprica faueant, magis id eueniet: ex quo fiet, ut perpetua florũ continuatio nonnunquam agatur. Magnitudinem vero uariari, tum in vniuersa planta, tum etiam in partibus earum, ita ut nonnunquam proceriores, quàm sua ferat natura, uel depressiores videamus, ob anni varias constitutiones, notius est quàm ut declarari multis verbis debeat. similiter & in defectu, uel excessu partium; ita ut quandoque quæ florem & semen proferre soleat, neutrum ferat: uel eorum alterum ob anni frigiditatem, aquarum inopiam, aliarumq; rerum, quæ plantarum ortui, atq; incremento contraria esse solent. sic & colorem, aliasque qualitates, atque omnia, quæ ratione cæli permutari recensuimus,

ſuimus, quæ omnia non ſolum ob id non declaramus, quòd clariſsima ſunt, ſed etiam, quia cum tractatio de anni conſtitutionibus multam habeat conuenientiã cum ea, quæ de regione, & loco agit: decreuimus in his omnia recenſere, quæ hic libenter omittimus. Quæcunq; enim ferè de anno diximus, ad loca, & regiones accommodari poſſunt, & contra. illuc igitur lectorem ablegamus: multa enim ibi reperiet, quæ huc referre poterit: quod nos eo conſilio executi ſumus, ne eadem ſine ulla utilitate inculcaſſe uideamur. Galenus enim tam anni tempus, quàm regionem ſub cæli ſtatu comprehendit 1 x. methodi. Vocat enim cæli ſtatum ipſam ambientis nos aëris temperiẽ: ex qua utrunq; indicationem ſumere affirmat. nos autem licet ad clariorem doctrinã diſtinxerimus; eandem tamen ea habere naturam non ignoramus.

Quæ ratione regionum uarietas in plantis eſſe ſoleat, quæ earum cognitionem impediat. Cap. VII.

VARIANTVR plantæ ſoli ratione ijſdẽ diuerſitatibus, quas in anni conſtitutionibus recenſuimus: perinde enim ut locus, uarias temperaturas in primis qualitatibus ſortitur, ita multas diuerſitates in plantis procreare poteſt. Locus autem dupliciter intelligi poteſt; uel pro uniuerſa regione, uel pro particulari loco alicuius regionis. Si igitur priori modo ſumatur (de hoc nanque in hoc capite fiet ſermo) tot, tantaſq; tranſmutationes in plantis efficere ſolet, ut non ſolum ſtirpium indagatoribus, ſed etiam medicis ipſis, philoſophiſq; in earum cauſis inquirendis multum negocij exhibuerit. Vbicunq; enim Galenus medicinalia præcepta tradit: ſemper à regione indicationem, tanquã rem maximi momenti nobis ob oculos ponit. qui nanque illam omiſerit; auxilia perfecte inuenire minime poteſt: quando eius ratione uarietatem ſortiantur pulſus, reſpiratioq;. propinatur & uaria uictus ratio, pro uaria eius natura: conſideratur hæc in ſanguinis miſsione, in purgatione, & in omnibus ferè medicis præſidijs. Quot præterea ob eam naturæ commutentur, quicunq; legerit Hippocratis librum de aëre, aquis, & locis; & Galeni opuſculum, cui titulus, Quòd animi mores corporis temperaturã inſequantur, facile cognoſcet. Ex regione enim homines timidiores, uel audaciores, petulantioreſq; effici uidemus. in hac magnanimi, & ad labores quoſcunq; perferendos aptiſsimi fiunt; nec minus ad uiriliter agendum præſtare ſolent: in illa debiles, inertes, infirmiq;: in alia naſcentur quibus feritas, & immanitas non mediocris à natura ſit congenita, in alia manſueti & mites. Craſsi & carnoſi ſunt Scythæ; quibuſdam alijs regionibns picrocholi. Sunt enim regionum

gionum omnium uenti peculiares, & aquæ. Hæ nanque uel copiosæ sunt, uel paucæ: item uel dulces, uel lactei saporis, uel subsalsæ, uel subamaræ, uel simplices, uel mixtæ ex uaria aquarum natura. Sol etiam uel remotus est, uel propinquus, uel medio modo se habens. Hæc omnia hominum naturam, mores, colores, corporis habitum, & alia id genus diuersissima reddunt. Nam & quædam animalia in quibusdã regionibus nascuntur, quæ in alijs nunquam nisi transportata uidentur. Pontica, & Scythica tellus asinis caret, quia impatiens frigoris hoc animal est. Leones Europæ totius ea parte solum nascuntur (si Aristoteli credimus) quæ inter Acheloum amnẽ & Nesum est. Apud Nomadas boues cornibus carent; cum præ frigore non enascantur, ut auctor est Hippocrates. quod de arietibus narrat Aristoteles: quorum cum in Ponto per prouinciam scythicam nullis cornua enascantur, in Africa statim cornigeri generantur. Bestiæ omnes efferaciores in Asia sunt, fortiores in Europa, multiformiores in Africa. unde prouerbio dicitur, semper aliquid noui affert Africa. Sed quod magis mirum est, minima uiæ distantia in animalium ortu differentiam facit: nam in Cephalenia insula fluuius est, in cuius altero latere est cicadarum copia; ultra alterum nulla. Via interiacet in Pordoselena, cuius ultra alterum latus gignitur Cattus: citra alterum gigni non potest. Mores præterea & uires, locorum natura, in animalibus uariantur. in Pharo scorpiones non lædunt; in Scythia nocui ita sunt, ut sues, qui cæteros virulentos ictus minime sentiunt, interimant. Montana animalia aspectu efferaciora, & viribus robustiora, quàm quæ in planis nascuntur, & degunt. Multæ aliæ differentiæ apud Aristotelem legi possunt IX. de natura animalium, cap. XXVIII. & XXIX. & apud Columellam lib. III. cap. VIII. Quin etiam morbos regionibus peculiares uidemus. quod Lucretius perpulchre cecinit lib. VI. ita inquiens

„ Nam quid Britannis cælum differre putamus?
„ Et quod in Aegypto est, qua mundi claudicat axis?
„ Quidue quod in Ponto est differre, & Gadibus, atque
„ Vsque ad nigra virûm, percoctaque secla calore?
„ Quæ cum quattuor interse diuersa videmus,
„ Quattuor à ventis, & cæli partibus esse;
„ Tum color, & facies hominum distare videtur;
„ Largiter & morbi generatim secla tenere:
„ Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
„ Gignitur Aegypti in medio, neque præterea usquam.
„ Attide tentantur gressus, oculiq; in Achæis
„ Finibus: inde alijs alius locus est inimicus

„ Partibus ac membris. uarius concinnat id aër.

QVAE quidem omnia, cum in his uideamus: quanto magis in medicamentis ipsis uideri posse credibile est. cum hæc leui quauis ex causa præ illis mutationem suscipere apta sint. Non igitur absque ratione Theophrastus docet in plantarum historia similitudinem omnem petendam ex ijs esse, quæ in animalibus insunt, quo ad eius fieri possit, quoniam & circa ortum uitamque & transmutationes ipsas, & alia multa easdem ferè causas sortiuntur. Iam uero quid Galenum coëgit in uarias regiones peregrinari? profecto non id solum, ut adulterina à ueris cognoscere posset; sed etiam quia in quibusdam regionibus perfectiora, & viribus præstantiora reperiri ea cognoscebat. quod & Dioscorides non omisit, qui inter cætera à regionibus medicamentorum delectum proponit; de quibus tertio libro abunde tractabimus. Magnæ igitur ac plurimæ regionum ratione diuersitates in plantis esse possunt. amant enim plantæ has, uel illas regiones, ita ut quædam quorumdam locorum vernacula sint: quædam in quibusdam nasci nullo pacto possint, ut ex Theophrasto habemus IIII. de historia. vbi Thus, Myrrham, Laser, Cinnamomum, Casiam recenset; quæ plagis ad exortum, meridiemque vergentibus proueniunt, non autem septentrionem versus: Sed sunt quædam, quæ loca algentia quærunt, ut febrifuga, absinthium, veratrum, scammonium, & cuncta ferè, quorum radix expetitur. In Ponto neque laurus, neque Myrtus prouenit; sic de Platano, quam inquit raram esse in vniuersa Italia, quia locus recusare videatur. quod Vergilius perbelle canit, cum inquit

„ Diuisæ arboribus patriæ; sola India nigrum
„ Fert ebenum, solis est thurea virga Sabæis.
„ Quid tibi odorato referam sudantia ligno
„ Balsamaque, & baccas semper frondentis acanthi?

Vbi animaduertere licet, ex Dioscoridis, & Plinij lectione etiam in æhiopia nasci ebenum: & Plinius lib. XII. hanc difficultatem tangit; & Vergilij locum adducit. sed Maro hoc ex Theophrasto videtur sumpsisse, qui libro IIII. de historia, cap. IIII. ita habet ἴδιον δὲ καὶ τὸ ἔβενος τῆς χώρας ταύτης. hoc est, propria autem eius regionis ebenus est. Quod autem de acantho Vergilius subdidit, clarissimum est, eum nõ posse de Melamphyllo intelligere; quando hæc planta ubiq; gentium oriatur, ne dum in India; nam ipse ille in Italia acanthum pæderotam nasci demonstat, cum inquit

Mistaq; ridenti colocasia fundet acantho.

In non leuem suspitionem duxit nos Plinius, ut crederemus, acanthum

thum hanc esse ebeni speciem, de qua ille lib. XII. cap. v. nam cum capite quarto locutus esset de ebeni altera specie, quæ fruticosa est Cytisi modo, statim cap. v. subdit. Ibi & spina similis, sed deprehensa uel lucernis; igni protinus transiliente: spina acanthi nomen videtur exprimere. Hocque spinæ genus idem esse uidetur, quod Dioscoridis sesamina, aut spina lignea; quæ ob similitudinem pro ebeno venibãt: quod discernebatur ex eo, quòd fungosa erant; & in purpureas hastulas resoluebantur: vnde forte propterea lucernis apta erant, & ignis rapacia. Seruius arboris genus esse in Aegypto semper frondentis, scribit: sed qua id coniectura assecutus sit, non declarat. In hoc eruditiores cogitent: nos ad propositum reuertamur. Theophrastus eodem libro, cap. v. In India (inquit) ut quidam referunt, nulla omnino arbor, nullus frutex, nulla herba similis ijs comperitur, quæ in Græcia proueniunt, paucis exceptis, ubi multas describit, quæ nomine carent, quæque nullam habent cum nostris similitudinem; ubi cicer, & lens, & reliqua legumina non habentur: sed quædam semina propria, alia leguminibus similia, alia tritico, alia hordeo. Refert etiam Terebinthum ibi nasci, cui folia, & rami, & reliqua omnia terebintho similia, fructus autem diuersus; similis enim amygdalis; nam & in Bactris terebinthum hanc esse, ferreque nuces amygdalarum magnitudine, quoniam non magnas, sed uisu similes, & suauitate amygdalis præstantiores, & ideo loci illius homines his potius uti. Hanc plantam non contemnendis coniecturis, Dioscoridis pistacium credit esse Ioannes Vincentius Pinellus; uir (ut cæteras animi dotes propè innumeras taceam) materię medicamẽtorũ ut quiuis alius peritissimus: sunt enim pistacia & folijs & arbore Terebinthi simillima: quam quam nescio quo pacto Matthioli doctissimi pictura serratas in ambitu reddit frondes: quæ ita re uera non sunt, sed nihil à terebinthi folijs euariant. Adde quod pistaciorum arbor resinifera est, & in Sicilia passim in Terebintho inseritur, & pulchriores, suauioresque fructus profert: quibus induci possumus ad credendum, Terebinthi speciem esse. Quod uel illud magis persuadebit, quod Theophrastus nullam facit mentionem de pistacijs; uel quia ex India non adhuc in Græciam allata esset huiusmodi planta; uel quod sua tempestate sub terebinthi Indici nomine pistacia noscerentur; paulatimq; progressu temporis in hoc nomen transierit. Hoc siue uerum sit, siue non; confirmare non ausim: quemadmodũ & is, qui me hanc rem primũ admonuit, nec confirmat. Id tamen non propterea silendum esse duxi, ut quod alijs cõsiderandi ansam præbere possit. Multa alia (ut ad id vnde egressi sumus redeamus) ibidem recenset Theophrastus in India nata, & in

Aria regione, quæ nomine carent: quæque nostris regionibus nasci non consueuere. quæ per se studiosus lector videre poterit. Aliæ præter illas diuersitates ratione regionum esse possunt: ex earum nanque uarietate solum redditur uel nimis pingue, uel tophosum, arenosum, adustumq;. ex hoc enim arbores solent ima quidem parte optime constare, superna uitiosæ reddi: ex quo uitio formam, magnitudinẽ, qualitates omnes, &c. uariare possunt: ex illo uero nimium exsiccari, unde ægrescunt, & fructum parere nequeunt; ut Theophr. 11. de causis asserit. Hinc est, quòd uideamus multas plantas omnes (ut ad substantiæ ex regione uarietatem accedamus) partes non posse perficere. Plinius lib. xvi. loci uitio quædam fieri infructuosa tradit: sicuti in Paro sylua cædua, quæ nihil fert: Persicæ arbores in Rhodo florent tantum. Galenus 11. de alimen. facul. in regionibus non admodum calidis, palmas non perfecte maturescere asserit: immo & Theophr. inquit, quòd si quis palmam nostratem in Babylone serat, reddi fructiferam, & loci illius domesticis similem, cõsentaneum est: eodem modo & si qua alia tellus ad alium fructum ita se habet. Etenim omni cura culturaq; exuberantior iste persistit. Indicium quod ea, quæ aliorsum inde transferuntur, protinus sterilescunt. & alibi omnia (inquit) suis locis melius augescunt; nam & inter ea quæ idem genus sortiuntur, quæ suis in locis manent, enodiora, ampliora, pulchrioraq; extant: ut abies Macedonica præstantior, quàm Parnassia: cupressus ex eodẽ Theophrasto 11. de historia, cæteris locis ex semine prouenit, in Creta insula etiã truncо, ut montosa in terra: apud hos enim cupressus cædua est, quæ ex cæsura germinat modis omnibus præcisa: nam ab terra, & parte media, & superna nonnusquã loci uel ex radicibus germinat, sed raro. Quin & uitia morbique regionis ratione plantis euenire solent. nam apud Tarentũ (ut refert idem Theophr.) oleæ cum florent, nõnunquã desiderio flatus ærugine infestantur: nonnunquã habitu quodam ex mari caliginoso, crassoq; floribus residente odorem florum amittunt. qua de causa cum arbores maximæ atque pulcherrimæ illic sint, fructum tamen minimum reddunt. Manifestissime hoc cernimus nos in Ari specie illa, quam ægyptium Arum eruditiores appellant: Colocasiam bona pars materiæ medicæ professorum esse omni asseueratione affirmant, quæ cum in Aegypto, necnõ in Sicilia (ut audio) perfectissime crescat, omnesq; sui partes compleat: in Italia tamen neque semen, neque florem, neq; etiam caulem unquã (quamuis diuersis locis consita à multis sit) uel certe raro proferre est uisa. hinc effectum est, ut eos multi acriter damnarent, qui illam esse colocasiam contenderent: nisi hoc solum argumento, quod hæc planta caulem non proferat (quod

non

non loci ratione, uitioq;, in quo hæc formatricem uim debiliſsimam habet, neque vlterius quàm ad folia ædenda extendi poteſt, ſed ſuapte natura euenire exiſtimabant)quaſi uero ſi caulem proferret, Faba ægyptia dici debeat. Ergo hi recte quidem (ut mea ſert opinio) illos reprehendunt, ut qui in errorem delabantur: ſed non recta reprehenſione vtuntur:quãdo illa planta inter Ari ſpecies recenſenda omnino ſit: quod ex folijs & flore, quem nobis licuit videre, à Luca Ghino viro mihi in primis chariſsimo, dum viueret, miſſum: qui præter magnitudinem nullam ab Ari flore diſsimilitudinem habebat. Idem etiam in Cretenſi Dictamno euenire diximus, cum de varietatibus in ſubſtantia euenientibus loqueremur: hoc enim vult Dioſcorides ſemen nullum, aut florem proferre; cũ tamen in Italiam florem, in Creta etiam ſemen emittere comprobauerimus. Terebinthus item, & lentiſcus noſtris regionibus reſinam non fundunt: (Maſtiche enim, quæ in Brutia viſa eſt in lentiſco, paucior eſt, & liquidior, quàm ut colligi mereatur) ſed alijs multis perfectiſsimam fundunt. Sed qui mira circa varietatem in ſubſtantia ex regionum natura ſcire optet, legat Theophraſtum IIII. de hiſtoria multis in locis, præſertimque cap. VIII. & IX. vbi maris exteri, quæ ſua tempeſtate exploratæ erant, arborum hiſtoriam recenſet. Inter alia, in Arabia, in mari rubro vocato, nullam arborem prouenire in terra aſſerit, præter ſpinam, quæ dipſas, hoc eſt ſitiens, appellatur: At in mari quaſdam exire, circa quod fungi quodã in loco erumpere, cum aquarum copia præceſſerit, qui ſole tacti in lapidem commutantur. In ſinu Heroo laurum eſſe, & oleam, & Thymum lapidis ſpecie, parte à mari eminente, ſimilia autem viridibus tam folijs, quàm germinibus. Iuncos quoque lapideos apud mare illud eſſe, quos nemo uiſu à veris poſsit diſcernere. Arbuſculas præterea quaſdam naſci colore cornu bubuli, quæ igni iniectę ut ferrum excandeſcunt, & exemptæ tranquillantur eundem colorem ſeruantes. In Tylo inſula lanigeras arbores eſſe, quibus telas texunt; alias viles, alias precioſas. Variatur & à regione naſcẽdi tempus. huius rei multa ſunt apud Theophraſtum exempla. ſed illud ſanè mirabile omnino videtur, quod in Melio fieri aſſerit VIII. de hiſtoria, cap. III. Ibi enim ſata frumenta intra triginta, aut quadraginta dies metere incipiunt. Sed mirabilius, quod in Chalcia Rhodiorum inſula, vbi locum narrant adeo præcoquem, fertilemque, ut hordeum ſatum in eo, cum cæteris in locis ſereretur, metere iterumque ſerere, atque cum reliquis vnà frugibus rurſus metere poſsint. Obſeruamus & hoc nos etiam. In Germania enim, locisque ad arctũ magis vergentibus quaſcunq; plantas tardius oriri certiſsimum eſt, quàm in Italia, atq; climatibus ad meridiem

diem propius accedentibus. Hoc ex Fuchsio uiro eruditissimo cognosci facile potest: qui cum nascendi tempus in unaquaq; planta ponat; idq; in Germania ut plurimum obseruauerit; uidemus easdem plantas hisce nostris regionibus multo citius erumpere. Depingit enim(ut in notissimis semper, quo ad eius fieri potest, exempla tradantur)sex Geranij species,scribitq; primum genus,quod acum muscatam appellari uulgo ait, Aprili mense florere:in agro tamen Neapolitano ineunte Martio,singulis annis florentem uidemus; quòd siquando anni tempus etiam suffragatur, uel Ianuario florere solet. ita & tertium genus, quam herbam robertianam appellitant,mense Maio florem ædere asserit: Neapoli tamen in Aprilis initio semper floret. Atque idem in omnibus plantis euenire certissimum est: neque solum diuersis in climatibus, sed eodem etiam, hoc idem sæpius uisitur; ut sequenti capite ostendetur. Plinius lib. xxi. rosam hyeme tota præcocem esse Carthagine Hispaniæ asserit. Cæterum quod magnitudinem uariare possit regio; facile sciet is, qui fructus, qui ex India ad nos aduehuntur, inspexerit: sunt enim nostratibus(quod & in animalibus etiam cernitur)decuplo maiores. quod cum animaduertisset Plinius lib. vii. inquit,in India arbores tantæ proceritatis traduntur, ut sagittis superari nequeant. subdit deinde,hæc facit ubertas soli,temperies cæli, aquarũ abundantia: Quod & Vergilius elegantissime expressit his uersibus

„ Aut quos Oceano propior gerit India lucos
„ Extremi sinus orbis, ubi aëra uincere summum
„ Arboris haud ulla iactu potuere sagittæ.

Idemque Plinius inquit maluam in Mauritania Lixi oppidi æstuario, vbi Hesperidum horti fuisse produntur, altitudinis fuisse pedum xx. crassitudinis,quam circumplecti nemo possit. Raphanum etiam in Germania inueniri tradit, qui infantium puerorum magnitudinẽ æquet. Vnedonem,seu arbutum quinquagenûm cubitorum altitudine in Arabia esse Iuba est auctor, ut Plinius refert. Theophrastus etiã circa Memphim arborem tanta magnitudine esse asseuerat; ut tres homines nequeant eius amplecti caudicem:quod & Plinius etiã ab eo ad verbum accepit. Refert etiã Theophrastus viii. de historia, quodam in loco Asiæ ultra Bactra frumentum adeo grande fieri, ut oliuæ nucleos æquet. atq; alibi terebinthum circa Idam, & Macedoniam, breuem, fruticosam, contortamq; nasci tradit. at apud Damascum Syriæ magnam,copiosam, decoramq;. quod totũ Plinius etiam à Theophrasto sumens habet. Qui etiam v. de historia, cap. x. refert Arbores in Corsica magnitudine amplissima, magnoque discrimine cæteras excedere. Quanuis enim in latino agro pini, & abietes cum magnitudine

gnitudine,tum pulchritudine inter omnes Italicas præstent; tamen ad earum rationem,quas Corsica gignit pro nullo certe habentur. Videmus & Aristolochiam longam in Germania, alijsque quibusdam regionibus frigidis multo tenuiorem esse ea, quàm Dioscorides scribit: neque enim digiti crassitudinem æquat. quam ob rem multi non obscuri nominis uiri duorum generum longam aristolochiam statuere coacti sunt; alteram crassam, alteram tenuem appellantes: atque de hac locutum fuisse Andromachum in Theriaces compositione, cum tenuem Aristolochiã sumendam præcipit: non animaduertentes nusquam plurium Aristolochiarum,quàm quatuor (Plinij etiam pistolochiam hoc numero ponentes)mentionem fieri: ac per tenuem ibi clematitim accipi debere, ut ex eius delineatione colligitur. hi si considerassent regionis natura magnitudinem variari solere, in hoc erratum nõ incidissent. Ita nanque aliud genus nos constituere possemus; quippe qui eam non modo digitum æquare viderimus, sed etiam brachium. vnde si eis licuerit ob tenuitatem diuersam speciem constituere; cur nobis idem non liceat ob crassitiem? Sunt & qui eandem ob causam hãc longam aristolochiã clematitim esse existiment. inquiunt enim radices esse tenues, longas sarmẽtorum modo. cumque folia minoris semperuiui eam habere non videant, contextum emendantes lo co ἀσάρε substituunt ἀσάρε, ut Asaro similia sint nõ sedo folia. sed quid his dicendum sit Andreas Matthiolus perbelle (ut cætera omnia) habet. ille igitur legendus. Variat & qualitatem regio, ut odorem, saporem, colorem,omnesq; alias differentias,quæ ad tactum pertinent; ut duritiem, læuitatem, pinguitudinem: atq; his contraria, mollitiẽ, hirsutiem, ariditatem. In Aegypto enim minime odorati flores sunt, ut Plinius refert: quia nebulosus, & roscidus aër à Nilo flumine eum occupat. Huius rationẽ explicans Theophrastus VI. de causis, inquit esse, quia caliginosus aër efficit, quo minus excoquantur. Sed Myrtus ibi odoratissima est, alibi inodora: hæc enim sua natura sicca cum sit, ibi siccior est, ut ostendit fructi exiguitas, foliorum breuitas, & niger solus color. hanc obrem vaporũ ex Nilo prouenientium roriq; humiditati valentius resistit; neq; propterea hebetari potest. Cæteri flores, quia humidiores sunt, roris humiditatem vincere nequeunt: vnde hebetantur. Rosa Cyrenis odoratissima est, ideoq; ibi vnguentum pulcherrimum: præterea locis siccis,quã humidis odoratior. Multas præterea scribit Dioscorides plantas odoratas, quæ tamen quibusdam locis nullum seruant odorem; vnde à multis hac ratione pro veris non sunt admissæ. hinc multi diutius ancipites fuere in usuali betonica, non esse eam existimantes, quæ à Dioscoride scribitur; propterea quod

quod folia non videantur aliquem retinere odorem: quem tamen inesse debere vult Dioscorides. Atq; ex his multi suspicati sunt veram betonicam esse plantam illam, quę quibusdam locis menta romana, Neapoli menta francesca vulgo appellari solet; capti solum ex odoris fragrantia. Sed hi dum odorem quærunt, multas alias notas se amisisse non considerant, ac præsertim flores, & radices, quæ nullo modo Dioscoridis descriptioni cõueniunt. Verum quòd odorata sit quibusdam regionibus planta illa, quam omnes ferè betonicam existimant, indicio est, quod & nostrâs, si digitis teratur, suauem odorem, quanquã modicum expirat. quem maiorem inesse, etiam non tritæ, in locis quibus Dioscorides eam legit, suspicari quispiã non iniuria posset: nam & in nostris regionibus, cum locis colligitur nimis humectis, ex omni parte deperditur. Verum Betonicam psychotrophon ideo appellari Dioscorides auctor est, quia frigidis locis inueniatur: his enim quasi syluestrem quandam naturam adipiscitur; cuius ratione siccior, ieiunior, spirantior, feruentior, atque etiam succo tenuior fit. quæ omnia (si Theophrasto credimus VI. de causis) adiuuant ad odorẽ efficiendũ. Sed frigida loca ea intelligenda necessario sunt, quæ cum siccitate coniunguntur. quod tum solum, tum aër ambiens præstare potest. humiditas enim nullo pacto odorem creare, nec cõseruare potest. & quanuis etiam frigiditas odori contrarietur: tamen non omnis hoc efficere potest, sed illa tantum, quæ uehementissima est; ut quæ calorem penitus è medio auferat. At mediocris frigiditas calorem circumobsistentem expellit: qui in terra excoquere potest, atque odores ad actum ducere. Verum neque limosam, neque pinguem, neque lentam, glutinosamq́; terram esse oportet. humoris enim, lentoriscq́; causa non æque calor suo fungetur officio: propterea q́; Theophrastus ibidem asserit: arida, lociscq́; aridis prouenientia, quæ paruo alimento contenta degunt, quæ plãcide aspirantur, odoratiora proculdubio esse. humor enim largius se permiscens odorem obtundit. quam ob rem opacis locis, dilutiscq́; nunquam odorata proueniunt. quod uero de frigore diximus indicat Iris, quæ non alia ratione melior est in Illyride, quàm in Macedonia: in Thracia uero odorem nullum retinet; cæteriscq́; locis uehementissime frigidis: quia coctioni ob excessum, idonei esse nullo pacto possunt. Nam præter id quod hyems frigidissima ibi est, agrum etiã pinguissimum, & humore plurimo refertum habet. Ita & asphaltiti trifolio euenit, quod in Campania insignem bituminis odorem habet; in Hetruria tamen transplantarũ nullum prorsus retinet. quod in causa fuit, cur ibi pro asphaltiti non haberetur. Neque uero minus saporem uariare potest regio in plantis: quod uel ex ipso Dioscoride colligi po-

test. inquit enim quod Brassica in Aegypto propter amaritudinẽ non estur: in Italia tamen, ac præsertim Neapoli, inter omnia olera suauissimum hoc est, & esui frequentatissimum. Idem Perseam arborem exitiosam in Perside esse scribit, translatamq; in Aegyptum mutata natura, in cibos receptam. Immo & Galenus 11. de alimentorũ facultat. loquens de Aro inquit, eius radicem ad Cyrenem minime esse medicamentosam, & acrem, ut rapis etiam sit utilior, unde & eodem modo, quo rapa mandi ait. At in Asia Arum magna ex parte esse acrius, facultatemq; habere iam medicamentosam; in quibusdam autem regionibus acre ita esse, ut prope ad Dracontij radicem accedat. In Attica terra fructus cæteri dulcissimi fiunt, Thymum uero acerrimum est. Cuius causam Arist. in problematibus reddit. Sic & Capparis, quæ à Libyco, & quæ à rubro mari defertur, mirum in modũ acris est (auctore Dioscoride) siquidem in ore pustulas excitat, gingiuasq; osse tenus exest. quare in cibis non ab re damnatur. Lupinorum herba in Hetruria, ac quibusdã alijs locis (ut nos obseruauimus) amarissima est, atq; iumenta eam maxime auersantur: in Campania uero modicam, aut nullam habet amaritudinem; estque iumentis ita gratum pabulum, ut eo per uniuersam hyemem uescantur: unde uberiora redduntur. Quæ cum uideamus in plantis posse accidere, cur Fabarolam, seu scrophulariam minorem uulgo nuncupatam, Chelidonium minus esse negabimus? cur etiam eos, qui eius sunt sententiæ, non reprehendemus? Arguunt nanque plantam illam non esse chelidonium minus, quia Dioscorides uim ei acrem statuat; atq; anemones modo summam cutem exulcerare: illa tamen acrem saporem nullũ retineat. Verum nos edocti fieri posse, ut locus saporem permutet, non immerito hoc regioni tribuemus. neque aliter (mea sententia) dici potest: nulla etenim præterea nota ei repugnat; tam quæ à folijs, quàm quæ à radicibus quàm quæ à natali loco sumitur: immo & caule uacat, quod multi momenti est. Quòd si acris non sit, non propterea ipsa dicenda non est: immo siquis diligentius consideret, acris est etiam illa herbula; quem saporem non statim, ac primo gustatu; sed si diutius commanducata fuerit, ostendit. fauces enim exurere solet. sed demus hanc notam non adesse, ex regione hoc euenire nemo inficiabitur: in Germania enim uix degustata, accerrimum saporem in linguã imprimit, ut quidam Germani mihi retulerunt: ex qua stillatitiam etiam aquam eliciunt feruentissimi saporis. Hoc etiam obseruauimus nos in quadam Batrachij specie: quod cum acre suapte natura sit, nonnusquam nulla acrimonia præditum adinuenimus. At non propterea à Batrachij speciebus reijcietur. cum flores, semina, folia, radices, & locus Batrachio

trachio ex toto conſentirent. Sed hoc in his,quæ ratione loci particularis dicẽtur, aptius accommodaretur. Variatur & color. Taxus enim quæ in Arcadia naſcitur, folio nigro, aut puniceo conſtat, ut auctor eſt Theophraſtus VI. de hiſtoria: quæ autem in Ida, flauo, & Cedro ſimili. Quin & formam ipſam variari videmus: ſcimus enim ex Dioſcoride Allium in Aegypto ſingulari,ut porrum,capite conſtare. Quæ cum ita ſint,excuſari poſſet Fuchſius,vir alioquin eruditiſsimus, dum credit plantam illam, quæ ſaponaria dicitur vulgo, eſſe ſtruthion, ſiue lanariam herbam Dioſcoridis. Nam etſi ſaporis accerrimi ſtatuũt eam Galenus, & Dioſcorides, qui nullus in ſaponaria apparet;dici tamen poſſet hoc ex regionis noſtræ natura euenire. verum, quia aliæ notæ non conſentiunt, non video quonam pacto uir ille quidem præclariſsimus ab errore vindicetur. Nam quanuis ex Dioſcoridis hiſtoria nullam notam elicere poſsimus: tamen ſi Theophraſtum inſpiciamus,folia aculeata habere debet; ſi Plinium, eadem oleæ ſimilia: caulem ferulaceum, tenuem cibis expetitum. quorum nihil in ſaponaria videtur: cuius folia potius Gentianæ ſimilia exiſtunt: vnde & nonnulli inter Gentianæ ſpecies recenſent.Idem etiam & de Matthiolo(quod pace tanti viri dixerim)dici poteſt, qui, ut probet alteram Carlinam vulgo dictam, eſſe nigrum chamæleonem Dioſcoridis, quia eius facultas non eſt venenata, ut ex Galeno eſſe deberet, ſed abſque noxa deuorari ſoleat, ad regionem confugit, inquiens in Græcia, & in Ponto fortaſſe talem plantã poſſe uim veneni ſortiri: ſed fieri poſſe, ut in Italia ſit ſalutaris: quemadmodum in Perſea arbore, ac quibuſdam alijs eueniſſe conſtat. verum acceptari quidem hoc poſſet, ſi hæc vna nota, ac non omnes ferè aliæ diſſentirent. Altera nanq; carlina flores profert in capitulo, non in vmbella. nam ſi chamæleo albus capitulũ habet, non video, cur alterius carlinæ flores in vmbella eſſe dixerimus, cum nulla inter hæc ferè differentia ſit. Et tamen Theophraſtus etiam, IX. de hiſtoria, cap. XIII. Vernilaginis nigræ(ita enim uertit Gaza chamæleonem nigrum) herbam totam umbraculi ſpeciẽ repræſentare tradit. omitto quod & folia, & radix, & caulis, & ſapor, & magnitudo nõ conſentiunt. Sed verum chamæleonem nigrũ in Apuliæ finitimis, ac multis alijs locis nos ſæpius collegimus; ac primi adinuenimus in campeſtribus, ac ſiccis locis maxima vbertate prouenientem; cui omnes notæ pulchre correſpondent,quas ei Dioſcorides aſsignat; preſertimque umbella adeſt ſpinoſa, tam grata aſpectu,cum floret, ut nihil pulchrius videri poſsit. eſt enim umbella loculis, ſiue ſiliquis oblongis denſiſsimis acutarum ſpinarum circumſeptis plena: in quibus flores purpurei, oblongi, intus candidi, tenues, hyacin-

thi æmuli supereminent: sed illa ueluti siliqua spinosa semen occludit Cnico simile, adhuc vigentibus in ea floribus. quod tandē illis decidentibus matureſcit. folia uario colore maculis insperſa, caulem habet purpureum, dodrantali altitudine, radicem fuſcam foris, intus radicis aristolochiæ longæ colore, atque inter mille uix unam, aut alteram vidimus, quæ non sit carnosa, quanquã Dioscorides interdum exesam esse tradit. degustata acerrimi gustus est, sed commanducari oportet. Appellatur hæc planta ab incolis Cardoncello: cuius radicis succo pectines mulierculæ inficiunt ad puerorũ pediculos enecandos. sed in hoc ideo egressi paululum sumus, quod hæc planta uti diximus, à nemine adhuc cognita est. sed redeamus ad rem. Qui Rha Barbaricum idem cum Rha Pontico esse contendunt, atque regionum uarietati ascribunt, quod illud odoratum sit, hoc uero minime, in eundem errorem incurrunt. nam præter odorem in multis alijs discrepant, ut in substantia, sapore, facultate, quæ diuersa esse necessario cõmostrant. Hoc quidem ex Arabum Rha Barbarici descriptione, atq; Græcorum Rha pontici recte perpensa facile colligi poterat, quod indagandi Rha pontici ansam præbuisset: sed paucis ab hinc annis multo clarius hoc ita esse habuimus, cum uerum Rha ponticum iam cognosci incipiat. Hinc animaduertat, quæso, lector siquando plures notæ à Dioscoride descriptæ alicui plantæ non conueniant: non oportere nos confugere statim ad locum, ad ætatem, ad regionem, uel ad alia id genus, ut eam ad Dioscoridis uerba per extorsionem quandam accommodemus: sed si omnes notę consenserint, atque una reclamet, illam, si fieri potest, Dioscoridis descriptioni adaptemus: nam nisi hoc obseruauerimus, quamuis plantam cuiuis ferè Dioscoridis delineationi cohærere posse reperiemus: atque hoc erit hanc cognitionẽ obuoluere potius, quàm methodo clariorem reddere. Quantum uero ad tangendi qualitates pertinet; alterationes ex regione in plantis fieri nemo ferè est, qui non consentiat. Nam & Theophrastus in Pissotis dictis frumentum adeo firmum nasci tradit, ut siquis plus comederit, disrumpatur necesse sit: & Macedonũ plerosq; ita interijsse, ut VIII. de historia: cuius causam reddens IIII. de causis, agri proprietatem esse asserit. nam si aliò transferebatur, cõmutabile fiebat. Hæc cum ita habeant, non possum non satis mirari, cur Theophrastus II. de causis non in regionem causam reiecerit eius, quod Androsthenes de Tylo insula rubri maris narrauit, aquas salsas fluentes plus quàm cælestes iuuare tam arbores, quàm omne genus plantarum: & hinc agricolas loci illius statim post imbrem riuis eiusmodi abluere sata solere: siquidem consuetudinem potius causam esse dicit, quæ in illis uelut natura facta est. constat enim

omne stirpis genus, paucis quibusdam exceptis, aquis dulcibus melius reddi, quàm salsis. sed locus longe his mirabiliora efficere potest.

Quod ratione locorum particularium deceptio contingat in plantarum dignotione. *Cap.* VIII.

CVM dupliciter locum considerauerimus, & pro regione, & pro regionis parte; quæ in priore considerãda erant, satis superq́; præcedenti capite recensuimus. nunc de secundo sermo fiet. Appellauimus locum in secunda significatione regionis particulam: in his enim loca quædam sunt sterilia, quædam fertilia, quædam pinguia, quædam saxosa, arenosa'ue: sunt & montes, & ualles, plana, promontoria, lacus, flumina, loca maritima, prærupta, culta: sunt & harum partium particulæ, ut semita, limites, sepes, segetes, atque id genus alia. Dioscorides igitur nunc in his, nunc in illis locis herbas oriri tradit: ac quosdam locos quibusdam plantis peculiares esse. Hoc autem præterquam quòd non esse perpetuo obseruauimus: sed ut plurimum. si in loco ei minus proprio (ut sæpe contingit) planta aliqua reperiatur, faciem ita mutare solet, ut circa eius cognitionem dubium non contemnendũ relinquat: eædem autem diuersitates, quæ in anni constitutione, necnon in regione eueniebant; loco accidere solent. ex quibus quia nonnulla in præcedentibus adnotauimus, quæ & loco etiam accõmodari posse monuimus, hic omittemus: sicuti & quæ hic dicentur in anni constitutionibus regionibusq́; intelligi uolumus: omniaq́; ingeniosis suis locis applicanda relinquimus. Quod igitur citius (quantum ad tempus attinet) educantur plantæ in pingui solo, humectoq́;, Soli mediocriter exposito, quàm in sterili, saxoso, uentis perflato, est Theophrasti auctoritas, & obseruatio: Ille enim sic per gradus germinationem plantarum circa tempus partitur. Vnigenæ (inquit) pro locorum natura discrepant: etenim quæ paludibus astant, primæ germinant; secundæ, quæ planis; nouissimæ, quæ montibus. Obseruatio cuiuis manifesta est. prope enim Caietam, & in Aenaria insula, ac quibusdam alijs locis maritimis fructus omnes tempestiuius oriuntur, quàm Neapoli; ac nonnullis alijs locis proximis, etiam si alioquin fertilissima sint. Quapropter Neapolim inde quamplurimi fructus comportantur, cum ibi uix florere incipiunt eos ferentes arbores; sunt enim loca in uniuersum temperatiora, aquisq́; multis scaturientia. Hinc & fabas, & cinaras, mense Martio in sua maturitate in his locis uidere est, cum in Apulia uix mense Maio conspici incipiant; quibusdam uero locis ne Iunio quidem erumpant. Idem ferè in uindemijs obseruatur: sæpius enim

in locis non maioris interstitij,quàm sexies mille passuum, uuam mensis integri intercapedine citius matureſcere uidemus: quibusdam uero in locis ne matureſcere quidem penitus uua potest. unde uinum conficiunt sapore acerbum, ut omphacij potius, quàm uini naturam retineat. Neque uero circa tempus solum, sed etiam in magnitudine diuersitatem efficere solent: uua nanque in montosis locis longe minoribus acinis constat. immo nec eodem colore conspicitur, ita ut faciem longe diuersam ostendat; ac nisi quispiam hoc consideraverit, absque dubio in earum cognitione decipietur: cum uuas, quas sæpe comederit,ac tanquam digitos cognouerit, alias esse existimaturus sit. quantum enim posit cælum, & tellus pinguis, lætaq́; ad germinationem satis belle docet Theophrastus III. de historia,cap. VII. ea enim de causa in Aegypto semper ferè arbores germinant, aut certe parum temporis intermittunt. At uero quod maiores erigantur stirpes in amœno,pinguiq́; loco,quàm tophoso asperoq́;, uel ex ipso Dioscoride colligas: inquit enim serpyllum in macerijs multo procerius assurgere: item Tragoriganum quibusdam locis lætius,uirentiusq́; inueniri, & latioribus folijs, satis glutinosum: Pityusam etiam ultra cubiti altitudinem assurgere uult. subdit tamen quibusdam in locis frutex hic prægrandis inuenitur. Non omittendus hoc loco Plinius, qui lib. XVI. quæcunque,inquit, communia sunt montibus planisq́;,maiora sunt aspectuq́; pulchriora in campestribus, meliora materiæ crispioraq́; in montibus,exceptis malis pyrisq́;: quod totum Theophrasti est lib. III. de historia,cap. IIII. ubi quæ tantum in montibus proueniant, non etiam in planis multa enumerantur. Quin & loca hæc pro uario regionum aspectu uarias ædunt plantas. Syluestris enim materies,ut in uniuersum cum Theophrasto loquar, pulchrior, & commodior,& copiosior parte montis aquilonia, quàm meridiana enascitur: sunt enim loca propria tum syluestribus, tum urbanis, ut tradit Theophrastus IIII. de historia. amant aquosa, & palustria populus, salix:Pinastrum pulcherrimum,amplissimumq́; apricis emigrat: umbrosis autem nasci omnino nequit. Contra Abies umbrosis pulcherrima; apricis haud similis sibi assurgit:Montium cacuminibus Thuia enascitur,& excelsa quidem; inque montibus ipsis ad portionem, alia in imis, alia in summis proueniunt ita, ut & pulchriora, & fertiliora exurgant. Oleæ, fico, uitiq́ue solum campestre competit: nucum autem, pomorumq́; generi radices montiũ: omnes ferè arbores(ut III. de historia auctor est Theophrastus)quæ tam montibus, quàm planis eædem proueniunt, monte coloratæ ualde, candidæque assurgunt; ut Scissima, ulmus, reliquæque. plano autem rariores corpo-

re,

re, pallidiores, deterioreſque, præterquam Pyrus, & fraxinus. Hæc enim quæ montibus naſcitur colorata, læuis, robuſta, lentaq́; eſt: quæ in planis decolor, rara corpore, ſcabraque aſſurgit: vbi in vniuerſum omne campeſtre leue eſſe docet, & magnitudine excellere: omne autem montanum, ſcabrum. Quinimmo 11. de cauſis idem Theophraſtus inquit mutationes in ſapore, & odore, & magnitudine tam ipſarum plantarum, quàm fructuum, foliorumque fieri: folia enim anguſtiora, latiora redduntur; & ad ſummã plantę ipſę ad hunc modum diuerſæ efficiuntur. quapropter locum vnumquodq; ſibi conuenien
10 tem quæritat. conuenit autem is, quo vigere maxime valeat. quam ob rem non omnibus ſolum idem aptiſsimum eſt: ſed alia gracile, macrumq́; amant: alia arenaceum; quædam etiam ſabuloſum, ut braſſica. nam quæ ſicca ſunt, ſiccum quæritant agrum: quæ humida, humidum. ita enim alimentum pro ſuæ naturæ ratione quæque attrahet. propterea igitur ſi ficus humidis locis inueniatur, fructum aut putrem ex toto efficit, aut minus recte maturat; quia ſolidum, ac ſitientem locum ficus concupiſcit, (quanquam forte non ea ratione, quia ſicca ſit, ſed alia quadam) niſi aliqua ſit, quæ ſuapte natura adaquari exigat, ut laconica. Vites quæ ſolidæ ſint, ſpiſſæq́; loca mon=
20 toſa amant; quæ ſolutæ, ac humidæ, planis gaudent: non ſic amygdala; quæ ob virium ſoliditatem tam magnam alimenti copiã trahit, ut ad eius luxuriam domandam ſolum gracile, ſerenum, atq; apricũ requiratur. Nux euboica opaca atque roſcida loca expoſcit, ventorumque iniurijs minime expoſita. Hæc enim cum tranquillis ſtat locis, fœcundiſsima ſit: ſi ventoſis, fructum non procreat, ſed ad floré vſque tantummodo proficiſcitur. Multa etiam nos præter ea quæ Dioſcorides, & Theophraſtus recenſuere (nam de varietate circa magnitudinem erat ſermo) obſeruauimus, ex quibus non nulla pro exẽplis enumerabuntur. Acanthus ſatiuus (ut in his exempla tradamus,
30 quæ omnibus ferè nota ſunt) cum in hortis colitur, tanto maior fit eo, qui in petroſis ſponte naſcitur, ut mirum omnino ſit. hic enim vix lactucaceas frondes excedit: ille bicubitales frondes, dodrantali, & eo amplius latitudine proferre ſolet; ut paſsim in multis Neapolitanis hortis videre eſt. Idem in ſacra herba vidimus: hanc enim cum legiſſemus in aſperis, folia exigua habere, ac ad dodrantis altitudinem vix aſcendere inuenimus. eandem uero in vmbroſo quodam, humectoq́; loco bicubitalem & eo amplius; folijsque duplo maioribus his, quæ eſſe ſolent, aſpeximus: nam uel quercus folia æquabant. ſiquis igitur attentius Dioſcoridis deſcriptionem intuitus, incideret uel in primã, quę longe minor debito eſt: uel in ſecundam, quæ multo eſt maior;

forte eam non cognosceret : si vero hanc diuersitatem euenire ratione soli sciuerit , nulla amplius ei difficultas remanebit . Hoc idem in media Consolida à Fuchsio appellata visitur . in hortis enim semicubitalem , & quandoque maiorem altitudinem possidet; ac serpendo it ita , ut breui admodum temporis interuallo bonam terræ partem occupet: at in sterili loco uix digiti mensuram excedit ; neque serpit , sed vnica sæpius inuenitur . Ammi vulgatum si in asperis , ac aridis locis,quales ut plurimum in Apulia conspiciuntur , inueniatur , dodrantali longitudine videtur : in pinguiori solo sesquicubitum æquat , excedit́que . Smyrnium cum per se prouenit in collibus , ac limitibus terrenis , folia exigua profert : cũ uero in hortis seritur , ac colitur;præter id quod folia multo latiora habet,ad maiorem multo altitudem assurgit. Vidimus & quibusdam locis chamæleonem nigrum uix trium digitorum latitudinẹm caule æquare ; tametsi flores etiam in cacumine haberet; atq; huius altitudinis largissimũ campum conspeximus. Idem in Elatine, in vtroque chelidonio,atque in numeris ferè alijs obseruauimus: atque vnusquisque quãtum uis in re herbaria rudis obseruare in dies poterit. Ratione igitur Theophrastus 1.de historia,humi naturam ad radicis altitudinem , & longitudinem plurimum conferre existimat,si leuis , rara , transmeatuq́ue facilis sit: quod in genere vrbanissimorũ constat . Hæc enim si aquæ copiam habent inquantum libeat progredi possunt ; præsertim si nihil obstauerit , ut puteus , uel aquæ ductus: nam in Lycio Platanum fuisse ait apud aquæ ductum , quæ nouella adhuc circiter tria ac triginta cubita misit.solent & propter locum stirpium partes nunc deficere , nunc super addi , nunc diutius , quàm suæ naturæ conueniat perdurare . Inquit enim Plinius locorum tantã vim esse , utcirca Memphim Aegypti , & in Elephantide Thebaidis nulli arbori decidant folia , ne vitibus quidem . Theophrastus habet idem primo de historia , additq́ue in Creta insula Platanum esse , & in agro Turino prope Sybarim quercum , quæ folia nunquã amittant.& alibi steriles , inquit , & fructiferæ , & floriferę,& floris exortes ob loca , cælumq́ue ambiens redduntur. Eodem modo perpetuo virentes,& folia deperdentes.singula quidem terram propriam quærunt.hinc est quòd quibusdam locis quædam facile proueniant , quibusdam nec sponte nascantur , nec fata apprehendant ; quod si apprehenderint , fructus nullatenus pariunt , immo vitiata in totum assurgunt . quod de Heleanio Dioscorides dixit quibusdam locis caulem non emittere inquiẽs . Iam uero & colorẽ in herbis loci ratione permutari nulla indiget declaratione:scio enim Cytisum totum esse candidum; ut non immerito illam Rhamno Dioscorides comparauerit . hoc tamen habet dum in

suo natali loco permanet: nam transplantata candidum illum colorẽ multa ex parte amisit ita, ut virentem potius, quàm candicantem dixisses. quæ nota deperdita sui cognitionẽ facile præpedire posset his, qui ex loco id fieri nescierint. Neque prætereundum est, ad huiusce rei corroborationem, maritimas omnes plantas, quæ ut plurimum candido colore spectantur, si ad hortensia loca reuocentur; candicantem colorem, uel penitus, uel saltem magna ex parte amittere: sicuti ex crassioribus (nam ut plurimũ etiam pingues quodammodo sunt maritimæ plantæ) graciliores redduntur, cum in hortensibus locis, culti-
10 sq; aluntur, ac simili quidem ratione duritiem in teneritatem commutant, quæ ad tactilem qualitatẽ pertinẽt. Theophrastus enim IIII. de causis, tres assignat causas mutationum in plantis, cum uel speciem ipsam uariant Tempus, Alimentum, & Cælum. Alimentum autem ad solum, siue tellurem pertinet. hinc subdidit ad genus mutandum omnino qualitatem, & quantitatẽ alimenti statuendam: nam fabæ eiusdẽ caulis, immo & eiusdem siliquæ aliæ incoctiles, aliæ coctiles esse solent & in eodem agro, & eodem sulco. Causa locus est, qui in his uariare solet alimenti tum quantitatem, tum qualitatem. locis enim stercorosis, calidis, tenuibus, soliq́ue expositis alimentum leue, atq; facile sug-
20 geritur: quam ob rem & fructus molles, rarosq́; habent. qua de causa coctilia semper in Lemno esse autumat, calor enim coctilitati & digestioni perneccssarius est. Contra uero, quæ terra frigida, spissa, lenta, & quasi figulari, atque etiam pratensi, madida, & palustri, incoctilia proueniunt ob copiam alimenti & uires: dura etiam sunt, & densa ob permixtionem terrenæ, atque frigidæ partis: congelatio enim & condensatio ex ijsdem, quibus induratio, fieri solet. Vbi igitur pluuiæ, & cæli conditiones non similes, sed aduersæ, solum etiam diuersum reddunt, etiamsi in eodem agro. quare & incoctilia, & coctilia sunt in eadem planta, quia alimentũ hæc crudius, illa coctius susceperit. Idemq́;
30 Theophrastus v. de causis, Punicam inquit tota arbore mutari ratione naturæ agri, sed si non totæ arbores mutentur, alijs causis tribuendum esse; sed cælum etiam non nihil efficere. Ratione item soli uitem fumidam uocitatam uuas alias candidas, alias nigras afferre, & alias omnes candidas, nigras'ue promiscue generare. & Columella lib. v. esse inquit quosdã agros, in quibus non æque bene translata semina, quàm immota respondeant. sed istud rarissime accidere. Possem & multa alia ad hoc propositum adducere; sed hæc sufficere possunt: nam & multa alia ex superioribus, qua de regione egimus, & anni tempore, haberi poterunt. quæ uero desiderare quis posset proximũ caput continebit. Concludendum igitur est, ut inspiciamus quidem, ac inquiramus

ramus omnes notas, quas Dioscorides plantis assignat: uerum hac lege, ut si quæ non adsint, uel si adsint, permutationem tamen aliquam susceperint, diligentius consideremus, sit ne hoc perpetuo in plantis, an ex accidente aliquo. Cumq; sciamus locum posse multa permutare: si eius ratione quicquam à naturali forma recedat, uel deficiat, uel superaddatur, ut si sapor, uel odor, asperitas, lęuitas ue, quantitas maior, aut minor; uel flos, uel caulis, uel semen, uel id genus aliquod non existat in planta aliqua, quod adesse deberet, cætera tamen signa ad unũ conueniant; nihil nos mouere debet, quin ipsam esse pronuntiemus. sed quod magis mirum sit ex regione qualitates sortiuntur plantæ, quæ occultam habent causam; ut Achaiæ apud Cabiniam (si Theophrasto credimus IX. de historia) uitis genus est, cuius uinum abortum facit; & si canes uuam comederint, etiam periclitari: & tamen uua, & uinum nullum, neque in substantia, neque in sapore à ceteris diuersitatem retinet. Huic simile est, quod de alumine ex Melo aduecto scribit Dioscorides præstat enim mulieribus ne concipiant ante coitum ori uuluæ inditum. quod de alijs non dicitur.

Multas plantas proprio, ac sibi peculiari solo gaudere, quamplurimas tamen in omnibus locis magna ex parte prouenire posse. Quomodo item loca accipienda sint. Cap. IX.

Non unam habet considerationem particularis locus in plantarũ uariatione, sed duplicem: quandoquidem uel ita est, ut eius ratione contingat uariatio magnitudinis, figurę, saporis, odoris, & consimiliũ: uel quòd alijs locis oriri plantæ inueniantur ab illis, quos Dioscorides recenset, nihil immutata plantæ facie. De secundo hoc capite tractabimus: nam de priore satis multa superioribus capitibus diximus. Scire igitur conuenit Dioscoridem si non in omnibus, at certe in multis plantis locum, & natale solũ ponere ita, ut quasdam in gracili, quasdã in pingui solo nasci tradat: alias in montibus altissimis, in niualibus & à uento perflatis, alias in collibus, nonnullas in palustribus, in petrosis nonnullas: multas in maritimis, multas in rupibus campestribus ue, alijsq; locis alias. Quę quidem omnia ut plurimum ac maiori ex parte intelligenda sunt, ut scilicet in illis locis hęc uel illa planta oriatur: quando easdem herbas in omnibus, aut saltem in multis nasci posse superius demostrauimus (tunc enim faciem permutare solent) quanuis suapte natura in peculiari certoq; loco nascantur. Theophrastus enim dum plantarum differentias in formis ipsis contemplaretur I. de historia, à locis eas accipi debere obseruauit. unde quasi generalem

ralem quandam distinctionem constituit,alias terrestres, alias aquatiles,sicuti & in animalium genere,constituens:atque aquatilium genus diuidens alias in paludibus, alias in lacubus, alias in fluuijs, quasdam etiam in ipso mari nasci tradit:& quędam alia ibi recensetad hoc propositum pertinentia. Verum subdidit; siquis arctius inquirere uelit, alias communes, & quasi uitam ancipitem agentes inueniet; ut myrtum, salicem,alnum: immo & ex ijs, quæ terrestres proculdubio sunt, mari nonnunquam uiuere; ut palmam, scillam, albucum; & quia nihil certi quantũ ad loca pertinet in plantis inueniebat, his uerbis nos hanc rem monuit, Sed enim eiusmodi omnia & in totum hoc modo » pensitare minus accomodata contemplatio est; nec enim natura hoc » modo, neque in eiusmodi rebus necessitatem iniecit. hæc ille. Nam & hederam in cerui cornibus & Terebinthum in olea & laurum in Platano, & quercu uiuere, ac nasci uisas esse, idem Theophrastus auctor est:& multas alias plantas alijs adnasci solere asserit: immo & Platanus in tripode æneo aliquãdo proueniisse narratur. Neque hoc ignorauit Dioscorides,vnde in multis diuersa loca appositit, in multis tamen subticuit, sed ex illis alia eodem modo intelligi uoluisse credendum est: neque enim in omnibus hoc obseruare potuit: uel si potuit, adnotare non multum curauit. Diuersitatem locorum posuit in smilace aspera, in palustribus, & asperis nasci asseuerans: in chamæleone nigro, dum dicit illum in cãpestribus, siccis, & cliuosis tractibus, & maritimis prouenire. Ita & Thlaspi nasci inquit in semitis, & sepibus, fossisque,sicuti & viticem in fluminum ripis, asperisque locis,ac torrentium alueis,Helxinem in parietinis,sepibus, vineis,& segetibus atque in multis alijs eodem modo: sed in quibusdam alijs non omnes locos recensere curauit: quia per se hoc rei herbariæ peritus ac diligẽs indagator obseruare posset. sed eorum tantum locorum meminisse curam habuit,in quibus magna ex parte plãtæ oriri soleant scribit igitur Alsinem nomen habuisse, quòd lucis, quos græci ἄλση nominant,opacisque gaudeat: hanc tamen nos in asperis locis, præruptisque in semitis, necnon in parietibus, sæpius inuenimus: Polygonaton in montibus nasci,nec minus Narcissum asserit;sed in planis, vallibusq; vtrunq; sæpius se legisse Lucas Ghinus præceptor meus disertissimus in quotidianis suis lectionibus sæpius affirmare solitus erat; nosque de Polygonato solo testari possumus. Psyllion in incultis nasci, necnõ in aruis scribit: tamen in multarum domorum muris Neapoli illud vberrime prouenire conspicimus: quanuis in aruis ut plurimum inueniatur. atq; idem in omnibus ferè plantis uidere est. Dioscorides igitur, cum de loco mentionem facit, ita intelligendus est,ut si plantæ cuipiam locum

cum

cum aſsignat,accidatq́; illam alibi inueniri,non propterea damnari debet Dioſcorides, neq; in hoc ita addictus eſſe quis debet eius dictis, ut credat, quoniam non inueniatur in loco ab illo propoſito, non eſſe quam ille deſcribit: neque enim ſufficiens nota eſt; ſed aliæ inſpiciendæ ſunt: quæ ſi adſint,non multum de natali ſolo curandum eſt. quod ſi omnes, uel multæ reclamabunt; ridiculum eſt unam accómodare. Neque minus irridebitur, ſi omnes, uel multas ad Dioſcoridis hiſtoriam extorquere tentabimus. Vt qui rutam caprariam, ſeu Galegam, quam nonnulli onobrychim credũt,pro Polemonia oſtendunt. Cũq́; videant nuſquam in montibus inueniri aſperiſq́;, ut de Polemonia docet Dioſcorides, ſed pinguibus locis, atque humectis: inquiunt hoc mirum non eſſe quandoquidem plantæ uarijs locis naſci conſueuerũt: quod & nos admitteremus, ſi uel unam ex alijs notis cohærere uideremus. Theophraſtus 111. de hiſtoria, multas arbores recenſet, quas nõ niſi in montibus oriri ſtatuit; inter quas Buxum, Tiliam, nucem Iuglandem, caſtaneamq́ue enumerat: hæ tamen omnes in planis multis in locis videntur. Verum his locis ſatæ ac manſuefactę,ac quodammodo urbanæ ex ſylueſtribus redditæ perdurant. Theophraſtus igitur ſponte in montibus ſolum prouenire tradit. Nolim tamen credas in omnibus me ita intelligere, ut nullas non in quibuſuis locis prouenire exiſtimem. Scio enim quaſdam eſſe, quæ unum ſibi locum ſtatuerunt ita, ut in alio reperiri minime poſsint; ut Nymphæa nuſquam niſi in paludibus,ac ſtangnantibus aquis naſcitur; ita & lens paluſtris, & potamogeton, & Tribulus aquaticus, & alia, quæ in Aegypto naſci ut plurimum ſolent,de quibus Theophraſtus lib.1111.de hiſtoria. Quin & inter aquatiles plantas aliæ lacubus tantum, aliæ paludibus, aliæ fluminibus naſcuntur. Mare multa, & uaria gignit, & eſt genus quoddam ſicut animalium (ut Theophr.refert 11.de cauſis) ita etiam plantarum,quod niſi in mari uiuere nequit:Androſaces nõ niſi in maritimis: marina braſsica eodem pacto, ac quam plurimæ aliæ. Verum quæ alijs locis naſci aptæ ſint plantæ, quàm qui à Dioſcoride proponuntur, quǽue ſolummodo in ſtatuto loco, in multis haud erit difficile cognoſcere: & ſi in aliquibus dubium aliquod relinquetur.cognoſcetur autem ex modo loquendi. Nam qui recte inſpexerit Nymphææ deſcriptionem,cum de folijs inquit, alia in ſumma aqua apparere, alia in aquis mergi; facile ſciet,ita in aquis naſci, ut alibi naſci nequeat. ita & de ſtratiote,ex hoc quod dicit aquis oriri, non poſſumus tuto affirmare alijs locis prouenire non poſſe: ſed quod ſubiunxit, eiſdem ſupernatare,& ſine radice uiuere; ſatis erit,ut ad credendum nos inducat alijs locis ab aqua oriri neutiquã poſſe. Ita & de omni muſcorum genere;

nere; quomodo nanque ex marini muſci delineatione elicias, alijs locis à ſcopulis teſtaceisque oriri poſſe. ita & Bryon arborum, qui alijs locis ab arboribus per ſe naſci exiſtimaret, nonne delirũ ſtupidumq: recte dixeris. Non ita eſt de aliſmate, quod aquoſos amare tractus tradit Dioſcorides. per hæc enim verba his locis, ut plurimum, naſci ſolere intelligimus. At uero cum phyllum naſci in ſaxis docet, alijs etiam locis prouenire poſſe facile ſuſpicari poſſemus; niſi ſubdidiſſet, Muſci modo: hoc enim uerbum ab hac nos ſuſpitione deducit, atque alibi aſſurgere minime poſſe certiores reddimur: cui & res ipſa adſtipulatur; phyllum enim uerum non ſemel nos ſaxotis legimus, nihil à Dioſcoridis ſcriptura euarians. Quam ob rem reprehendi iure poſſunt, qui hæc non conſiderantes pro phyllo perſicariæ ſpeciem oſtendunt: quæ non ſolum in ſaxis nunquam prouenire uiſa eſt, ſed perpetuo qualitate oppoſitis locis, nempe in ſtagnantibus, ut interim taceam, alias notas, quarum nullam Dioſcoridis delineationi conſentire video. Verum quid vetat ſecuridacam alijs locis, quàm in ſegetibus & hordeis aſſurgere; alijs item à riguis, atque aquarijs ductibus tum pentaphyllon, tum polygonon fœminam? Quanuis igitur cum illis nõ conſentiam, qui volunt lotum urbanam eam trifolij ſpeciem eſſe, quæ paſsim in pratis ubique ferè oritur: nõ propterea recte à nonnullis, alioquin maximæ exiſtimationis uiris, reprehenduntur (ut dicam quod ſentio) quòd hoc trifolij genus non in hortis, ut uult Dioſcorides, ſed in pratis naſcatur. quandoquidem & utriſque locis naſci poſſe nullum eſſet incommodum: ſed ſunt aliæ rationes, quibus eorum ſententia reijci poterit. Quod uero poſtremo circa loca animaduertere oportet, eſt locorum propria acceptio: loca enim hæc nõ ita ſtrictim accipiuntur; ut ſi dicat Dioſcorides plantam aliquam naſci in montibus; nos ſolam montis ſummitatem, aut uerticem intelligamus; nec cùm de ualle loquitur, eius imam profunditatem ſolam: neque maritima loca eo termino claudemus, quem maris unda abluit; atque ita de alijs locis: ſed cum ſciamus montem pluribus conſtare partibus, habet enim ſummũ cacumen, quod iugum uocatur: habet & uerticem, locum ubi montis ſummitas ex omni parte uerti incipit: habet latera, & radices: ſi quando in montibus prouenire plantam dicat Dioſcorides, has omnes partes per montem eum intelligere poſſe, latere nos non debet. Siquis nõ ita acceperit, in inexplicabiles difficultates incidet. Geographi enim ualles etiam, planaq;, quæ in montibus ſunt, montis appellatione includunt. Plinius lib. III. inquit Garganum montẽ centum uiginti quatuor millia paſſuum ambitu claudi: nos autẽ, qui uniuerſum ferè montem circunſpeximus, in eo ambitu plana multa contineri inuenimus,

quibus

quibus lacus adsunt, fontes scaturiunt; ualles etiam profundissimæ: inter quas & uallis quædam Carbonaria ab incolis appellata ex utroq; latere altissimis montibus munitur: in hac maximam pæoniæ ubertatem uidimus. ergo non propterea locum hunc descriptioni repugnare affirmabimus, quòd Dioscorides dicat in altissimis montibus nasci; quia & uallis hæc tanquã montis illius, qui altissimus est, pars consideratur. Ita & in monte Vulture Apuliæ finitimo eandem Pæoniam iuxta lacus uidimus, qui gemini sunt; atque ab eo monte in plurimos altissimos colles diuiso, ueluti circulo quodam sepiuntur, alueumq; profundissimum præbent. similiter & de ualle intelligamus necesse est; hoc est nõ absolute concauum illud, quod inter duos montes est, sed etiam usque ad aliquid montium latera. quod neque intactum reliquit Theophrastus, cum lib. 111. de historia, cap. 111. in magnis montibus Parnaso, Cyllene, Olympo, Pierico; Mysioq; & si unquam locus alius huiusmodi sit, omnia oriri affirmat: causam assignans locorum uarietatem: Habent enim (ut inquit) stagnantia, madentia, sicca, crassa, saxosa, prataq; media, omnia penè telluris discrimina. Ad hæc alia concaua, atque tranquilla; alia sublimia, & uentis exposita, ita ut permulta, & uaria gignere possint: & quæ planis proueniunt, isti quoque præstare ualeant. secundum hanc igitur significationem dicimus mala Medica, Citriaq;, maritima loca amare: accipientes per maritima non id solum, quod undis alluitur; sed quousq; maris aura peruenire potest. quæ quãdoq; ad decem millia passuum, quandoq; ulterius extenditur. Oleam enim (ut auctor est Theophrastus) trecentis à mari stadijs prouenire non posse affirmant. quasi uelit ad hunc terminum usq; aërem à maris qualitate alterari posse. secundum illam etiam acceptionẽ idem Theophrastus Thymum nasci durareq; non posse quosdam dicere asserit, quò flatus è mari nequeat peruenire. qua de causa nec in Arcadia satureia, & origanum prouenire possunt. Hæc & his consimilia si ita intellexeris; neque multum curiose omnia consideraueris: multarum stirpium dignotio uel nolenti tibi suppeditabitur; alioq; irridebis, falsissima cõmemoratas ob causas sensuiq; reclamantia sentientes. Iam uero quis non animaduertat nunc, toto cælo errasse eos, qui plantaginem aquaticam, seu lanceolam uulgo nuncupatam, limonium esse contendunt: cum luce clarius uideant caulem lilio æqualem, rectumq; non habere? quod non de magnitudine solum, sed de forma etiam ab eo intelligi uel illud persuadere potest; quòd lilio comparat: neque statutam quantitatem, ut in cæteris solet, proponit: dum cubitales, dodrantales ue eas esse docet. Sed cum uideant Dioscoridem asserere eam in palustribus oriri; quanquam & in

pratis etiam prouenire dicit: nunquam tamen uerum limonium inue nire se posse existimarunt, nisi planta illis occurreret, quæ tota aquis immergeretur; nescientes per paluſtres locos non aquas solum, sed aquis circunstantes locos intelligi licere: nos autem limonium uidimus in lacunis quibusdã, quæ propter concauitates, hyemales pluuias, uel etiam torrentis proximi exundationem receperunt; quæque æstate arescunt, sed propter decurrentis aquæ uicinitatem nonnihil humiditatis seruant. Quæ planta præter alias notas omnes, caulem unicum profert lilio ita similem, ut in magnitudine & crassitie nihil desit: circa quem siliquæ quædam conspiciuntur, bonam caulis partem crebris ordinibus orbiculatim sepientes, antirrhini siliquis non absimiles: in quibus rubicundũ semen, astringens, quod nõ semel ad excellentissimum Lucam Ghinum misimus, qui nobiscũ consentiebat. Qui igitur uarias plantas depingunt pro limonio, quantũ decipiantur, ex his manifestũ iam est. sed neq; minus irridebis eos, qui candẽ lanceolã uocatã alisma esse credunt; nixi solũ, quòd Dioscorides dicat aquosos amare tractus: neq; curant, quòd folia conuexa in terrã non sunt, sed sursum spectantia, caulis non simplex, sed ramosus; capita Thyrsi nulla, neq; radices ueratri nigri, odoratas ue possidet. Nos autẽ Alisma in umbrosis luciscq: uidimus, cui omnes notæ alismati à Dioscoride attributæ, nulla repugnante, cõueniunt. quod si nõ adhuc in aquosis tractibus adinuenerimus: nõ propterea negari potest alijs in locis prouenire eam posse; ut superius de nonnullis alijs diximus. Quod de locis particularibus diximus, dici etiam de regionibus posse nemini dubium sit. Agaricum enim, ut supra cõmemorauimus in Agaria nasci Sarmatiæ regione, & nonnullis alijs regionibus Dioscorides tradit, sed in Italia etiam inueniri clarissimum est: atq; ita de multis alijs. Neque enim auctores loca omnia, & regiones, quibus medicamenta reperiantur, scire possunt. Exemplum est apud Theophrastum IX. de historia, de Hirci spina, hoc est Tragacantha: quæ (ut ille refert) tantum in Creta nasci putabatur: eius tamen tempestate in Achaia etiam Peloponnesi, & alijs locis, & Asiæ circa Mediam comperiebatur. nunc uero in multis Italiæ locis, præsertim in Polino uocato Brutiæ monte, reperiri certissimũ est. sed in hac re, ut quæ clarissima sit, nimiũ immorari nolumus.

De situ plantarum, nonnullis admixtis de earundem ordine. Cap. X.

ADMIRABITVR fortasse lector, non solum ob ea, quiæ huicusque dicta sunt, sed ob alia etiam, quæ inferius dicentur, quod uel nunquã, uel raro plantarum situm ex tam multis causis variari legerit: & tamen

à prin-

à principio nos situm non minus mutationem ab illis suscipere posse proposuimus, quàm & quantitatem, & qualitates, & alia. Sed is sciat plantas raro ex situ permutari solere; ac propterea de eo in tot capitibus raro fieri mentionem. Verum, quia ex hoc non probe considerato, uel penitus neglecto, tanquam re, quæ nullam mereri considerationem à multis existimata sit, multæ inter maximos viros controuersiæ in plantarum ostensione videntur: operæ pretium duximus separato capite aliquid de situ subnectere. Adde quod is non solum ab alijs causis variatur, ut à loco, à regione, alijsque id genus, sed & ipse ille nonnullarum alterationum in plantis causa esse solet ita, ut & Agentis, nedum passi sortiatur naturam. quod nulli ferè aliarum variationum euenire certissimum est. Neque enim si ex loco, aut ætate sapor, aut odor variatur: iam ex sapore, odoreq; aliæ procreari permutationes possunt. situs uero secundum naturam se habens efficit nonnunquam, ut à naturali habitu plantæ recedant. Frumentorum spicæ (ut Theophrastus docet III. de causis, cap. XXVII.) quæ longæ sunt inclinari solent: latæ ac breues erectius manent. quo fit, ut illæ æruginem sentiant, hæ uero minime. Ex illis enim imbres facile decidunt; nec ros excipi potest: quæ huiusmodi morbum generare solent. Indicat hoc hordeum Achilleis vocatum, quod æruginosum idcirco est, quòd spicam erectam gerit: contra, quod Eteocrithum vocant, quia incuruatur, ab ærugine in noxium est. Quam ob rem rectæ spicæ si vento exponantur, non ita hac infestentur, ut quæ humorem mobilitate discutiant. quin & iuuat si à folijs spica multum distauerit. humor enim cum magis in folijs cõsistat, ob propinquitatem spicam inficit. Errant vero qui situm plãtarum esse dicunt earum natalem locum: sunt enim nonnulli, qui cum plantam viderint in planis, quæ nasci in montibus deberet, uel cum in aridis inspexerint, quæ in stagnis potius assurgere debuisset: variari tunc stirpium situm existiment. sed hæc loci variatio est; quod ex superioribus capitibus patere potest: atque à situ multum distat, ut ex Theophrasto colligimus. locus enim ad vniuersam plantam pertinet: situs uero solummodo ad earum partes. Nam cum plantam legimus oriri in montibus: uel maritimis, uel campestribus, non eius folia, uel radices, uel flores his locis prouenire intelligimus (hoc enim rei naturæ repugnat) sed vniuersam plantam. At cum florem uel in cacumine, uel ramulis, uel alia plantæ parte hærentem dicimus; tunc positionem proponimus. Erit itaque situs, locus quidam, sed in plantis ipsis, non extra. sed dubium facere videtur id, quod de iuncis Theophrastus obseruauit lib. IIII. de historia, cap. XIII. Acutum enim iuncum, qui & sterilis dicitur, & Mariscum vocatum,

qui

qui frugifer est, ex uno cespite communibusque radicibus exeuntes vidit: quod absurdum apparet, & visu mirabile, ut ipse fatetur. hoc tamen ad situm videtur relationem habere, quippe cum vni cespiti, vniq́ue radici ambo insideant. non enim loci differentia hæc esse potest. quod si ita sit, ad integras etiam plantas situs pertinere videbitur. Sed dici forte potest, situm in his respectu radicum solarum & cespitis; non etiam uniuersæ plantæ considerari debere. Illę enim complicatæ sunt, & cõmunem ortum constituunt. Sed illud etiã difficultatẽ longe maiorẽ facere videtur. nam cum arbores, uel aliud quoduis stirpis genus spectare uel ad aquilonem, uel ad orientem, uel ad alias orbis regiones dicimus, situm videmus proponere: nemo enim loci differentiam hanc dixerit; cum uel ipse Theophrastus positionem hanc appellet 11. de historia, cap. v 11. cum enim arborum sationem omnibus numeris absolutam docere uellet; inter alia positum quoque obseruandum esse ex æquo vult, quem arbores nõnullæ haberent (ut ipse ille inquit) aut in aquilonem uersæ, aut in orientem, aut in meridiem. sed vniuersam arborem, non eius partem in huiusmodi positione cõtemplamur. Duplex vero in hac re potest esse solutionis genus. Primum quidem hunc non uere situm dici, sed improprie. nam ad locũ pertinere videtur. perinde enim ut locus ad hanc, uel ad illam regionem vertitur; ita & arbores in ea productæ easdem spectant. quam ob rem non tam ad arbores, quàm ad montes, uel plana, quæ eò versus astant, referri videtur: Deinde si hoc minus concedatur, dicetur nec totam arborem has partes intueri; sed mediam solum arboris partem ab imo ad summum. Posterior enim pars, quæ à tergo est, in contrariam regionem vertitur: immo non nisi quarta pars. nam quæ à latere sunt, aliarum duarum regionum orbem diuidentium aspectus seruãt. si enim vniuersa arbor regionem aliquam spectaret, vniuersam etiam omnes alterationes, quæ illius aspectus gratia eueniunt, sortiri, rationi consentaneum esset. At hoc non ita est. pars enim arboris cuiusuis, quæ ad aquilonem uertitur, durior, siccior, crispior, nodosior, ualidior, atque (ut vno verbo dicam) agrestior semper spectatur: At quæ austro eiusdem arboris pars opponitur, aut ab latere perflatur, solutior, læuior, atque in totum tractabilior est. quam ob rem illac inclinatur, contorqueturque; unde & medulla eius contorta, nec in rectũ porrecta efficitur. quod & Theophrastus docet multis in locis, sed potissimum v. de historia, cap. 111. Neque uero minus errant, qui nullam inter situm, & ordinem differentiam constituunt: est enim ordo partium plantarum dispositio quædam, per certa interualla, certo numero, & in certis locis circunscripta: & à situ ut particulare ab vniuer-

sali quodammodo differt. Ordo nanque situm comprehendit, sed nō contra. nam vbicunque ordo est, situs sit necesse est: at potest esse situs nulla ordinis facta mixtura. utque summatim dicam, erit ordo compositio quædam ex pluribus positionibus conflata. nam cū Dioscorides inquit marrubium semen in caulibus proferre, situm explicauit: sed cum subdit, & ex interuallis, ad ordinem referri debet. sic cum eryngium in caulium summitatibus globosa capitula spinosa habere tradit; nihil præter situm expresit. sed quod adiunxit, illa spinarum ambitu circunuallari, ordinis est. Cum etiam Theophrastus lib. IIII. de historia, cap. v. ficum Indicam radices è ramis dimittere singulis annis asserit, positum proponit. sed cum addidit, illas se terræ coniungentes, ceu sepem circa arborem facere, ad ordinem relationem habet. Ergo quemadmodum interuallum ex pluribus terminis, stella ex pluribus radijs, sepes illa ex pluribus ramis; sic ordo ex pluribus collocationibus coalescit. Ex ordine præterea Theophrastus differentiam sumit inter triticum, & hordeum: hoc enim in uersus spicari tradit, illud nullo uersu conditum esse, sed æquale undique constare (ut VIII. de historia) in hordeo definitum ordinem, in tritico indeterminatum exprimens. Theophrastus enim I. de historia, in principio, ut in superioribus adnotauimus, plantarum naturas ex quatuor sumendas esse docet, ex uita, partibus, affectionibus, & generationibus. ex his, uita ad locum pertinet (regiones etiam loco cōplectentes) nam in uita quærimus quo loco unaquæq; planta uiuere gaudeat: atque ita inuenimus quasdam in montibus, quasdam in planis, quasdam in humectis, quasdam in asperis, alijsq; locis alias magna ex parte, uel semper uiuere solere: nec minus nonnullas in Asia, nonnullas in Aegypto, alias in Græcia, in Italia, uel Germania alias. Quærimus & in hac quantū quæq; uiuere possit, ut olea ducentis annis. Vitis quantumuis temporis uiuat, si nonnulla administrentur, ut Theophrastus docet. item quòd aquatilium plantarum uita breuior sit, quàm terrestrium. quod etiam morborum quorundam ratione nonnullæ arbores nonnunquā longeuæ esse non possunt: & alia eiusmodi, quæ omnia ad locum relationem habent. sed situs, & ordo ad aliud ex illis quatuor referuntur; nempe ad partes. Sed cum hæ tribus in rebus differant (ut ibidem Theophrastus refert) aut in eo quòd quædam habent, quędam non habent: aut quod non similia, neq; paria habent; aut tertio quod non similiter habent: ordo situsq; ultimam hanc differentiā sibi constituunt. quotiescunq; enim pars aliqua non ea stirpis parte, qua solebat, proueniat; tunc positionem eam uariasse dicimus: ordinem uero, cum non debita interualla, determinatum numerum, & alia quæ diximus,

mus,seruant. Est igitur situs cum,uerbi gratia, fructus quædam super folijs ferant,ut laurus alexandrina,ruscus: quædã sub folijs, ut peplos, peplion,chamæsyce: quædam in cacumine, ut sambucus: quædã caudice,ut sycomorus: quędam sub terra,ut Arachidna,& quod Vingum apud Theophrastum Aegyptij uocant: item si quædam pediculum habeant,quædam careant,quædam breuiorem, quædam longiorem retineant: quæ in folijs rotundæ & longæ aristolochię differentiæ uidentur. De floribus eadem ratio est. quippe cum alij circa fructum nascantur, ut rosa, canirubus, agnus: alij secus, ut bona pars stirpium. his adde ramulorum, & caulium, & radicum rectitudinem,& tortuositatem: nec minus folia humi procumbentia, uel sursum spectantia: radices profundiores, uel summo cespite nitentes, & alia id genus, quæ omnia in Dioscoride obseruari poterunt, per singulas partes exempla sumentes. Situm enim uel definitum esse diximus, uel indefinitum: Definiti exempla multa apud illum habemus, ut cum Heliotropij florem in cacumine esse dicit,& ut scorpionis cauda curuari: cũ Thapsiæ umbellam anethi in cacumine à singulis furculis erumpentem adscribit; sicuti & Asteri attico florẽ in cacumine purpureum:Iridi incuruũ. ita & Theophrasti Aparinę(lappam uertit Gaza)VII.de historia,cuius florem nasci ait in eo ipso hirsuto,qui nõ sese ostendit, neque euidens fit,sed intus maturescit,& semẽ parit. Sic & in seminibus, fructibusq;: nam plantago maior caulem habet à medio ad uerticem tenui semine circundatũ. eupatorij semen medio caule erumpit, deorsum spectans. Tragos pusillis constat circa ramos acinis. Hydropiper fructũ habet acrem in furculis paruis prope folia racematim cohærentẽ. Erysimon siliquas in cacumine graciles, ut fœnũ græcũ. Idẽ in folijs & caulibus, ut Cyperus, quæ in caulis cacumine minuta folia cum semine habet: chelidoniũ minus,quę herbula est pediculis ab radice pendens:phyllitis,quæ folia recta habet: lycopsis ad radicis caput recidentia: Cappa-
ris,qui in terra stratus magis in orbem euagatur:anagallidis utraq; species caulibus in terra iacentibus constat: chamæpitys secunda ramulis in anchorę speciem incuruatis: Dracunculus caule recto. In radicibus idem obseruatur, ut Meon sparsas habet radices in obliquum, rectumq;: Acorum non in rectum, sed obliquum actas, & summo cespite sparsas: ita & filix, panax chironium, paruam,quæ non alte demittitur: contra Oxyacantha alte descendentem. Gladiolus radices geminas, una pusillorum bulborum modo super alteram insidente. Mandragoras radices bene magnas, binas ternas ue interse conuolutas; & huiusmodi quamplurima. sunt & indeterminati situs exempla, ut in smilace leui flores circunquaq; exiliunt copiosi. Anchusæ prio-

ris folia multa ab radice quoquouersum humi sparsa. Heliotropium maius folia cum sole circumagit, ita & Helioscopios Tithymalus. Phalangio ramuli duo insunt, aut tres in diuersa tendentes: & apud Theophrastum lib. IIII. de historia, Lotus ægyptia, quæ in euphrate flores, & caput mergit; atque usque ad medias noctes semper descēdit ita, ut ne manu quidem demissa apprehendi possint: paulatim deinde diluculo redeunt, extraq; undas magis, ac magis apparent, ac patefiunt, magisque sursum attolluntur ita, ut altius ab aqua eminent. cuius etiam Dioscorides meminit à Theophrasto totam historiam accipiens. sunt & alia id genus multa. Hæc quidem omnia uariari solent, sed rarissime, ut diximus. raro enim fructus, qui in ramorū cacuminibus oriri solet, in caudice prouenit; aut flos uniuersos caules ambiet, qui nō nisi eorum fastigia occupare soleat. Vidimus enim nos unicum persici arboris fructum in caudice perfecte prouenire, cæteris tamen suum locum tuentibus. sed hæc Theophrastus II. de historia, & Plinius lib. XVII. tanquam prodigia ab aruspicibus interpretari affirmant, ut quæ præter naturæ normam accidere uideantur; ut ficus, quæ poma auersa ramulis tulit; & punica, uitisq;, quæ caudice fructificarunt, non palmite, aut ramis. sed Theophrastus V. de causis huiusce mutationis causam explicat. Cum enim uis generandi in eas partes sese collegerit, mox germen exoritur: ibi nanq; eius principium constitit. quare effluens alimentū subiecto assimiletur necesse est. Nam & ficum quandoq; consimilem ob causam ab aduersis folijs fructū tulisse ibidē affirmat, quanquam hoc minus absurdum esse; quandoquidē & ficus genus quoddam huiusmodi reperitur, quod auersiferum uocant: neq; multum à ratione alienū fuerit, semel quidpiam in aliqua arbore euenire, quod in ei congenere semper uideatur; præsertim ubi consimilē habitudinem consecuta sit. Aliæ præter has uariationes nonnunquā uidentur, quæ quanuis parui momenti uideantur; summos tamen uiros in errores agunt; ut si rectitudo caulium radicumue non seruetur, uel tortuositas. Euenit enim quandoq; ut contortos caules, uel ramulos procumbentes in planta uideamus, quæ rectos habere debuisset, quod in sacra herba uidetur: hæc enim alicubi rectis, nonnusquam resupinis ramulis assurgit. quod errandi ansam multis præbuit, qui ob hanc rationem diuersas plantas constituere, uerbenacam alterā appellantes. quod nonnullis alijs rationibus inferius ostendemus. Ordinis uero exempla apud Dioscoridem multa sunt, ut Iridis flores in caule æqualibus inter se spatijs distant. Polygonato flores per singulos foliorum exortus insunt candidi, folijs numerosiores, incepta à radice supputatione. Circa symphyti maioris caules folia exeunt breui inter

uacante

uacante spatio. Rubia folijs constat per interualla certa circum articulos stellatim decussatis: Ballote folijs cingentibus per interualla caulem: Trichomanes folijs tenuibus in ordinem utrinque digestis aduersis in se: Dipsacum binis folijs genicula singula complectentibus. Telephium alas binas in singulis foliorum geniculis annectit. Lonchitis folia plurima ad radicem circum fracta habet; pauca in caule. Trifolio asphaltiti terna singulis germinationibus exeunt folia, ex his & definitus, & indefinitus ordo haberi potest. Hæc & consimilia tam raro variationem suscipiunt, ut nullum ferè uariationis exemplum habeamus, Dioscorides tamen in quinquefolio unicum obseruauit, folia quina singulis pediculis, raro plura eã habere dicens. quanuis & nos etiam trifolium quinque folia habentem inuenisse, superius, qua de numero, diximus. Tribuli aquatici caules cappillamenta habent, quæ ordinem uariant. hæc enim magna ex parte aduersa inter se congruunt: nonnulla tamen discrepant, & incondita spectantur. quod & Theophrastus adnotauit IIII. de historia. sed hæc naturalis quædã variatio est. Neminem præterea habemus, (ut nunc quidem est) qui ob ordinem non recte consideratum in absurda inciderit. sed ex situ minus diligenter perpenso quamplurimi errores circunferuntur. sunt enim qui Atractylida credunt eam esse plantam, quæ carduus benedictus vulgo dicitur. in quaquidem sententia non permanerent, si foliorum situm non paruifeciissent. habet enim Atractylis folia in summis virgis, cætero magna ex parte nuda existens. at carduus ille, per caules folia profert. Contra eos etiam, qui plantaginem aquaticam vulgarẽ alisma esse existimant, aut qui limonium; inter alias superius adductas rationes ex situ hanc elegimus. Alisma enim folia in terram conuexa habere debet: sed illa recta, & cælum versus porrecta. Limonium caule est recto, ut lilium: illi ramosus inest, & vndequaque inflexus. In errorem etiam labuntur, qui Consolidam regalem vulgo nuncupatã, pro delphinio ostendunt. quandoquidem hæc planta uno caule assurgit, qui à medio in ramos expanditur: sed delphinium surculos multos ab vna radice statim emittere debet. Hac etiam ratione notari forte poterunt, qui bonifaciam vulgarem pro lauro Alexandrina depingunt. quãdo hæc ramos in terra spargere debet: at bonifacia in rectum magis ramos profert; ac propterea hippoglossum potius censenda. Sic qui uulgarem ualerianam (quanuis error hic apud solos seplasiarios remansisse uideatur) pro Phu ostendunt. Phu enim radices ex obliquo uillosæ sunt, capillamentis inuicem contextis, ut planta ipsa ostendit. quod in ualeriana non cernitur. Dubitare etiam quis posset de corniculato papauere, ut non illud esse dicat, quod in maritimis nascitur,

omnibus alijs notis conueniens: eius enim radix in profundum agitur, non autem per summa cespitum, ut Dioscorides uult. sed cum uideamus alias notas pulchre quadrare: dicere possemus Dioscoridem non tam radicis situm, per illa uerba exprimere uoluisse, quàm colorem, ut sit sensus, radicem in summitate nigram esse: hoc enim in illa radice cernitur; quod confirmari etiam posset per id, quod subdidit, crassa. nunquam enim puto reperias crassam radicem per summa cespitum, nisi tuberosa existat. sed hæc, si ita sit, mirum esset cur à Dioscoride per hoc loquendi genus explicaretur. Silentio etiam prætereundum non est, præclarissimorum uirorum erratum, ob plantæ uiuæ (ut puto) penuriam. depingit enim Fuchsius chamæleonẽ album: atq; eius pictura caulem ei magnum tribuere uidetur: Reprehenditur ab Andrea Matthiolo, ut qui ex Dioscoride colligat, nullum ei inesse caulem; sed capitulum terræ hærens habere. sed sua pictura nec uera est, ut qui crassæ radici statim capitulum annectat. Nos in agro Venusino sæpius chamæleonis albi radicẽ effodimus; omnesq; ita se habere reperimus: est radix crassa satis longa, ex cuius summitate tres, aut quatuor plures'ue tenues radices digiti crassitudine exoriuntur, dodrantis & eo quandoque amplius longitudine, quæ etiam terra occuluntur. in his capitula exoriuntur, in quibus flores & semen: atque iuxta terram inuicem coniunguntur. quam ob rem Fuchsij pictura rectior mihi videtur, neque aliud habet notari dignum, nisi quod in his radiculis folia pinxit. vnde caulis speciem non radicis habere videntur. sed si hæc remoueantur, pluresq; similes radices paruas crassæ adiungat cum suis capitulis in summitate: nihil amplius in illa pictura desiderabitur. Matthiolus hasce radiculas non expressit, sed crassiori radici statim capitulum apposuit, & folia, Dioscoridis descriptionem magis, quàm plantam ipsam integram forte contemplatus. Iam uero ex his patere existimo, quantum decipiantur, qui Galion Dioscoridis eã esse plantam existimãt, quæ Cruciatis herba à nonnullis nuncupatur. hæc enim per interualla in singulis foliorum exortibus flores gerit: at galion in cacumine luteum florem habere debet. Rectius igitur sentire eos nulli dubium sit, qui galion plantam illam constituunt, quæ præter foliorum tenuitatem in omnibus aparinæ simillima est, atque inter cæteras notas florem luteum in cacumine possidet. Possem & multa alia quorundam errata ex non considerato situ recensere; sed breuitati indulgens omitto.

quomodo

Quomodo ex cultu adhibito, vel neglecto plantæ non solum faciem mutent, sed in alias species permutentur. Cap. XI.

MVLTAS plantarum differentias enumerat Theophrastus in libris tum de historia, tum de causis plantarum: inter quas ea est, cum diuidit plantas in vrbanas, & sylvestres; atque hanc differentiam ad culturam solam pertinere vult. Nam omnem plantam & sylvestrem, & vrbanam effici posse Hippon (ut ipse inquit) est auctor; cultum scilicet adeptam, aut non adeptam. quanquam hanc sententiam ut ex toto ueram non admittit, sed in parte: etenim quodque neglectum degenerat, immitescitq;. sed non quodque cultum melius redditur, ac propterea subdidit. Naturalis enim quædam differentia protinus in sylvestrium urbanarumque genere se se offert. si quidem alia viuere nequeant absque cultura; ceu illa quæ coli solent, alia cultum nullum patiuntur; sed deteriora redduntur. Ex his igitur nos hanc diuisionē cōstituemus. Cultus uel his adhibetur, quæ illum respuunt: vel quibus dari deberet, negligitur. uterq; modus maximas efficit in plantis uarietates, quæ in causa sunt, quo minus cognoscantur: nam uariant magnitudinem, tactilem qualitatem, colorem, saporem, odorem, formam; atque hanc, non solum, quia ex cultura diuersæ imprimuntur formæ in fructus, folia, plantas integras: sed etiam quia quandoq; una species in aliam permutatur; nonnunquam & substantiam ipsam uariat. nam uel addit, uel diminuit in planta; ut cum ex infructiferis fructifera fiunt, & contra. Cultus autem uarie consideratur: nam & ratione plantæ, atque huius uel uniuersæ, uel eius partis; ut seminis, radicis, trunci, surculi, rami, &c. & ratione temporis plantandi, serendi, transplantandi, auellendi: & ratione loci, & regionis, & aliorum multorum, quæ apud rei rusticæ scriptores uidere est. Nam cum his, quæ cultum omnino exposcunt, ea adhibentur, quæ requiruntur, omnia secundum ueram formam, & naturam fiunt; neque ulla fit in stirpibus mutatio. ut si uitem plantare uelis, ac plantatam ita conseruare, ut fructus suos feraciter per singulos annos ferat: nisi multa obserues & circa sationem, & circa culturam: absq; dubio nō solum in fructuū inopia deficiet, sed & formā ipsam permutabit. utque à solo incipiamus, cum multæ eius inæqualitates existāt, opus est (ut Grecinus auctor est) inter has magno temperamento; quod in corporibus quoq; nostris desideratur: quorū bona valetudo calidi & frigidi, humidi & aridi, densi & rari, certo quodā, & quasi examinato modo continetur. Cælo autē vinea lætatur temperato in qualitatibus, & imbribus, & ventis: quam temperiē nisi

cælum habeat, locorum uaria positione comparabimus. semina ex fœcunda matre sumenda, & ex trunci partibus quæ fertiliores sunt, flagellum sumendũ ex uocato pampinario, uitis sagittam fugiẽdo: quod prætorto capite ferere, ut Iulius Atticus uolebat, non debemus: eius longitudo nec maior pede, nec dodrante minor. inde ad pastinationẽ accedendum, quæ uel scrobibus est, uel sulcis. in utrisque debita interordinij distantia consideretur oportet. immo & pro locorum diuersitate altius, uel minus alte locus effodiendus. tempus idoneum eligatur uer, uel autumnus: satio uiuiradicis præstantior malleoli. plantam recentissimam è seminario exemptam transferre eodem tempore melius est. laborantes radices amputandæ. Sequitur cultus postquam apprehenderint, qui maiore diligentia in nouellis fieri debet, quàm adultis. adminiculũ primo ei præbendo, deinde pastinatum crebris fossionibus resoluendo, omnesq; herbas extirpãdo. frequens pampinatio facienda, & debito tempore, & modo: ita & ablaqueatio. hanc sequitur putatio; quæ & ipsa pro cæli qualitate nunc uernum tempus, nunc autumnale desiderat. duabus gemmis iuxta terram relictis, medio internodio obliqua falce fit: Pedatio insuper, prout uinea tenera est, uel cõfirmata, modicum adminiculum, uel uehementem palum exoptat. sunt præterea alia multa obseruanda, ut nõ altius, quàm oporteat canterius alleuetur, & iugum imponatur, quod minus sit operosum, & mediocrem habitudinem habeat. propagines quoque debitæ faciendæ. item quod debito tempore uiuiradix transferatur. uineæ in hortulos diuidendæ. uitis pedata, iugataq; recta alliganda. ueteranæ deinde uites, ut restituantur, alia uia est; & alia id genus precepta, quæ propemodum infinita sunt, ad uitium culturã requiruntur: quæ libens prætermitto, quia apud Columellam, qui duos integros libros in his cõsumit, (præter id quod multis alijs locis sparsim de ijsdem loquitur) atque apud Varronem, Catonemq;, & alios, qui de re rustica scribunt, facile quis assequi poterit. Vide igitur quàm operosus, ac uarius cultus in una uite desideretur. qui certe ita fieri in omnibus debet, ut feraces sint, ac propriam tueantur formam, tum in frondibus, tum in floribus racemisq;, ac tandem in omnibus suis partibus. nam si in aliquibus ex his, uel pluribus, uel omnibus cultus negligatur, necesse est uitem deficere, uel ex toto, uel in parte; fructusq; non sibi similes præbere, nec debito tempore maturitatem adipisci: immo & in quibusdã nullo pacto maturescent, quod superius exemplo demostrauimus, cum de locorum particularium uarietate loqueremur. Qui igitur pessimi generis uineta conserunt: quia in explorandis seminibus nullam adhibent diligentiam, deinde sata nõ ita nutriunt, ut ante cõualescant, ac prosiliant,

quàm

quàm retorrescant; uel si forte adoleuerint, negligenter colunt; aut deterrimam partem agrorum seligunt; nec ponendi rationẽ exequuntur, fructum uero prẹsentem quam uberrimum consectantur, nec prouident futuro tempori: tandemq́; uel per auaritiam, uel insciti am, uel per negligentiam non omnia, quæ diximus, exequuntur, non secus ac qui liberos suos nuptijs uotisq́; quæsitos auare nutriunt, nec disciplinis, aut cæteris corporis excolunt instrumentis, ut recte Græcinus inquit, hi eiusmodi reddunt uites, ut non nisi magna cum difficultate uel peritis cognoscantur. Hinc Theophrastus 11. de historia inquit uitium solo differentiam maxime numerosam esse. quot enim genera telluris, totidem & uitium quidã esse affirmant. quæ, cum secundũ naturam seruntur, frugiferæ prodeunt: quæ præter naturam, facile sterilescunt. Quo loco etiam dat uniuersalia quædam præcepta circa culturam omnium arborum, à tempore, à solo, à scrobibus, à plantis ipsis: quomodo scilicet fibratę, quomodo infibres demittẽdę: à positu, quia quædam aquilonem, quædam orientem, quædam meridiem spectare debent; & quod quædam fieri debent uiuiradices, quædam apud arbores ipsas, aliæ exemptæ; & quid faciendum, ut facilius crescant, & alia quædam. At uero hæc cultura certos limites habet, neque nimis curiosa, ac plus, quàm oporteat, fieri debet. ita enim & natura propria non minus plantæ exui solent. Atque ne à uitium exemplo recedamus, docet Palladius, quonam modo uitis botryones & albos afferre possit, & nigros; atque alium modum uidetur docere Columella. Idem Palladius docet, quo pacto vuæ propomatis, aut (ut nunc dicunt) serapij saporem reddant, siue illud absinthiatum, siue rosatum, siue violatum, aut cuiusuis generis requiras. dat & rationem, qua uitem theriacam faciamus: cuius profectus est, ut uinum eius, uel uua, uel acetum, uel sarmentorum cinis proficiat contra morsus omnium bestiarũ. docet etiam quo modo vua effici sine granis possit: cuius præceptum etiam dat Columella, & Theophr. lib. de causis: qui & causas cur ita fiat assignat. Idem Palladius inquit, vitibus, & pomis si Februario mense uetus urina affundatur, & numero fructuum præstare, & (quod magis mirum est) forma. Columella etiam lib. 111. docet quonam pacto aminæa vitis natura sua infœcunda, ferax reddatur cultoris industria. Sunt & multa alia, quæ ad superfluum cultum pertinent, quibus vites permutari solent: nam quemadmodum neglectus, ita & cultus si modum non habeat, illas uariat ita, ut nonnunquam sua fœcunditate consumantur, pereantq́;. Hæc quidem omnia libuit uitis exemplo comprobare, quia una omnium maximam culturam exposcit. omnis enim arboris cultus simplicior, quàm & vinearum est. Verum & in

alijs

alijs quoque plantis accidere solent: quæ, ut methodo probemus, duo nobis principia statuenda sunt ex Theophrasto: primum quidem ex lib. II. de historia in principio, ubi uult arborum, & plantarũ omniũ generationes aut sponte, aut semine, aut radice, aut auulsione, aut ramo, aut surculo, aut ipso trunco factitari; aut etiam ligno minutatim conciso. quod perbelle canit Vergilius II. Georgicon: secundũ principium ex eodem Theophrasto III. de causis, cap. II. sumimus, quod est, ut ad mutationes, atque vicissitudines temporum, plantas ipsas solumque ita præparemus, ut nihil sit, quod incrementum earum secundum naturam impedire possit. His ita constitutis, facile est, quod quærimus, assequi. nam si quæ radice tantum nascuntur, hac deponantur; & quæ semine proueniunt, hoc etiam demittantur; atque ita in alijs: certum est tales exire, quales secundum naturam esse consueuerunt; nisi ex regionum natura, uel sui ipsius, uel aliqua causa contingat plantas ea qua debent parte depositas, mutari uel totas, uel in parte, ut euenit in cepæ quodam genere in Creta, quod ut Theophrastus refert VII. de historia, semine quidem satum in radice crassatur; depositum uero in caulem totum funditur sine capite; saporeque dulce est. Id enim quasi è contrario cæteris habet: Omnes nanque depositæ melius celeriusque perficiuntur. si præterea quæ purgari debent, aut amputari; purgentur, amputenturque; & in alijs alia ad suum cultum necessaria fiant: idem absque dubio sequetur. Verum si nulla horum ratio habeatur, sed quæ trunco exigunt deponi, semine, aut radice demandentur, aut è contrario: item si stercoratio ei detur, quæ amputationem solam, aut decacuminationem requirit, & contra: tandemq; nulla adhibita diligentia, omnia, quæ recensuimus, casu potius quodam, quàm arte & decenti industria fiant: nulli dubium sit, quin aliqua ex illis varietas, quas in principio huius capitis enumerauimus, uel multæ fiant. Illud tamen animaduerti volumus, cum superfluus cultus quibusdam destinatur, ad secundum principium nos deducere, quia scilicet non quanta requiritur cultura, sed terminos suos prætergrediens adhibetur: unde & plus, quàm par est, luxuriari multas necesse est. Vtque à magnitudine exordiamur, docet Theophrastus lentem, ut crassescat, paxillo demittendam; Cicer, ut grandescat, cum putaminibus madefactum obseri. Palladius cicer grande nasci tradit, si infundatur aqua tepida pridie. Mori arborem feracem, altioremque fieri, si perforato hinc inde trunco, singulos cuneos inseramus terebinthi hinc, inde lentisci. Punica miræ magnitudinis fieri, si olla fictilis obruatur circa arborem punici; & in ea ramus cum flore claudatur, ne resiliat ligatus ad palum: tunc cooperta olla contra aquæ mu-

niatur

niatur incurſus, autumno patefacta ſuæ magnitudinis poma redhibebit. Braſsicæ uel maximos caules, ſi transferas bis, plus ſeminis, & maioris incrementi præbere dicuntur, ut eſt apud Columellam: qui ut cucurbita uaſtioris incrementi fiat, de media ipſius parte ſemen inuerſo cacumine poni debere docet. eædem ut prolixiores, & teneriores fiant; recto cacumine de collo cucurbitæ ſumptum ſemen ſerendum erit. Cucumeres (auctore Plinio lib. x i x.) in fiſtula flore demiſſo mira longitudine creſcunt. Cepæ ſi ſatureiam intermixtam habeant, melius proueniunt. Hinc Theophr. admonuit ad ſingula & locum, & alimentum, & cultum, plurimũ ualere. Indiciũ quod eædem ſi crebræ ſerantur excelſæ, gracileſq́; reddentur: ſi raræ, breuiores, atque craſsiores. Variatur & color. ficus enim ſi fructu ſeratur, ex nigra candida fit: & ex candida nigra. Similiter & laurus, myrtuſque, plerunque ex fructu rubro niger fit in vtriſque. Hoc non aliunde proficiſcitur, niſi quia propria ficus ſatio eſt, cum taleam, hoc eſt præciſum ex utraque parte ramum ponimus, uel cacumen, uel plantam. ex grano autem ficario ſata multas præter has efficit diuerſitates, ut inferius oſtẽdemus. Myrtus uero talëis ſeri debet, non ſemine, ut Plinius lib. x v i i. quãuis alios ſerendi modos recẽſeat. Laurus prẹterea auulſione ſeri debet. ſed quod auellitur, radicis, aut ſtipitis aliquid habeat oportet, ut Theophraſtus i i. de hiſtoria: ſed Plinius teſtatur & ramo eam ſeri; & in hoc dubios fuiſſe Democritũ, & Theophraſtum. Huiuſmodi ſationes tam in myrto, quàm in lauro certiſsimæ ſunt: & ſi apprehendant, omnia ſibi ſimilia proferunt. ſemine autẽ ſolent quidẽ præſtare nonnunquã, ſed plerunq; degenerant. Punico ut grana candida fiant, argillæ, & cretæ quartam partem gypſi miſceto; & toto triennio hoc genus terræ radicibus eius adiungas. Braſsica quomodo nigrum colorem in coctura ſine nitro ſeruet, à Columella docetur. Quod uero ſapor etiam ex cultu permutetur, ex eodem Theophraſto patet: inquit enim ex enucleatis mali punici acinis, plerunq; acida exire. Mutationis autem cauſa eſt, quia malus punica ſeritur plantis de matrum radice deuulſis, & alijs multis generibus, melius tamen ramo cubitali manubrij craſsitudine, gemmata iam matre ſumpto; & capite utroque acuta falce læuigato, ac quibuſdam alijs circa eius poſitionem obſeruatis; non autem ſeri debet acinis. exeunt & ex ſemine punici dulcis, acida: non enim eorum genuina ſatio ex eo eſt. uerum cultura deinde mutantur, id eſt ex acidis dulcia redduntur, ſi ſtercus ſuillum, uel quod uim proximam illi retinet, eorum radicibus ſuperinijciatur, & aquarũ fluentium copiam adipiſcatur, ut auctor eſt Theophraſtus, quod & Plinius confirmat; addidit́q; primo anno uinolenta, proximo dulcia futura.

alij

alij urina hominis aqua mixta riganda censent, quater anno. Amygdala si fructu seratur, degenerat sapore: siquidem ex dulci amara redditur. uerum & hæc cultura rursus restituitur, si quis paxillum adigat, lacrymamq́; defluentẽ diutius auferat; reliquumq́; cultum impendat: sic enim ex amara dulcis reddetur. Quin & aquatio granata dulciora, mollioraq́; efficere potest. Cucumeres dulciores reddi, si eorum semina in lacte mulsó'ue macerentur, Theophrastus, & Columella docent. Iis uero, quæ fuerint diminutæ, euenire ut, si æstate confectæ iam recidantur, purgenturq́;, dulciores euadant; demumq́; ad naturam pristinam redeant. Citria feruntur acres medullas mutare dulcibus, si per triduũ aqua mulsa semina ponenda macerentur; uel ouillo lacte, quod præstat. Alij mense Februario truncum obliquo foramine ab imo terebrant ita, ut altera parte non exeat. ex hoc humorem fluere permittunt, donec poma formentur, tunc foramen luto replent, sic quod est medium, fieri dulce confirmant. Palmis acerbitas inest; quam protinus aquæ salsæ irrigatio tollit. Raphani in totum amaritudo salsugine eximitur, fiuntq́; coctis similes. itaque salsis aquis irrigantur; & in Aegypto nitro sparguntur, ubi sunt suauitate præcipui. Mutatur & odor cultus ratione: nam Theophrastus 11. de causis, uniuersaliter protulit agrestia odoratiora esse: unde per cultum minus odorata reduntur: quanquam hoc non perpetuo est. Idem circa tangendi qualitates euenit. legumina enim si pridie macerentur, ac in sicca tellure cõserantur, ex incoctilibus coctibilia fient. Amygdala etiam si fructu seratur, dura fit ex molli. Temporum quoque ratione semina immutantur, ut leuiora, facilioraq́; reddantur; ut si Eruum quis uere serat, facile gratumq́; exit, non graue: quemadmodum si autumno seratur. Cucumeres si puluere occultentur, nutriuntur, tenerioresq́; redduntur: lactucæ radix si fimo liniatur, & copiam habeat aquæ, tenerioris fit folij. Solet & additio, detractioq́; (quod ad substantiam pertinere diximus) ob cultũ fieri in plantis, præsertim in his, quæ non ea parte, qua decet, seruntur. Inquit enim Theophrastus his, quæ fructu seruntur, nonnunquam nil penitus urbanum, sed planè syluestre prouenire; & adeo quandoq;, ut fructum perficere minime queant. quædam fructum ne compilare quidem ualent, sed ad florem usque tantummodo ueniunt. atq; alibi purgationes (inquit) præcisioneq́; arborum fructus copiam præparant, cum superuacua, & excrescentia illa partim fructum prohibeant, partim alimenta absumant. qua de causa nuces auellanas tondentes, resecanteq́; fruticosas efficiunt. item quasdã esse, quæ fructus maturitatem non attingunt; sed pereunt, nisi adminuantur. putrescit enim uitis canthara appellata, nisi summa uuarum detrahantur: nam

id genus

id genus uitis humoris diminutionem desiderat. Phocis autem appellata si diminuatur melius arboris speciem capesit, sed non probe fructificat. Olera & herbæ tonsæ meliores reddũtur, & vegetiores; immo & sapidiores. herbis etiam si dura & lignosa remoueantur, proficiũt amplius: utpote cum nihil impediat. Sal radicibus palmarũ accumulatus ad germinandum, & fructificandum perutilis est: fructus in palma fœmina perdurare nunquam potest, nisi florem maris cum puluere super eam concusserint. quædam etiam cum aqua feruenti rigãtur; melioresc unt; ut malus verna, & myrtus: hæc enim sine nucleo reddi tur. deprehensum id est fortuito, cum myrtus iuxta balneum staret neglecta; ab hac enim uacua nucleo reddita semina petentes ferebant. atque ita genus huiusmodi Athenis esse incœperat. Amygdala etiam dum fructum parit, neque riganda, neque stercoranda, neq; purganda est; præterquam aridis lignis: neque ulla cura tractanda, ne plus æquo ualidior reddita, fructum in flore amittat. Poma citius, & matura, & maioris incrementi assiduo humore efficiuntur; ac nisi circunfodiantur assidue, sterilescunt. Præterea si caduca sint poma fissæ radici lapis iniectus ipsa retinebit, ut Palladius asserit. quanquam Plinius hoc remedio in his quæ infructiferæ sunt, ut fructum ferant, utitur; idemq; amygdalis accidit adacto in robore cuneo; in pyris etiam, sorbisq; è tæda ac cinere, & terra cooperto. Si mespilorum poma labantur, fructum de eius radice præcisum in media trunci parte figatur, nam idem effectus sequetur. Malorum cacumina si lacertæ uiridis felle tangantur, non putrescunt. Olea si ferax esse debeat terrę genus ipsi eligendũ, cui glarea subest: & superponatur creta, quæ sabulo admixta est; ita & densior terra si uuida & læta est. Hanc arborem pleriq; existimant ultra miliarium sexagesimum à mari aut non uiuere, aut non esse feracẽ. lapidosi generis pyra uitiũ mutare creduntur, si terris mollibus conserantur. In uniuersum uero omnes arbores quanto altius arantur, & circumfodiuntur, maiore fructu exuberare. Multa in punico Martialis asserebat poma procedere, si Tithymali, & portulacæ succus æqualiter mixtus, antequam germinet, trunco arboris adlinatur. Plantæ quoq; sinapis prima hyeme translatæ plus cymæ uere afferunt. Panax & uere, & autumno, leui, & subacta terra rarissime differitur, quo maius incrementum capiat. Porrum sectiuum, quo maius incrementum acquirat, raris linteolis complura grana illigari debent, atq; ita obrui. Tradunt elaterio tactis radicibus uitium, non attingi uuas ab auibus. Vberrimas ficus rubrica amurca diluta, & cum fimo infusa radicibus frondere incipientium, facit. Mutari etiam solet plantarum forma uel tota, uel partiũ ob culturam. ut apium si satum cõculcetur, cylindroq; spissetur,

ATENEO VENETO

spissetur,coæqueturq́;, crispum inquiunt prouenire;& cum figura spe ciem etiam uariat: idemq́; effectus sequetur, si semen eius inditum pilę,& saligneo palo pinsitum,expoliatumq́; in linteolis ligatum obruatur. quod si latifolij facere intenderis,quantum seminis possint tres digiti comprehendere,raro lintcolo illigato, & ita in areolas dispositum relegato. Cucumeres crescunt,qua coguntur forma: oleumq́; naturaliter mirum immodum odere, aquas tamen maxime diligunt; desecti quoque ad eas modice distantes adrepunt. contra oleum refugiunt: aut si quid obstet,aut pendeant,curuantur. idque uel una nocte deprehenditur, si uas cum aqua subijciatur, à quatuor digitorum interuallo descendentibus ante posterum diem; ut si oleum eodem modo sit, in hamos curuantur. Crebræ arbores,enodes, atque proceræ: raræ nodatiores,contortioresq́; assurgunt.fit enim ut alteræ sint in umbrosis, alteræ in apricis. Quin & tempestiuiores, & serotini fructus prouenire solent ob cultum, uel neglectum. Ficus si iuxta scillam seratur, ocyus crescit,minusq́; à uermibus infestatur: summatimq́; omne scillę appo situm facilius germinat,celeriusq́; augescit: ut ficus cito maturet, succo cepæ longioris cum oleo & pipere mixto unge poma, quãdo grossi incipiunt subruere. si maturam ficum uis serotinam facere, incipientes grossos decute,cum illis fabę fuerit magnitudo.si rosam temporius habere uolueris, duobus palmis ab ea in gyrum sodies, & aqua calida bis rigabis in die. sic Palladius. Plinius uero præcocem rosam facit pe dali circa radicem scrobe facta; aquam calidam infundens germinare incipiente calyce. Et apud Catonem habemus,quomodo mustum totum annum habeamus.lactuca quo tardius caulem faciat,cum aliquod incrementum habuerit, exiguam testam media parte accipiat;eo quasi onere coërcita in latitudinem se diffundit. Docet Columella quomodo præmaturum fructum cucumeris habeamus:qua ratione toto ferè anno Tiberio cæsari cucumis præbebatur. Cerasos præcoces facit,cogitq́; maturescere calx admota radicibus. At uero quod longe magis mirum uideri queat,uidemus per culturam species ipsas arborum, cæterarumq́; stirpium ex omni ferè parte mutari ita, ut in alias species transeant.& hoc quidẽ uel ob neglectum cultum in his, quæ illum requirunt;uel ob adhibitum eis, quæ illum amiserunt. Theophrastus 11. de historia Sisymbrium ait, nisi cultura coërceatur,in menthã mutari: quã ob rem sæpius id transferre cõsueuerũt. cuius causam reddens 11. de causis inquit, tantũmodo odorẽ menthæ recipere proprio amisso, quia cultura caruerit: speciem uero nõ recipit, sed quasi nepitæ redditur simile. Ac propterea Plinium sisymbrium in calamenthũ mutari nõ in menthã dixisse crediderim: unde nõ recte ob hoc reprehenditur

à qui-

à quibuſdam. Omnia nanq; in ſimile ſibi quicquã mutantur, nõ in remotũ penitus tranſeũt:unde mutatio potius imaginaria eſt, & urbanũ quaſi in agreſte tranſit; & quodammodo effœminatur. & clarioré rationem aſsignat v. de cauſis, ubi Ocimum etiam in ſerpyllum mutari affirmat, ſi ſeratur loco ſoli expoſito. Eandem ferè rationem adducit Galenus 11. de antidotis, cum ex caſia oriri cinnamomum ſcribit, ob eam ſcilicet, quam retinet generis proximitatẽ. Idem Theophraſtus inquit triticum in lolium tranſire, & in idem lolium mutari linum. Præterea Typham ſemenque, ſiue Zeam mutari ſolere in triticũ, ſi piſta ſerantur; idque non protinus, ſed anno tertio. Triticum quoque ſylueſtre, & hordeum culta & mitigata per temporis tantundem mutantur; & hæc fieri mutatione loci, culturaque videntur: nonnulla etiam utroque modo. Vitis, malus, ficus, pyrus, ſi fructibus eorum ſerantur, degenerant: ex grano ficario nullum protinus genus procreatur, ſed caprificus tantum; aut ficus ſylueſtris erũpit, colore etiam ſæpenumero diſcrepans. Ex vite quoque nobili ignobilis, & ſæpe diuerſa exit. ex nucleo oleæ naſcitur ſylueſtris olea. ex acinis mali punici glaucis, uilia exeunt, & enucleatis, dura. ex pyri ſemine uitiatũ pyraſtrum. ex malo, deterius genere; & cotonea ex ſtrutheis. Quercus pariter ſi fructu ſeratur, deterior exit, neque ſimilis ſibi. hãc etiam exciſam nonnuquam in geniſtam, frequenterque in aliud quercus genus tranſire quidam ſcriptum reliquerunt. laurus & myrtus, magna ex parte degenerant. cupreſſum quoque plerunque ex fœmina marem naſci affirmãt: quod & rapis accidere Plinius auctor eſt. fœminę enim ſæpius ſatæ tranſeunt in marem. Cydonia niſi circumfodiãtur aſsidue, aut ſteriles efficiuntur, aut earum poma degenerant. Mori naſcuntur ex ſemine: ſed poma, & virgulta degenerant. huius rationem Plin. lib. xvii. tradit, nam morus talea tantum ſeritur. quoniã ramo eum ſeri religio fulgurum prohibet. aliorum rationem pete ex ſuperioribus. Theophraſtus nanque lib. 11. de cauſis, omne inquit, quod ſemine prouenit (loquitur autem de arboribus) degenerat, deterioreſcitq;: ibidemque aſſerit negligentiam cauſam eſſe communem, cur plãtæ in partem deteriorem mutentur. poſſunt enim, quæ diminutæ ſunt, melioreſcere, ſi cura adhibeatur; ut de pyro Chij referunt. nam quæ ex ſylueſtribus manſueſcunt; aut ex vrbanis tranſeunt in ſylueſtres, quædam cultu, quædam neglectu mutantur. hinc oleaſtro ſi ſurculos decidas, aut in totum transferas, germen oleagineum profert. ſimiliter & amygdalam amaram, ſi ſæpe transferatur, dulcem reddi ſuperius diximus. Menthæ ſemina ſi defecerint, licet ex noualibus ſylueſtre menthaſtrum colligere; atque ita inuerſis cacuminibus diſponere: quæ res

feritatem

feritatem detrahit; atque edomitam reddit. Cumque inter cætera, quæ artis rusticæ artifices considerare debent, sit seminum lectio, quæ deponi debent: nisi & hæc recte fiat, solet & speciem uariare. est enim auctor Varro primo de re rustica, semẽ vetus tantũ valere in quibusdã rebus, ut naturam commutet. nam ex semine brassicæ vetere sato nasci aiunt rapa: & contra ex raporum brassicam. similiter si tritici, hordeiue grana non deligantur, sed rugosa, imperfecta, semiputridaque sint, aliud quidpiam generatur; ut Galenus auctor est primo de alimẽtorum facultatibus: vbi multa, quæ pater suus obseruauit circa hasce herbarum mutationes, enumerat; ac primum quidem, quomodo triticum sæpius; hordeum nonnunquam in lolium transeant: hoc tamen plerunque in Aegylopem festucam vertatur. præterea ex lente durum rotundumque aracum, & securinum, semina minus ad vescẽdũ apta. Melampyron etiam vocatum ex tritici quoque mutatione generatur, sed prauitate relinquitur à lolio, aliaque quamplurima mutata nouisse patrem Galenus testatur. quorum omnium rationes & causas abunde & doctissime explicat Theophrastus 1111. de causis, cap. VI. est enim seminum lectio diligentissima maxime necessaria: cum compertum habeamus naturali quadam malignitate descisscere interdum, quanuis diligenter probata semina. quod & Maro canit, cum inquit

„ Vidi lecta diu, & multo spectata labore
„ Degenerare tamen. &c.

Possent etiam huc transmutationes, quæ ex insitione arborum fiunt, deduci: ex hac enim plantæ in aliam speciem transeunt; & alienam naturam adsciscunt, & ut idem Maro 11. Georgicon ait

„ Miraturque nouas frondes, & non sua poma.

Verum hæc frequentatiora uel nostra tempestate sunt, & cuiuis notiora, quàm ut hic dici conueniant. ac propterea satius fuerit ea silere. Iam vero ex his patere existimo, quod à principio dicebam, nam cultus uel his præstatur, quæ illum nõ requirunt: atque hoc duorum generum est; & eorum, quæ nullo pacto augeri per culturam, aut meliora reddi possunt; & eorum, quæ cultu quidem indigent, sed illum ultra modum susceperunt, atque immoderantiam solam in cultura respuunt: uel negligitur in his, quæ absq; eo nullatenus in propria forma persistere valent. atque ex uite sumpto exemplo, deinde in alijs ex multorum celebriũ virorum auctoritatibus secundum mẽbrum sufficienter puto probauimus. manifestauimus enim quomodo ex despecto cultu plantæ varient magnitudinem, colorem, saporem, tactilem qualitatem, similiter & substantiam, & alia multa, quæ efficiunt, quo minus eæ sint, quales cum cultu esse solent. Primum vero membrum

in parte

in parte probatum eſt & vitium exemplo, & aliarum quamplurimarum ſtirpium. demoſtrauimus enim non minus in ijſdem variari plantas, cum nimis ſuperſtitioſe cultura adminiſtretur. Remanet iam alteram partem probare, cum ſcilicet eas plantas coluerimus, quæ nõ niſi abſque cultu, & uiuere, & creſcere cupiunt; quæque cultum adeptę faciem permutant,& degenerant:quæ uel natura eſſe ſylueſtria dixeris. quod enim mitigari recuſat, ut etiam inter animalia, id natura ſylueſtre iudicandum, ut traditum eſt à Theophraſto. Hæ uero perpaucæ ſunt. bona enim pars plantarum cultu lætãtur magis,quàm neglectu; niſi id loci ratione euenit,uel ſationis non recte factæ,uel alia id genus cauſa.(hæ nanque ad neglectum abſque ratione cultum deduci debẽt, hoc eſt ad ſecundũ membrum)nam quæ maturæ proueniunt, ſemente rara mandari ſemina iubent: ſerotina autem denſa. in altera enim radicem abunde concipere nequeunt,unde non ita mature proueniẽt: in altera uero optime radicantur, & germine multiplici diſpergũtur: quam ob rem nõ ita ſerotina erunt. Sunt præterea quæ cultum exquiſitum pati minime poſsint; ut illi euenit, qui culturam Chorinthij agri in Syracuſano ſeruare uoluit. cumque lapides è frugali ſegete legiſſet,reddidit multo deteriorem. frumentum enim exareſcebat. cum, exemptis lapidibus, nihil haberet, quo ſe poſſet protegere. In Syria etiam ſi ſolum aratro alte proſcindatur, penitus reſiccatur: cum Solis ingreſſu adeo percaleſcat, ut prope vratur. unde fit, ut aratris puſillis Syri vtantur. Quę igitur cultum nullo pacto requirunt, ſed ſi negligantur in propria forma permanẽt: in vniuerſum ſunt(ut Theophraſtus tradit)quæ loca frigida niuoſaque adamant. ſed puto illum de arboribus tantum intelligere, atque non omnibus, ſed ſylueſtribus ſolis: nam ſuperius, cum de diuerſitatibus ratione regionum plãtis euenientibus loqueremur, diximus Raphanum frigoribus multum gaudere; ob hancque cauſam in Germania craſsitudine puerum æquare: atque hoc ſi culturam eam habuerit, quam Plinius faciendam docet. quanuis ſint quædã inter frutices,& ſuffrutices,quæ cultum reſpuunt. uerum non ea ratione, quia locis frigidis niuoſiſque oriantur,ſed alia quadam. Abies igitur cultum refutat, quem ſi habeat in deterius tranſit: ſimiliter & celaſtrus, & pinaſter, & in herbarum genere lupinus. Capparim item deterioreſcere ſi colatur, Theophraſtus uult. Columella cultu, aut nullo, aut leuiſsimo contentam eſſe aſſerit. ubi eius etiam ſationem docet. Ariſtoteles in problematibus idem, quod Theophraſtus,ſcriptum reliquit,cuius etiam rei rationem proponit. Laſerpitium etiam(ſi Theophraſto credimus)cultum ita reſpuit,ut degeneret.locis enim incultis uiuere ſolummodo ſibi ſimilis poteſt. Corna &

sorba sylueſtria urbanis maturiora, ſuauioraq́; redduntur; & ſiquid aliud culturam non patitur, ut idem Theophraſtus autumat. Atque alibi ait ſolam eſſe thuris arborem, quæ omnem penitus cultum apta ſit aſpernari. Hæc uero omnia, quæ antiquiorum teſtimonio diximus, recentiorum etiã aſsidua obſeruatione comprobare poſſumus. ſcimus enim frutices in arbores, herbaſq́; in frutices ob exquiſitum cultũ ſæpiſsime creuiſſe. uidi nanque roſmarinum coronarium arboreſcenté, hancq́; etiam in diuerſas formas topiario opere mutatam ita, ut in ea rami non amplius inſpicerentur, quam notam ei Dioſcorides tribuit; ſed tenues quidam ſurculi ita diſpoſiti, ut arboris cupreſsi figurã uniuerſa planta repræſentaret. Ita & rumicis ſpeciem illam, quam quidã rhaponticum exiſtimant, Monachi ſæpius eius frondes reſecantes, & quædam alia obſeruantes, ita effingunt, ut uel à peritis eius radix pro rhabarbarico ſumatur. Videmus & triticum, niſi probe lecta, & ſata eius ſint ſemina, in aliam ſpeciem tranſire, quã Germanum Neapoli appellant. Multæ colorem amittunt, ut de Cytiſo ſi tranſplantetur, & colatur, diximus quâ de loco; necnon & de alijs maritimis. Quin & in recentiorum hortis quotidie obſeruamus multos fructus propriam formam non retinere; eoſdemq́; aut ſapore, aut colore, aut alio quopiã ex his, quæ ſuperius enarrauimus exui. nam & mala Medica operoſo cultu ita efformant, ut maris & fœminæ ſexu diſtinguant: rem certe admirabilem, & uiſu iucundiſsimam. maris enim pomum adnatum habet quoddam ueluti infantis genitale, eiuſdem cum pomo corticis & coloris: fœminæ muliebre pudendum ad ueram eius effigiem efformatum uidetur; quo ſimile magis ſculptor non fingat. Mala citria ad formam peponis, aut cucumeris, aut cydonij, aliorumq́; quorundam fructuum ita effingunt, ut nihil amplius priſtinæ figuræ, præter colorem, & ſubſtantiam retinere uideantur. Malorum armeniacarum fructus ex amaris in dulces uertunt, qui amygdalarum dulcium ſaporem penitus exprimunt. Mala etiam Medica, & limunculos uocatos, & dulces & medij ſaporis ex acidis conficiunt: quin & uuas, quæ totum annum recentes perdurent; atque alia id genus penè innumerabilia. quæ cum ijſdem ferè artificijs perficiantur, quæ ab antiquis ſcriptoribus fieri edocemur; atque in uniuerſum eaſdem cauſas obtineant; cumq́; etiam uulgata omnibus exiſtant: longioribus examinare nolumus. ſed ſat ſit nobis pluribus rationibus exempliſq́ue monſtraſſe plantas ob cultum tam uarijs permutationibus obnoxias eſſe, ut cuiuis, quantumuis in materia medica uerſato, difficillimam cognitionem relinquant.

Quàm

Quàm laborioſum ſit plantarum aptas ſimilitudines inuenire; neminemq́; in plantis recte deſcribendis cum Dioſcoride conferri poſſe. Cap. XII.

DVPLEX eſt (uti prædiximus) difficultatis genus in plantis delineandis: Vnum quidem, quod ex ipſis plantis ortum ducit, cum ſcilicet hæ ob mutatam faciem, cum deſcriptionibus, tametſi recte propoſitis, non conueniunt: Alterum, cuius auctores ipſi cauſa eſſe uidentur. quippe cum plantarum notas, ac ſimilitudines, quibus medijs nos eas aſſequi debemus, minus aptas in medium afferant. Quæ ad prius genus pertinent, ſatis in ſuperioribus executi ſumus. de ſecundo nunc ſermo fiet. hoc quatuor modis difficultatem afferre iam diximus. Deſcriptiones enim non accõmodantur medicamentis, uel ob ineptam comparationem, uel ob multorum ſignorum defectum, uel quòd nulla apponeretur medicaminis nota, uel tandẽ ob mendoſum codicẽ; tametſi ultimum hoc librarijs potius, quàm auctoribus tribuendum ſit. Verũ ualde mirum cuipiam uidebitur, Dioſcoridis culpa, (qui inter omnes, quotquot ſunt, diligentiſsimus materiæ medicæ ſcriptor exiſtit) aliquid in plantarum delineationibus deſiderari: ſed quid pro Dioſcoride dici debeat, iam explicabimus. Nam inter alias difficultates, quæ prope innumeræ ſunt, quæq́; auctores omnes, qui de materia medica conſcripſerunt, mirum in modum fatigarunt, maxima ferè eſt plantæ delineatio. Admirantur enim omnes naturæ præſtantiã, non tam quòd infinitum plantarum numerum procreauit, quàm quòd omnes ſic uariauit, ut non ſit reperire plantæ ſpeciem, quæ alij ex toto ſimilis ſit. Vnde, cum alicuius plantæ notas, ut poſteris cognoſcendam relinquerent, ſcriptores deſcribere uellent; hocq́; nulla meliori uia aſſequi potuerint, quàm plantas plantis comparando: nunquam, uel raro hoc illis ita feliciter cadere potuit, quin aliquid etiam magis propriũ in comparatione deſideraretur. Hoc Dioſcoridi eueniſſe conſtat: qui omnem operam, omnemq́; diligentiam adhibuit, ut ueras ſtirpium notas inueniret. nam ſi ex plantis hoc aſſequi non poterat; uel ad animalia ipſa ſæpius confugit, quibus illas compararet; & tamen earum faciem non ex toto exprimere potuit. uerum meliores comparationes nemo fecerit. integris enim animalibus plantas comparauit in multis, ut delphinium ideo ſic appellari teſtatur, quòd eius folia Delphinorũ effigiem repræſentant. Chamæleonem nigrum chamæleoni animali comparat. ſpinæ albæ capitulũ echini marini æmulum conſtituit: Aſplenon conſtare folijs ſcolopendræ animali ſimilibus: Cici ſemen Ricinum animal repræſentare, unde ei ricini nomen: Dracunculi caulem maculis

aspergi purpureis ita, ut anguem planè referat. Sed neque ab uniuersis solummodo animalibus,uerum etiam à partibus eorundem multas notas mutuauit Dioscorides;neque ullum membrum in homine,uel alijs quibusdam animalibus reperias licet, cui plantam aliquam non comparauerit. nam,ut à capite incipiamus,Echij semina uiperarum capiti similia esse tradit: Senecionem nomen sibi uendicasse, quoniam flores capillorum ritu uere canescant: Polium montanum capitulo in cacumine cõstare cano hominis capillo simili: Antirrhinon semine uituli narium:Geranion secundum in summis alis sursum spectantia gruum capitula posidere cum suis rostris, aut caninos dentes: Alsines folia musculorũ aures imitari;unde ab aliquibus myosotis appellatur: Isatidis syluestris folliculos quandã linguarum effigiem referre:Buglossum bubulas imitari linguas, unde ei nomen: Semperuiuum maius folia habere in cacumine linguæ similia, alia &c. ita ut ambitu effigiem imitentur oculi; idemq́; dicit de altera Cotyledone: Buphtalmum florem habere oculi similitudine,unde & nomẽ traxit: Polipodiũ radicẽ habere pilosam,in qua continentur cirri ceu polyporũ. Chamæleonis albi spinas echini marini spinis comparat: Mercurialem marem semine ceu binis testiculis constare: Catanancem primam arescentẽ in terram flecti, ac se contrahi ad speciem vnguium milui exanimati. comparat & aconiti pardalianches radicem scorpij caudæ; atque alabastri modo splendentem ait: ut sciamus etiam lapidibus, uel vasis lapideis quandoque herbas comparasse. Equisetum equorum caudam;stratiotis millefolij folia auicularum pennas imitari; & innumera id genus alia. Has igitur plantas hisce animalibus,siue eorum partibus comparauit, quia in plantis nullam aptiorem comparationem reperiri posse cognoscebat. Neque ab animalibus solum,sed à multis alijs rebus arte factis stirpium similitudinem deduxit: dummodo eam clariorem fore speraret. Hac de causa securidacam ita appellari scribit, quòd semen ancipitem securim æmuletur: Acanthum pæderota appellatum,caput thyrsi specie, ut & Alisma, habere: Fabæ ægyptiæ folium galeri instar esse; eandemque folliculos vesparum fauis similes ferre: Petasitem folium prægrande galeri modo amplum. Rusci folia lanceæ; Gladiolum cultello in mucronem definẽti comparat. Clynopodij flores speciem lecti pedum præbere asserit: Cotyledonis primam speciẽ folium habere in acetabuli formam tornatum. Quinimmo, ut Dioscoridis diligentiam in plantis depingendis magis admireris, ad cælum usque ascendere non est grauatus, ut inde notas, ac delineationes mutuari posset. Hemionitidis enim folia Lunæ modo incurua esse tradit. Ac ne parum videretur à primo solum cæli orbe notas accepisse, ad octauã sphæram

sphæram usque etiam transgressus est. Inguinalem enim herbam florem habere asserit, in quo folliola stellæ modo per ambitum radiantur; quemadmodum & eryngij spinas stellatim circunuallari. Valeāt igitur, qui nullam adhibuisse diligētiam in plantis describendis Dioscoridem garriunt. Scio enim multos ita illum circa hoc reprehendere, ut nomen eius inuertentes non Dioscoridem, sed Discordiam, satis quidem inepte vocitent: quod scilicet mancas multas descriptiones reliquerit; nonnullas non recte, ac ad amussim comparauerit. Vnde effectum esse aiunt, ut tot, tamque varias videamus auctorum inter se nequaquam conuenientes sententias. Verum quòd hæc nulla ratione illi obijciant, posterius dicetur. nunc usque eò hoc tangamus, quoad proposito satis esse videbitur. Ita enim difficile est (ut dicebamus) plantam plātæ similem inuenire, ut coactus sit sæpissime Dioscorides illas inuicem comparare, quæ vix modicam inter se similitudinem retinerent. Hoc uero nemo recte sciat, nisi qui plantam aliquam à nemine depictam describendam sumat; uel Arabum, atque nonnullorum ex recentioribus descriptiones aliquot considerauerit. in quibus ita improprias uidere est notas; ut ex illorum descriptionibus nihil minus incognitæ remaneant. semper enim ignota per ignotiora declarant, etiamsi in cæteris viri sint exercitatissimi, doctissimique. Hinc Dioscorides, cum quandoque cognosceret similitudinem uni alicui plantæ factam non ex toto quadrare: duabus, uel etiam pluribus illam cōparare solitus est; ut ex illis multis, quam quærebat delineationem, eliceret. Propterea igitur scammoniæ folia helxinæ, atque hederæ; Cynocrambes uero mercuriali, hederæque comparat. Hellebori albi folia plantaginis, aut betæ syluestris æmula: Cytisum folia fœni græci, aut loti trifoliæ: Syderitim heracleam folia habere marrubij, sed longiora, satis ad frondem quercus, aut saluiæ accedentia. Aconiti pardalianches folia comparat Cyclamino, aut cucumeri: Gentianæ iuglandi, plantagini'ue. scribit & mercurialē folia ocimi habere. cumq; hoc nequaquā sufficere videret, subdidit helxinæ cognata. Hæc igitur & multa alia non ideo scripsit Dioscorides, quòd omni ex parte quadrare existimaret: sed ut ex his, atque alijs notis, quæ à cæteris partibus plantarum sumuntur, uera plantæ cuiusque effigies haberi possit. Nam cum apios herbæ radicem asphodelo comparasset, quia videbat non penitus comparationem quadrare: addidit in formam pyri turbinatam esse: sed quia pyrum adhuc oblongius videbatur, subiunxit rotundiorem. ex his omnibus eius effigies ita perfecte exprimitur, ut quiuis cognoscat raphanum syluestrem (ut Fuchsius opinatus est) nullatenus apion esse posse. Nam ut sileam alias notas, quarum nulla cō-

uenit: eius radices oblongæ sunt; & cum asphodelo habent quidem aliquam similitudinem; sed ex hac sola eius effigies petenda non est. Auxit difficultatẽ in stirpibus dignoscendis, quòd una descriptio multis plantis adaptari potest. licet re uera hi, qui illas uere cognoscunt, primo statim aspectu distinguant. Cum igitur à Dioscoride recte depingantur ita, ut nihil aptius dici posse uideatur, tamen quia multæ sunt, quæ eidem descriptioni correspondere possint; uariæ à diuersis pro una ostenduntur. Euenit hoc in multis, sed præcipue in aculeatis herbis. harum enim reperire est multas foliis latis, in ambitu aculeatis, caule recto, in quibus capitulum echini marini. ex his etiam multa habent alba, multa uero nigricantia folia, & radices. Hinc tot, ac tam uariæ de chamæleone albo, & nigro sententiæ; item de acanthio, de carduo, de syluestri acantho, de spina alba, de crocodilio, atque de multis alijs aculeati generis plantis: quæ primo intuitu non dubium est, quin discernantur: sed nemo descriptione ita assequatur; ut rei correspondere ex toto possint. Hinc etiam diuersæ sententiæ de buphthalmo, & chrysanthemone: hæ enim & forma uidentur, & facultatibus conuenire: nec minus de hippoglosso, & lauro alexandrina, de genista, & spartio. Idem euenit in speciebus anchusæ: quarum ita similes sunt descriptiones, ut multi echium pro prima specie anchusæ, multi pro secunda substituant. multi anchusam primam pro lycopsi, multi secundam pro eadẽ, ac nemo adhuc certus sit de earũ speciebus: quanuis à Dioscoride quæcunq; discrimina adesse in eis poterant tam ratione seminis, quàm floris, quàm etiam foliorum, sufficienter adnotata sint. Atque hinc effectum est, ut nonnulli existimarent caput de phillyrea superfluum esse in Dioscoride; idemq; esse ligustrum & phillyream; quia utriusque descriptio, & facultates eædem esse uidentur. Quæ cum ita sint, nulli dubium esse poterit, recte sentire eos omnes, qui neque ex auctorum scriptis quantumuis diligenter pertractatis, neq; ex iconibus plantarum, etiamsi ad uiuam imaginem exprimantur, simpliciũ scientiã recte haberi posse asseuerant: sed necesse esse, ut sermone ostensis plantis indicentur. solus enim oculus earum discrimina perfecte cognoscit. quod & Galenus VI. simplicium, in præfatione, & Plinius lib. XXIIII. cap. II. suadent. Noui enim hominem familia illustrem, qui cum naues nunquam antea uidisset, ubinam illarum essent remi interrogauit: quia ipse in antiquorũ libris remos inesse nauibus legerat, quos etiã hodierno tempore adesse debere animo conceperat. Ergo in omnibus oculum iudicem esse oportet, si id quod quæris, perfecte haberi debeat. uerum in simplicibus maxime omnium hoc obseruandum est. quia (uti diximus) plantarũ descriptiones ita similes reperiri solent,

solent,ut plures uni descriptioni adaptentur. ac de qua auctor intelligat,nulla certiori uia,quàm ex sermone,intelliges. Hanc difficultatem cum uidisset Dioscorides in argemone cum rhœade papauere, ac anemone; uoluit earum conuenientias,ac differentias diligentius exequi. Vnde non contentus, quòd illarum descriptiones proprijs capitibus manifestasset,uoluit, in quibus anemone cum argemone, ac rursus in quibus utraque cum rhœade papauere conueniret, uel dissentiret, apponere. Quòd si in omnibus hoc non fecit, forte est, quia ex descriptionibus recte cognosci arbitrabatur. quod quidem, cum in multis feliciter ceciderit,si in aliquibus accidere nõ potuit, nihil mirum. hoc enim non tam Dioscoridis negligentiæ, quàm rei ipsius naturæ adscribendum est. Huc accedit,quòd etiamsi quandoq; reperiri possent plantæ,quibuscum rectius comparatio fieri posset; nõ semper tamen ei in mentẽ uenire poterant: ut uidere est in multis plantis ab eo delineatis, quas cum Plinius etiam depinxisset; longe meliorem comparationem exhibuit. sed satis feciſſe se Dioscorides existimauit, si quæ in promptu habebat, apponeret. Patet hoc in antirrhino,cuius folia, & caules Dioscorides anagallidi comparat: Plinius tamen lino,rectiori quidem similitudine. ita & cicutam folia habere ferulæ, angustiora tradit Dioscorides: aptius Plinius,qui coriandri folijs comparat. Cistum marem dicit Dioscorides habere florem ut malum punicum, fœminę albescere: sed quod Plinius rectius marem descripserit roseum florem habere dicens, res ipsa ostendit. nam siue hanc floris similitudinem ad colorem referat Dioscorides,siue ad figuram(quanuis ad figuram potius referre uideatur, quod ostendit ex hoc, quod de fœmina subdit ei florem albescere) minus apta comparatio est. nam punicorum floribus phœniceus color inest, quẽ uix in alio reperias,si Theophrasto credimus,lib. 1. de historia, cap. x x 1. quanquam hoc de arboribus solis intelligere uoluisse credendum est. nam papauer rhœas phœniceo est colore. Ita & multas alias descriptiones inuenies in Dioscoride, quas nonnulli ex recentioribus multo aptius reddidere, quas breuitati incumbẽtes omittimus. Perinde igitur ut in mentẽ succurrebãt plantæ, quibuscum alias compararet Dioscorides, ita eas delineabat: quanuis meliorem similitudinem quis inuenire posset. sed hoc in paucis admodum est. Nam cum posset thymelææ folia lini folijs perfecta similitudine comparare, huic tamen rei non multum intentus,à chamelææ folijs similitudinem traxit: neque uero illud ignorabat Dioscorides. ipse enim ille inquit Syros hunc fruticem apolinum appellare;quoniam satiui lini frutex suapte natura similitudinem referat. Ita & liguſtici caulem potuisset panacis heracleotici cauli comparare. inquit enim

de liguſticō,panaces non ab re incolæ appellant: quoniam,& radice & caule heracleotico panaci ſimile ſit, & uiribus eiſdē præditum. huius tamen oblitus, ab anethi caule comparationem mutuatus eſt. ſed forte rectius à panace mutuatus eſſet, ſicuti in radice executus eſt, quam panacis radici comparare meminit. Caraciam pariter tithymalum ſcribit habere folia oleæ, anguſtiora, & longiora: ſed rectius amygdalis comparaſſet,quod neq; eum latebat: cum dicat amygdaloidem illum appellari. Has ergo difficultates cum uideamus ineſſe plantis delineandis; nihil eſt quod Dioſcoridem reprehendamus, quòd non perfecte ſimilitudines plantarum expreſſerit. ſed nos ad bonum ſenſum illum deducere debemus; atq; omnibus notis recte perpenſis, ſi multas quadrare uiderimus,atque una non recte quadret: non propterea plantam illam tanquam incognitam reijciemus. ita nanque nullarum plantarū cognitio accedere poterit: cum in unaquaq; delineatione ſemper aliquid deſideretur. quod in multis oſtendemus in Dioſcoride. Inquit igitur Fagus & Ilex quercus generi aſsignantur. ſi quis tamen hoc ad ſimilitudinem foliorum,uel arborum referat: ægre fagum ilicemq́; cognoſcet. cum nulla, uel modica talis intercedat ſimilitudo. Verum ſi quis ad hoc, quod glandiferæ arbores ſint, uel ad facultates ſolas hoc relationem habere dixerit, uel ad foliorum ſubſtantiam: abſq; dubio illas inueniet. Nec me latet Theophraſtum IIII. de hiſtoria, ilicis folia roboris folijs comparaſſe; minora,& aculeata eſſe inquiens. ſed ual de impropria hæc comparatio mihi uidetur; ut res ipſa oſtendere poterit, niſi ad ſubſtantiam referri debeat. Glycyrrhizam dicit habere flores hyacinthi Dioſcorides, ſed hoc ad colorem ſolum referri debet. figura enim ſtaphydis agriæ floribus ſimiles ſunt. Chamæpityn folia uult habere ſemperuiui minoris: ſi quis tamen exactam querat ſimilitudinem, nunquam Iuam uulgarem pro chamæpity ſubſtituet. ſi tamen alias notas inſpexerit: illam eſſe fateatur neceſſe eſt. Saluiæ item folia mali cotonei folijs comparat, cum tamen modica ſatis intercedat ſimilitudo: quemadmodum & inter eadem folia, & ſolani ſomnifici, & capparis folia,quæ tamē ille inuicem cōparat. Præterea dum Aloën folia ſcillæ habere; ſi longitudinem tantum conſideremus, recta quidem eſt comparatio; ſi uero alia, non item: ac propterea addit in rotundo modice lata, craſſa,pinguia,retrorſus panda; ut rectiorem comparationem redderet. Foliorum uero lonchitidis aſperæ, & ſcolopendrij ſimilitudinem ad ſubſtantiam tantum,nō etiam ad figuram referri debere oſtendunt ea,quæ ſubiungit,aſperiora, maioraq́;,ac multo magis diuiſa ea eſſe inquiens. quod cum non conſideraretur à multis in cauſa fuit, cur lonchitis altera à nemine ſit cognita. Ergo comparationes

tiones non ex toto quadrare uult Dioscorides, sed ex aliqua duntaxat parte. quod dum multi non animaduerterunt, non pauca absurda posteris reliquerunt. Hinc Galion credidere herbam Crucialem uulgo dictam, quæ quaterna folia per interualla gerit; quia aparinæ uideatur similis. similitudo tamen hæc in uero galio non ad magnitudinem foliorum referri debet. quia longe minora sunt galij, quàm aparinæ folia: sed ad figuram,& exortum, & caulem. quod ex his, quæ uberius, quâ de situ diximus,clarum est. Multi,dum exactam elaphoboſci cum terebintho similitudinẽ requirunt,eam non cognouerunt. sed si quod Dioscorides dicit elaphoboscum folijs, ut terebinthi constare, ad ordinem solum, situmq; foliorum retulissent,non etiam ad substantiam, atque ad alia: fortasse uerum eos elaphoboscum non lateret. Quis igitur non irrideat hominem uulgare reuponticum non esse maius centaurium dicentem, quia in caule non habeat capita papauerum penitus similia? uidentur enim re uera multum dissimilia; sed rectior comparatio tunc haberi à Dioscoride non potuit. Ita & cum dixit sambucum surculos habere arundinaceos, cauosq;: non est quod cauitatem omnimodam in his quæras,sicuti ea quæ est in arundine,quia medulla pleni sunt; uerum si hæc detrahatur,caui remanent; sed quia facile detrahi potest, ac eam non multi momenti duxit, ideo cauos eos appellare libuit. quod ex Theophrasto etiam colligitur,qui de sambuco sic inter cætera habet, Materies fungosa, & siccatus leuis, medulla præmolli constans, ut uirgæ totæ concauentur. Citria dicit habere semen pyri; cum tamen illa anguloſa quodammodo sint, hæc uero leuia, & in pyramidem quandam desinunt; illa obtusa potius sunt. Equisetum iuncea habere folia scribit; sed non quod iunci more ducantur; sed ad colorem solum,figuramq; fortasse retulit. Arbutum dum dicit malo cotoncæ non dissimilem esse; non tam ad folia, quàm ad totam arborem similitudinem referri forte debere, indicat foliorum inter se modica conuenientia. At uero in multis optime expresit Dioscorides circa quid similitudo coarctaretur; ut in aspleno: cuius inquit folia filiculæ modo diuidi, ut sciamus aspleni folia non penitus, quantũ ad figuram attinet, & alia, polypodio comparasse; sed ad diuisuram solam: alia enim nullo pacto consentire uidebat. & propterea à scolopendræ animali huius plantæfiguram mutuatus est, diuisuram solam à fidicula. Iam vero nihil est, quod inutilibus quæstionibus immoremur eorum, qui scientiam hanc propè diuinam nugis, caliginibusq; obuoluentes, non esse asplenon obstrepunt,quam vulgus seplasiariorum passim pro cetrach arabũ vsurpant. quia inquiunt folia polypodio non sunt similia. Similiter,cum chamæcisi flores leucoio comparat,

rat, non tam ad colorem, quàm ad figuram comparationem referri debere, vel ex hoc colligitur: nam si de solo colore intellexisset, satis erat ei dicere illam cæruleis floribus constare, vel luteis, vel candidis, vel purpureis, quibus omnibus leucoij genera describit. quare qui hederam terrestrem pro chamæcisso ostēdunt, nō satis recte mihi (quod eorum pace dixerim) videntur sentire. primum quidem, quia similitudinem in colore tantum accipiunt; vt dicat Dioscorides chamæcisson habere flores cæruleos, sicuti species illa leucoij, quæ cæruleos profert flores: deinde quòd & ipsi illi capite de leucoio resecant à Dioscoride tanquam superfluum, adscititiumq; totum id, quod de cæruleo leucoio ibi habetur. Neq; grauissimū virū decet ijs armis nunc vti, quæ ut obtusa, ac debilissima aliàs reiecit. atque eo præsertim minus tuta hæc sententia videtur, quòd cogitur contextū permutare: immo & alia signa non conueniunt, ut in superioribus diximus. Quid? an expectas me omnia Dioscoridis capita percursurum, ut minus proprias comparationes omnes adnotē? profecto hoc maioris esset muneris, quàm ut tam breui opusculo condecens sit: ac propterea ex his tu alia (quæ quamplurima sunt) considera. Verum enimuero illud unum omittendum nullo pacto est; si uideamus à Dioscoride attente, atque summa cum diligentia aliquam notam medicamentis tribui, (neq; uero hoc difficile erit cognoscere ex loquendi formula) non debemus nos illam ~~rita~~ paruipendere, ut aliter esse posse existimemus: ut cum dicit scolymon habere folia nigri chamæleonis, sed nigriora, & crassiora; non putemus perpetuo (non enim negauerim loci ratione, uel aliqua alia de causa semel hoc fieri) tenuiora, & minora esse posse. quia nō absque ratione appposuit huiusmodi diuersitatem. Ergo, cum Ruellius herbam gattam uulgo dictam pro tertia calaminthæ specie substituit, damnandus est; quia licet foliorum cum mentastro, cui illā Dioscorides comparat, similitudo tolerari possit: id tamē, quod addit longiora esse debere, in illa planta non adest; immo depressiora sunt. Pariter cum Hemerocallem in omnibus ferè lilio Dioscorides comparat, præsertimq; radicem uult habere bulbosam: nihil est quòd lilium conuallium (ut quidā uolunt) hemerocallida esse pronunciemus. scimus enim radices non proferre bulbosas, sed oblongas, tenues. At pone hoc nullius esse momenti, quænam, quæso, ex alijs partibus descriptioni consentit? profecto nullam uideo. Eodem pacto si uidemus in omnibus codicibus Dioscoridis hypericum flores habere luteos: cur ex illius auctoritate candidos debere esse flores dicemus? sunt tamen qui ut hypericum esse rutam sylvestrem probent, id affirmant. quorum sententia quanto in errore uersetur, & hyperici cum uulgata perforata

sorata (de hac enim quæstio est) satis cohærens descriptio, & rutæ syluestris ab eadem dissensio, satis superq́; ostendere poterit. Si præterea plantæ partem aliquam exprimat Dioscorides, cui aliquid comparat; non debemus ad aliam partem plantæ temere transferre, ut medicamẽ tum cognoscere profiteamur. Nã si Dioscorides uult Delphinij folia Delphinorum effigiem repræsentare, reprehendendi sunt, qui Senam Arabum Delphinium esse credunt, quia folliculos habet contortos delphinorum effigie: quanquam minus culpandi sunt, qui eundem Delphinium plantam illam esse uolunt, quæ Consolida regalis uulgo dicitur: quæq́; à Fuchsio pro eranthemone depingitur. hi enim contextum tanquam deprauatum ita emendant, ut similitudo delphini ad flores referant, non ad folia. Verum illi nullo pacto contextum immutantes, quod folijs tribuendum est, folliculis tribuunt. neque aduertunt florum colorem non purpureum, sed luteum Senam habere, nullamq́; ex alijs notis adesse, neque facultates respondere. Tempus etiam nascendi in plantis, uel florum, seminum'ue proferendorũ maximi momenti est. quod uix uariare potest. Nam si anchusam messiũ tempore manus inficere sanguineo succo asserat: uel nunquam, uel raro admodum alio tempore id accidet. & quanuis rubicundus color semper uideatur, quem nigrum potius cum Plinio dixerimus: succus tamẽ id solum temporis emanat. Cum igitur Dioscorides secundam acaciæ speciem per autumnum, semen in siliquis proferre dicat: ualde periculosa mihi uidetur opinio uolentium secundam acaciã esse eam plantam, quæ passim Neapoli, & Puteolis uisitur in ueris initio luteum florem genistæ similem proferre, siliquis pilosis aurei coloris splendentibus, quæq́; spalatrone uulgo dicitur, & in Græcia etiã uulgo spalathro: hæc enim plãta uix ineunte æstate semen perpetuo profert. quam & nonnulli, nõ leui quidem coniectura, aspalathum secundam potius existimant. uidetur enim uulgatum etiam nomen consentire. Sic, qui hircinam saxifragiam pro secundo tragio Dioscoridis ostendunt, non recte eius uerba librarunt. uult enim per autumnum hircinum uirus olere tragium illud: at saxifragia hæc nullo non tempore hircum resipit. quid? quod nulla aliarum nota consentit, ut superius diximus. Quod igitur Dioscoridis descriptiones in medicamẽtis quandoq; accurata diligentia accipiendæ sint, quandoque negligentius considerandæ, & in quibus, ac quo pacto; ex his manifestum iam est.

Defenditur

Defenditur à detractoribus Dioscorides; curq; multas plantas indescriptas, multas etiam parce delineatas reliquerit, ratio assignatur. Cap. XIII.

QVANQVAM maximam adhibuit Dioscorides diligentiã in describendis plantis, ut abunde probauimus: nõ desunt tamen stupidi, ac duræ ceruicis homines, qui illũ reprehensionis notã nõ penitus subterfugere posse affirmant. quam ob rem multa ei obijciunt. quæ cum nulla nixi ratione obijciant: nostræ partes sunt, ut diluantur: neque enim indefensus peribit Dioscorides. Aiunt igitur, etiamsi concedamus in multis illum diligentissimum extitisse, damnandus tamen est, quòd in nonnullis non ea usus est diligentia, qua eum uti decebat. multa nanque ita scripsit, ut ne notam quidẽ delineationis expresserit, sed facultates solas docuit: unde & nobis nunc ignota omnino sunt, neq; ulla spes eorum cognoscendorum nobis relinquitur. Hinc lanariam herbam, siue struthion, non cognoscimus, similiter paliurum, siliginem, bulbum esculentũ, lichnidem, & multa alia. multa uero ita detruncate depinxit; ut ne coniectura quidem illa assequi valeamus, ut in Acacalide uidere est, & alijs non paucis: Saluiam tamen (inquiunt) lippis & tonsoribus cognitam longa descriptione prosecutus est. quare quandoque mancus, quandoque superfluus Dioscorides est. Ad has quidem obiectiones facientia multa in primo libro, cap. ultimo diximus, quæ ad hoc etiam propositum deduci facile possunt; sed præter illa hæc etiam addimus. quòd eæ plantæ, quas sine ulla descriptione reliquit, ita cognitæ erant sua tempestate, ut illas describere ridiculum uisum fuisset: de his enim intelligebat in sui libri præfatione cum inquit. Quinetiam uernaculam, familiaremq; materiam complectemur, ut perfecta sit, quæ à nobis relinquetur doctrina. Credebat autem Dioscorides per manus, assiduoq; temporis successu posteris notissimas fore plantas, quæ sua ætate uulgtissimæ erant. ita nanq; maiori ex parte accidere non ignorabat. neque uero sua spe frustratus est. nam omnes ferè cognitæ nunc sunt & uulgatæ; quæ dum ille opus suũ confecit, uulgatissimæ existebant; etiamsi nullam earum delineationem reliquerit: ut sunt Rosa, Linum, Cicer, Fœnum græcũ, Milium, Eruca, Allium, Cepe, Vlmus, Iuniperus, Larus, Platanus, Cupressus, Populus, Salix, Quercus, Fagus, & infinitæ ferè aliæ tum herbæ, tum frutices, tum etiam arbores; quibus nullam notam, quantum ad formam attinet, Dioscorides posuit. Verum cum stirpium cognitio per multum temporis spatium ab omnibus ferè derelicta sit: quid mirum si nonnulla pericrunt? Argumentum igitur de saluia in eos ita reflectetur:

ætur: Nam si ideo illum damnant, quòd cognita, & nostris temporibus vulgata omnibus descripserit, profecto eum non recte reprehẽdunt, quòd quæ sua tempestate notissima erant, describere non curauerit. quòd si ex his aliqua nunc non cognoscantur, non propterea in culpa est. temporis nanque curriculo multa pereunt, multa etiã quæ occulta prius fuere, in lucem prodeunt. sed quid dixissent, si commemoratas omnes plantas descripsisset? Huc accedit, quòd & multi alij de materia medica cõscripserunt, qui & plantas ante Dioscoridem delinearunt. inter quos Andreas, Crateuas, Heraclides Tarentinus, Bithynus Iolas, Theophrastus: quin & Hippocrates ipse, de quo Plinius lib. xxvi. cap. 11. sic scribit. Hippocratis certe, qui primus medendi præcepta clarissime condidit, referta herbarum mentione inuenimus uolumina. Fuere & multi alij, à quibus quamplurimæ descriptiones haberi possent, multæq; plantarum notæ, quas Dioscorides omisit, si illorum uolumina extarent: frustra enim à Dioscoride describerentur, quæ aliunde peti nullo negocio possent. Erat hoc in more positũ antiquioribus omnibus, ut quæ ab alijs bene memoriæ prodita essent in suos libros non conijcerent, sed siquid magis nouum, uel rectius dictum inuenirent. Hinc Galenus, cum sua de medicamentorum simplicium facultatibus uolumina conscriberet; nihil nec de plantarum notis, nec de particularibus facultatibus, uel pauca admodum apposuit. quia utrunque à Dioscoride perfectissime factum esse cognoscebat. sed temperamenta solum, eorumq; gradus examinauit, quia hoc erat à Dioscoride omissum. Quòd si iniuria temporis Dioscoridis de materia medica libri deperditi essent, idemq; illi euenisset, quod tot præclarissimis uiris: non propterea erroris culpam, aut negligentiæ sustinere deberet Galenus, quòd delineationes herbarum non descripserit. Ergo & parem rationem pro Dioscoride habemus: cur enim Ilicem delineasset, si hoc à Theophrasto diligentissime factum esse inueniebat, cuius opera ob incredibilem doctrinam per omnium manus circunferebantur? cur etiam Fraxinum descripsisset, si ab eodẽ Theophrasto perfecte descriptam uidebat? sic & in multis alijs, quæ apud alios auctores etiam reperiebantur. Adde quòd & multa medicamenta deleteriam uim habent, quæ non iudicauit describenda esse, ne ad prauos usus ab aliquibus accomodarentur. quod & à Galeno alijsq; celebribus medicis obseruatum est. Idem de illis, quæ non exacta descriptione prosequitur dici potest. nam smilacis asperæ descriptionẽ paucissimis notis amplectitur; forte quia à Theophrasto longa oratione minutatim delineatam fuisse sciebat. quòd si quasdam notas magis proprias adscribi ei posse non uidisset, fortasse nec paucas illas apposuisset.

fuisset. Ita & in sambuco; quam licet Dioscorides diligenter describat, accuratius tamen à Theophrasto describi cuiuis clarũ esse potest; ut qui nullam eius partem indescriptam, ne minimam quidem relinquat: sed clariorem esse Dioscoridis delineationem in his signis, quæ à Theophrasto etiam ponuntur, nemo non uidet: ac propterea eam describere uoluisse est existimandũ. Idem in Rhois descriptione euenit, quam fluidam uertit in Theophrasto Gaza. hanc enim diligentissime Theophrastus depingit; uix tamen paucas eius notas Dioscorides proponit. sic & in alijs multis. Verum, etiam si nonnullas, quæ mereri exactiorem per signa declarationem uidentur, non exacte exquisiteq; delineauerit, sed paucas ex illis notas collegerit: eo cum iudicio ab eo hoc effectum est, ut ex illis paucis recta plantæ effigies sæpius haberi possit. Accipiebat enim signa, quæ ad stirpis faciem declarandam maioris momenti erant; quibus ita fidebat, ut alias tanquam superfluas omittendas esse duceret. Hac nanque ratione Ammi non ex omni parte depingit; sed seminis tantũ notas tradit: quæ tamen ita potentes sunt, ut ad eius faciẽ exprimendam alijs opus minime esset. nam id quod dicit semen eius origanum resipere, exiguumq; esse, cumino multo minus, in nulla forte planta inueniri poterit: ac propterea hoc ei adnotasse satis uisum est. Arisarum etiam cum depingit, solam eius radicem describit, quòd oleæ magnitudinẽ impleat, & quòd acerrimi gustus sit: de planta tamen solum id habet, quod exigua herbula sit. sed ita sufficiũt hæc signa, ut nõ necesse fuerit alia addere. nulla etenim plãta reperietur, quę radicem habeat multo maiori, quàm Arum, acrimonia præditam, & oleæ magnitudinem. Adde quòd & de Arisaro sta tim post Arum locutus est; per quod facile quispiam coniectari posset aliquã in figura habere uoluisse conuenientiã. quod nõ solum ex hoc, quòd circa acrimoniam eas comparat (quasi intelligenda sit formæ earum conuenientia) colligere possumus; sed res ipsa ostendit: nam & figura, & substantia Arisarũ cum Aro similitudinem habet, nisi quòd minora multo, & non ita lunata habet arisarum folia. perinde quasi ea quę de arisaro scripsit, non tam ad eius faciem exprimendã, quàm ut discrimen, quod cum aro habebat, in mediũ proponeret. hoc enim in multis, (quanquam clarius) feciſſe Dioscoridem palàm est: ut tertiã anchusam depingens, uoluit eius descriptionem à secunda sumendam esse: inquit enim, est & alia huic haud disimilis. sed in quibus inuicem discreparent, addidit, cum dixit, semine puniceo minore. immo & secundam anchusam alcibiadion dictam, non tam describendam sumpsit, quàm à priore distinguendam, ut legenti clarum erit. Notæ enim in plantis non ad illas cognoscendas solum, sed etiam ad diuersas

eas

eas ab alijs reddendas proponi ſolent. hoc enim ueluti complemẽtum quoddam eſt eorum, quæ circa earum delineationes requiruntur. Conyzæ duo genera miro artificio deſcribit. nam in quibus conueniunt, utriuſque notas ſimul deſcribit, ſeparatim eas apponens, quibus diſſentiunt. Quia enim in magnitudine, & odore diſcrepabant, dixit: Conyzæ duo genera; quæ parua uocatur, odore præſtantior: maior uero frutice altior, & folijs latioribus, graui odore. ſed quia in foliorum ſimilitudine concurrunt, unà illa depinxit, inquiens: Vtriuſque folia oleæ ſimilia, hirſuta, pinguia. rurſuſq; ad diſsimilitudinẽ rediens, ſubdit: In maiore caulis binûm cubitorum, in minore pedem æquat. ac denuo ad earum conuenientiam accedens vtriuſque flores ijſdem notis proſequitur, dum dicit: Flos fragilis, lutei coloris, ſubamarus, qui in pappum abit, radices ſuperuacuæ. tandemq; omnes facultates ambobus tribuit. Tertium uero genus, quia in omnibus diſcrepabat ab duobus prioribus, ſeparatim delineare uoluit. Idem in utraq; pæonia depingenda obſeruauit. caulis nanque magnitudinem, & numerũ ſtolonum unà deſcribit: in folijs differentiam declarat: ſimul deinde & ſiliquarum, & granulorum notas colligit: ac rurſus radicum diſcrepantias ſeorſum manifeſtat. In Hormino idem etiam executus eſt. ſimul enim & ſatiuum, & ſylueſtre depingit: in nulla re, quantum ad formam attinet, ſibi inuicem diſſentire per hoc nobis ſignificans; ſed in ſemine ſolum differentias ponit. ſiquidem in ſylueſtri rotundum, fuſcumq;: in altero nigrum, & oblongum inueniri tradit. Iam quis non admiretur, qui duas plantas floribus, folijs, magnitudine, caulibusq; interſe multum diſtantes, pro duabus hormini ſpeciebus depingunt, cum Dioſcorides nullam, niſi in ſeminibus, ponat diſcrepantiam? Pariter cum Anthemidis tria genera conſtituat, tantum flore diſtantia, noluit tres diuerſas delineationes apponere; ſed unica contentus, omnia genera complexus eſt: ſed quia ſolus color in flore diuerſitatem faciebat, (nam floris forma eadem eſt, quod expreſsit, cum inquit rotundis capitulis conſtare) ideo addidit id ſolum, quo diſcrepare poſſent. Qui igitur heranthemon putant eam plantam, quæ Conſolida regalis appellari ſolet, quonam pacto excuſari poſsint, non video. hæc enim in figura floris ab alijs multum diſtat; atque alias fortaſſe habet differentias. Nec minus ſecundam calamintham ex pulegij forma herbę quidẽ notiſsimæ deſcribit, ut ex illa notas omnes mutuemur; in magnitudine tantum diſcrepantiam ponens. Cur igitur non erraſſe pronuntiabimus eos, qui herbam gattam vulgo dictam, ſecundam eſſe calamintham ſtatuunt, cum videamus nepetam uulgarem in omnibus pulegium exprimere? neq; enim forma, neque odor diſſentit. immo

tit. immo & nomen latinum, quod Dioscoridis tempore erat, adhuc seruat: illa uero melissophyllo potius similis est, neque ullum retinet odorem pulegio similem. Vt igitur ad id, quod dicebamus, reuertamur, non recte Dioscoridem nomine negligentiæ accusant, quòd mutilus, superuacaneus'ue in plantis aliquot describendis exstiterit; sed reprehendendi ipsi ueniunt, qui non omnia, quæ considerare oportet, in Dioscoride animaduerterunt; quiq; non adhibitam rebus cum peritia curam, sed in uerbis eius facultatem æstimant. quod quidem ne fieret in præfatione lectorem hortatus est. Illi uero hoc nihil curantes, dum indormientes eius scripta percurrunt, nõ solum illum non recte reprehendunt: sed se ipsos tanquam mente captos, ignarosq; manifestant. Nam qui uulgarem bryoniam non esse ueram Dioscoridis uitem albam argumentantur ex hoc, quòd notatu dignam notam non apposuerit, nempe radicem; quam, ob nimiam magnitudinem non reliquisset, si uera esset; hi inquam stulti sunt. nam ex multis notis, quas ei Dioscorides assignat, tam apte cohærentibus, qui per campos spatiaretur, illam primo occursu facile cognosceret. immo & Dioscoridi gratiam habere deberemus, quippe qui effodiendæ radicis tam uastæ laborem nobis eripuerit. nam qui cognoscere solum hanc plantam affectat, ut cum opus sit, usui adaptet, satis superque esse possunt notę à folijs, à uiticulis, à pampinis, à fructibus, à nascendi, & crescendi modo, alijsq; quibusdam: qui uero ad medendum eam accipere intẽdat, poterit radicem (si hac uti uelit) effodere. nam multis pollere remedijs hanc, uel ipse Dioscorides docet. Quam ob rem uelim hoc sempiternum esse præceptum, ut cum quis aliquorum doctissimorum virorum de medicamentis placita refutare aggreditur: nunquam ad hanc, aut consimilem rationem confugiat, ut scilicet damnet eorum sententiam in planta aliqua, quam ostendunt, quæ cum habeant partem aliquam à scriptore diligenti non prætereundam, in scriptoris tamẽ delineatione nõ ponatur. qui enim omnes Dioscoridis descriptiones attentius intueatur: nullam, uel perpaucas reperiet, in quibus non aliqua pars omittatur. sed refutandæ sententiæ sunt, cum plantę ostenduntur, quæ cum notis à Dioscoride propositis, siue illæ paucæ sint, siue multæ, non conueniunt. Qui igitur cum illis non consentiunt, qui scrofulariam uulgarem pro galeopside depingunt, si propterea nõ consentiunt, quòd radicem notatu dignam nõ omisisset Dioscorides, si hanc existimasset: infirma ratione mihi videntur sustentari. Quòd si alias habuerint rationes, illis magis est innitendum: quemadmodũ cum in eos inuehuntur, qui inter uerbasci species numerant duas illas plantas colore florum differentes, quæ primæ omnium uere florent; quæq;

quæq; herbæ paralysis uulgo uocantur: non recta(ut mihi uidetur) reprehensione utuntur, dum inquiunt, si uerbasci essent species, eius flores essent omnino à Dioscoride descripti. quanuis(ut meam in hac re sententiam proferam)in alijs notis eorum placitum nõ ex omni parte acceptandum existimem. Depingit Fuchsius bislinguam, siue bonifaciam uulgo appellatam, prò lauro alexandrina. nos hãc potius Hippoglosson existimamus; quia eius delineationi magis arridere uidetur. verum nullam habemus exactam rationem, (si ad facultates, & ad situm confugere nolimus)qua eius sententiam refutare valeamus. Ní quòd frondes illas, ceu linguas è medijs folijs exeuntes, non expresserit Dioscorides, ratio sufficiens non est. non enim ex hoc tuto affirmare possumus, illas linguas in lauro alexandrina adesse non debere. Sed quid pluribus moror? Non'ne pæoniæ flos rosarum rubrarum effigie & colore insignem eius historiæ notã præbere potuisset? Dioscorides tamen omisit. at non propterea quenquã reperies, qui eam pæoniam non esse existimet, quæ ab omnibus ipsa existimatur. Ita & in Cori, & in clematide prima, flores in illis delineandis subticuit: cum tamen ob eorum miram pulchritudinem, harum plantarũ delineationes longe clariores reddere potuissent. quis est tamen, qui in his dignoscendis anceps sit? Ac multo magis cytisi flores, (nam & horum etiam nullam facit Dioscorides mentionem)qui & ob luteum illustrẽ colorem, & ob situm etiam, ut qui racematim à ramulorum cacuminibus magna cum spectantium delectatione propendent, fruticẽ illum ita exornant, ut sine illis nullam amplius gratiam, nullum ornamentum retinere uideatur. non tamen propterea in cytiso, quam nos ueram cognoscimus, dubij sumus. sic & in quamplurimis alijs, quorũ cum radices, uel folia, uel aliquas alias partes, quæ pulchriores in plãtis videntur, non describat: nemo tamen est, qui in earum cognitione hærere uideatur. Huc accedit, quòd multæ plantarum partes ita à natura nonnunquam occultantur, ut describi nullo pacto possint; ut Thymi semen, quod(ut Theophrastus refert)sensu hominis percipi nequit, sed flos tantum apparet. unde eo fato(ut testatur Plinius)nascitur Thymum. Quis igitur reprehendat Dioscoridem, quod quale thymi semen sit, minime docuerit? Ita & de tribuli aquatici radice, quæ cum in fluminum palustribus nascatur, atque in profundioribus aquę alueis immergatur, qualisnam sit adhuc incompertum est. quod & Theophrastus animaduertit lib. 111. de historia. qui cum omnes tribuli partes delineasset, subdidit: Radicem quantã, qualemq; habeat quærendum. quibus consimilia lector quamplurima obseruare poterit.

Quòd ex multarum plantarum descriptionibus liceat aliquas conflare illarum, quæ proprijs capitibus nullo pacto delineantur, atque hac ratione nobis innotescent. Cap. XIIII.

SCIO fore, quibus illa, quæ pro Dioscoride diximus, minus satisfaciant; sed in sua vetere sententia permanentes, ac constanter perseuerantes, illum pertinaciter reprehendent, nostrasq; rationes, non secus ac cum surdo fabula canitur, nihili ducent. Quorum prauitates, his, quæ hoc capite subnectemus, immutare conabimur. quòd si neque assequemur, eorum saltem peruersitas, atque nequitia manifesta, deprehensaq; ante omnium oculos ponetur. est enim mens, uiam docere, qua quis possit quamplurimas plantas à Dioscoride absque ulla descriptione derelictas, ex ipso illo Dioscoride describere. ex qua quidem re non solum Dioscorides defendetur, ut qui reliquerit quidem stirpibus delineationes; ab ignaris uero deprehensæ nõ sunt: sed etiã earum cognoscendarum amplior nobis campus sese offeret. Scire igitur licet multas plantas, etiamsi proprijs capitibus descriptæ nõ sint, ex alijs tamen describi posse: quę uel perfecte, uel saltem minus obscure earum formas, figurasq; repræsentent. Diximus superius eos, qui in Dioscoridem inuehuntur, illum reprehendisse, uel quòd multas plantas penitus indescriptas proposuerit: uel quòd nonnullas descripserit quidem, sed tam paucis indicijs, ut nemo sit, qui eas assequi potuerit: uel tandem, quòd improprias notas plantis attribuerit, quæ eius figuram obscuriorem potius, quàm clariorem reddunt. Nos igitur primo docebimus, quonam pacto multæ, quæ nullatenus describuntur, delineationem aliquam sortiri possint. deinde, qua ratione parce designatas alijs notis locupletare ualeamus: ac postremo unde elici notę magis propriæ possint, quæ improprie assignatas corrigãt. Nam quòd integras descriptiones quandoq; eligere liceat, quæ in alterius plantæ historia laterent; superius satis puto ostensum est; ut de anchusa, & de Hormino, & de nonnullis alijs exẽpla dedimus. Hæc enim regula perpetua esse debet, ut si quando uideamus non exacte, aut nullo pacto describi plantam: consideremus, an ex alia eiusdem speciei, aut generis, aut sibi proxima descriptionem sumpsisse ualeamus: atque hoc tã ex illis, quæ perfecte descripta sunt, quàm ex alijs, quæ non ita exquisite proponuntur: ut uidemus in syluestri lupino. cuius descriptionem petere debemus ex satiuo; qui tamen à Dioscoride non depingitur: sicuti & quartum ranunculum, quod ex tertio describendum præcepit. cum tamen tertij modicam apponat delineationem.

tionem. Verum hæc ita intelligere conuenit; ut si quando incidas in huiusmodi plantas, ita ut eas uel per te, uel alterius auctoris ope cognoscas: ex illarum cognitione fiet tibi aliarum plantarum illis similium manifestatio. nam lupinum nemo est, qui non noscat, etiamsi non describatur. igitur si quis quærat syluestris lupini effigiem, ex satiuo habere poterit, atque hac ratione indescriptarum plantarum delineationes integras eliciet. Sed qua ratione plãtis aliquot indescriptis unam, aut alteram, uel plures notas accõmodemus: operę pretium est dicere. hoc uero nulla meliori uia, quàm si inspiciamus aliarum plantarum descriptiones, in quibus indescriptæ plantæ mentio fit, illi eam, quam depingit, comparans. illas igitur notas indescriptæ accommodabimus; deindeq; alias inspiciemus, an eiusdem non delineatæ, & incognitæ mentio fiat. Euenit nanque, ut uni stirpi multas Dioscorides comparet, hanc scilicet flori, illam frondibus, alias uero alijs partibus. neq; hoc inconueniens fuerit: nam si asphodeli folia porri folijs comparat; licebit & porri folia hastulæ regiæ folijs comparasse. similiter si cyclamini frondes hederæ frondibus similes esse dicit: quid uetabit hederam rursus cyclamino comparare, atque in alijs eodem modo? Cum igitur sciamus bulbum à Dioscoride non depingi, bulbo tamen multas alias plantas comparari: ex illis nos bulbi descriptionem accipiemus. Nanque hyacinthum depingens folia, & radicem bulbi ei tribuit: similiter & colchicon eiusdem bulbi folia habere statuit, sed pinguiora: deinde & bulbum uomitorium folijs constare bulbi, sed lentioribus, & multo longioribus: præterea pancration radicem habere magni bulbi asserit. licebit igitur bulbum his omnibus, uel in folio, uel in radice comparare, ex quibus bulbi descriptio apparebit. nam si dicit colchicon folia habere pinguiora: nos bulbum colchico comparantes, minus pinguia ei inesse folia asseremus; atque ita in alijs. quam ob rem ex his, hæc, uel consimilis descriptio bulbi conficietur: Bulbus folia habet hyacinthi, uel colchici, sed minus pinguia: uel bulbi uomitorij, sed non ita lenta, & multo minora: radicem quoque habet hyacinthi, uel colchici: cui ita similis est, ut ab ignaris alterum pro altero deuorari soleat: uel pancratio similem, sed multo minorem. Hæ quidem, & huiusmodi aliæ descriptiones clariorem doctrinam sæpius præbent, quàm quæ uere suis locis à Dioscoride exhibentur. quandoquidem pluribus plantis folia, uel radices, uel alias partes comparat; quodq; nos ex una assequi non possumus, ex alia assequemur. quod in illis uel nunquam, uel raro euenit: cum Dioscorides sermonis seriei, uel continuitati intentus, uni plantæ ut plurimum, raro pluribus eas comparet. Similiter igitur si quis uelit anethum ex Dioscoridis mente depin-

te depingere, ad plura eiusdem capita cõfugiens facile poterit. anetho nanque comparat ligusticum, seseli æthiopicum, daucum tertium, helioscopium, tithymalum, smyrnium, elaphoboscum, bunion, atq; ex his quibusdam umbella, quibusdam capitulum, alijs aliam plantæ partem. fieri igitur poterit huiusmodi delineatio, eandem seruans regulã. Anethum cauliculum habet ligustici, capitulum seseli æthiopico simile, aut dauco tertio, aut helioscopio tithymalo, uel orbiculata caulium capita, ut smyrnium: umbellam elaphoboscí, flores bunij: semine constat dauci tertij, aut elaphoboscí. Coriandrum nullo pacto Dioscorides depingit; sed eadem utentes regula, sic illum descripserimus. Coriandri planta fumariæ similis est; sed nigrioribus folijs: folia habet thalictri, paulo graciliora: uel ranunculi primi, sed angustiora: uel anemones, sed minus scissa: aut parthenij, aut adianti, aut dauci tertij, aut syderitis tertiæ, aut achilleæ, aut bunij folia, quæ proximæ radicem sunt, imitantur: umbellã habet dauci cretici. Vide quàm late pateat foliorum descriptio. profecto qui ex his coriannum non nouerit, rudem, quinimmo ineptissimum, iudicaueris. tot autẽ plantis eam comparauimus, quia illi omnes eas Dioscorides cõparat, dum illarum delineationes prosequitur. Rutam præterea eadem ratione sic depingito. Ruta folijs constat ambrosiæ, aut hypecoi, aut syluestris serpylli, sed minoribus, aut hyperici, aut androsæmi, sed triplo, aut quadruplo minoribus: aut polemoniæ, sed paulo minoribus & breuioribus, aut polygoni maris, sed durioribus breuioribusq;: aut apios, sed latioribus, & breuioribus: uel pepli, sed angustioribus: minoribus multo, quàm syluestris rutæ: odorem trifolij asphaltitis recenter enati. lã quis hac descriptione rutam nõ noscat? Apij delineatio hæc haberi poterit. Apium eleoselino minus est, & hipposelino; quo est etiam nigrius: folia habet bunij folijs similia; quæ proxime radicem sunt: uel laserpitij, uel caucalidis, uel smyrnij angustiora, minus pinguia, caulem eiusdem: semen possidet siso simile. Hæ plantę notissimæ sunt, sed & ignotarum eodem pacto reperire est descriptiones, ut struthij, quæ à nemine, quod sciam, cognoscitur. quam (præter notas à Plinio scriptas) ita depingere ex Dioscoride possumus. Struthiũ folia habet parua, papaueri spumeo similia, uel phyteumati, sed maiora: radicem habet cubitalem, albicantem, polemoniæ similem. Terebinthum etiam, quam pauci norunt, hoc pacto. Terebinthus folia habet elaphoboscí, acinum sambuco similem, magnitudine Rhois. Quarum plantarum descriptiones hucusque dedimus, nullam depingit Dioscorides proprijs capitibus, sed aliarum similium delineationes multas per se studiosus lector compilare poterit. Hæc igitur quã-

tum

tum ad primum, quod probare intendebamus, ſufficere poterũt. Erat ſecundum, ut ſciamus multis ſtirpibus parce delineatis, ac per hoc nobis magna ex parte ignotis, alias notas addere, quibus eas aſſequamur. quod non erit admodum difficile: nam eadẽ ratione fiet. ut eruo præter notas à Dioſcoride proprio capite ei attributas, nonnullas ex eodem addemus hoc pacto: Eruum ſemen habet paralij tithymali, aut catanances primæ; magnitudine æthiopidis ſeminis, aut lithoſpermi. Ex hac deſcriptione facile deprehenditur error multorum, qui uarias plãtas pro eruo oſtendunt. quarum nulli deſcriptio arridet: cũ omnes ſemen habeant longe maius ſemine lithoſpermi, aut ætiopidis: nam uel ipſe Theophraſtus orobi ſemen minus ſambuci acinis eſſe aſſerit; quod cũ Dioſcoride conſentit. Pari paſſu & Coronopo aliquot notas addere poſſumus: illi enim Dioſcorides comparat pſyllium, catanancem, ſeſamoidem, holoſtium. quare ita ex his, atque alijs, quæ proprio capite inueniuntur, deſcribi poteſt. Coronopus oblonga herbula eſt, per terram repens, fiſsis folijs, pſyllio non diſsimilibus, breuioribus, aut catanances primæ, non ita longis; aut minoris ſeſamoidis, non ita hirſutis, & maioribus, holoſtio proximis: cui & uiticulas ſimiles habet; radicem habet tenuem, aſtringentem: prouenit in aggeribus, & locis incultis, & ſecus uias. nihil puto nunc in coronopi deſcriptione deſiderari poſſe. Vtq; ad tertium tandem accedamus, poſſumus & magis proprias notas medicamentis addere, quàm quæ ſuis capitibus tribuuntur, hocq; ex alijs eodem pacto. ut in Cnico, cuius folia deſcribens Dioſcorides nulli plantæ comparat; ſed ſolummodo inquit folijs conſtare oblongis, per ambitum diuiſis, aſperis, ſpinoſis; ita & ſemen, de quo hoc tantum dicit, quòd ſit candidum, alioqui rufum, longum, anguloſum. ſed ex alijs haſce notas clariores habebimus, alijs ſcilicet plantis illam comparando: Vniuerſam enim cnici plantam Atractylidi comparabimus: ita & folia; quæ tamẽ multo breuiora exiſtunt: ſemen habet centaurij maioris, aut chamæleonis albi, aut ueratri nigri, aut ſpinæ albæ, minus tamen rotundum; aut Medij, ſed maius. Helxines folia mercuriali proprio capite cõparat: ſed capite de mercuriali, inquit eam habere folia helxinæ cognatis, ſed minoribus. Igitur nos hanc notam ad helxinem ducentes, clariorem frondium figuram exprimemus, illas mercuriali comparantes, ac maiores eſſe proferentes. immo cum alijs plantis ſimilitudinem habere inueniemus. atque eius deſcriptionem præter aſsignatas notas ſic compilabimus. Helxine eadem erat, quæ alſine niſi grandior eſſet, & maioribus folijs, & hirſuta; cuius etiam folia ad anagallidis folia accedũt, ſed maiora exiſtunt. his conſimiles deſcriptiones multæ reperiri po-

terunt in Dioscoride tam eorũ,quæ aliquo pacto describuntur, quàm quæ nullam habent delineationem; ut fœnum græcum depingemus, siliquas smilacis hortensis habere dicentes, breuiores, minus torosas: semen,loti syluestris multo maius, aut myagri. Sic glastum foliũ habere tripolij, non usque adeo crassum: florem, staphydis agriæ: alias notas pete ex syluestri glasto, & ex sua proprij capitis delineatione. Sic si scolymum depingere intendamus, confugiemus ad caput de acantho syluestri, de chamæleone nigro, & albo. Rubi descriptionẽ quandam pete ex cappari, ex cynosbato, ex Idæo rubo: Atriplicis, in œnante, & xanthio: Rhamni, in cytiso: Ammij,in petroselino: Thymi, in satureia, in stœchade: lentisci, in phillyrea, in tragio, in glycyrrhiza: epithymi, in Alipo, in saxifragia: lepidij, in Draba: Portulacæ, in cepæa, in telephio, in tithymalo quarto,in peplio, in bato, in tribulo terrestri, in semperuiuo tertio: Platani, in aconito, in helleboro nigro,in ricino:Cinnamomi,in corallio,in bacchari: Meliloti, in ligustico: Violæ purpureæ, in hyperico, in moly: leucoij in cheli donio maiori, in moly, Delphinio, lychnide coronaria, antirrhino, glauce, amomo, chamæcisso, spartio: Raphani,in dracunculo minori, sphondilio, astragalo, tragio altero, atque ita in alijs. neq; enim necesse est omnes plantarum similitudines ex uarijs locis mutuatas in hunc locum adducere: sed ex illis, quæ distinctim primo in medium attulimus, atque ex alijs, quæ confuso modo deinde enumerauimus, poterit unusquisque cognoscere, quomodo possit alias elicere, atq; suis locis ad clariorem simplicis doctrinam accõmodare,multorumq́; opiniones uel confirmare, uel etiam refutare. Hoc enim non solum ad ignotas hucusque plantas inueniendas, inuentasq́ue confirmandas confert: sed etiam ad multas nonnullorum sententias,quæ ferè omnibus ueræ existimantur, explodendas; ut, verbigratia, qui pseudomelanthium(vulgo Gittone)lolium esse credunt: neutiquã crederent; si caput de phœnice apud Dioscoridem legissent. Ibi enim phœnicem spicam habere lolio similem tradit. sed quænam quæso spica in pseudomelanthio inspicitur? Qui præterea Iberida cum lepidio eandem esse existimãt, caputq́; de Iberide tanquam superuacaneum à Dioscoridis volumine resecandum esse asseuerant: nõ ita fortasse licenter hoc pronuntiassent,si quæ cap. de draba habentur,animaduertissent. hanc enim vult Dioscorides folia habere lepidij, sed molliora & candidiora, sed nulla est conuenientia in folijs inter Iberim & drabã:huic enim lata sunt; illi satis angusta, & nasturtij more incisa: si ueram drabam existimemus (ut certe uera est)plantam illam, quæ ab omnibus ipsa existimatur; & ab Andrea Matthiolo perbelle depingitur. Huiusmodi alia

di alia qui quæsierit, non pauca circa medicaminum cognitionem mysteria magna cum omnium utilitate aperiet.

Quid in stirpium coloribus obseruandum sit ad exquisitam earum cognitionem. Cap. xv.

QVONIAM uero in delineationibus inter cætera uisilem qualitatẽ immiscet Dioscorides; hæc autem circa colores potissimum uersatur, (hirsutiem enim, asperitatem, læuitatem, aliaq́; id genus, quanuis & oculi diiudicare possint; tamen tactilis qualitatis propria sunt) atque in his multæ difficultates oriri solent: operæ pretiũ esse duximus aliquid de herbarũ coloribus seperatim subnectere. Vbi animaduertendum est, Dioscoridem non in omnibus plantarum partibus colores perfecte exprimere potuisse; sed in aliquibus duntaxat: quod rei naturæ adscribendum est. multas enim stirpiũ partes parens natura exactissimis, viuissimisq́; ,ac quibus nihil ad eorum perfectionem desit, coloribus dotauit: multis uero, tanquam nouercæ muneræ functa, colores ita impertiuit, ut inchoatum opus, atque imperfectum reliquisse uideatur. In floribus enim, fructibus, ac seminibus synceri colores, atque omnibus suis numeris, & partibus absoluti conspiciuntur: ita & in quamplurimis radicibus, quanquam aliquanto minus conspicui uidentur; sed multo minus in folijs ipsis, caulibusq́; & germinibus: in quibus præter uiridem, nullum syncerum, purumq́; atque integrum colorem uidere est; Dioscorides tamen his, non secus ac alijs partibus, & nigrum, & candidum, & rubrum, & cæsium, aliosq́; ferè omnes colores adscribit. quod difficultates summas afferre solet. Scire igitur conuenit, cum Dioscorides plantam aliquam delineat, atque inter cætera notas à florum colore mutuatur: magna ex parte colorem illum syncerum, perfectumq́; quærere oportere. quem si non inuenerit simplicium indagator; dubius esse poterit, an talem plantam ut ueram admittat. Neque uero hoc contrarium erit ei, quod priore libro docuimus; scilicet quòd cum plantæ florum colorem uel suapte natura uariant, uel ob regionem, uel ob locum, uel ob aliquam aliam causam, nihil nos mouere debet, cæteris omnibus notis consentientibus, quo minus ueras esse affirmemus: ut exemplum de maiori symphyto dedimus; cuius flores nunc candidi, nunc purpurei, nunc lutei conspiciuntur; & tamen luteos tantum eos debere esse Dioscorides asserit: sic de Antirrhino, ac nonnullis aliis: quandoquidem hoc nunc nõ tollimus, sed de illis loquimur, quæ nullam suscepisse permutationem coniicimus; uel si suscipiant, raro hoc fiat; ueruq́; color, qui proponitur ma-

gna ex parte ita sit, ut proponitur. Dicimusq; in floribus colorem à Dioscoride attributum, nos perfectissimum quærere debere: quia in his natura eos absolutos completosq; ponere soleat; nisi impedita aliquam ob causam dilutiores, uel saturatiores nonnunquã efficiat: at in quibusdam aliis partibus non item fit. Neque enim si folia nigra, uel candida esse alicui plantæ Dioscorides proponat: iam nos exactam nigritiem, uerumq; candorem in illis quæremus, ut mox probabimus. Ergo cum Polygonaton inquit Dioscorides flores habere candidos; similiter & narcissum, & ligustrum, & multas alias: perfectum candorem, integrumque in his quæremus. Nec minus, cum purpureum colorem assignat uiolæ nigræ, gladiolo, fumariæ, uitici, aliisq; quamplurimis: uerum purpureum esse inueniemus. ita & cæruleum in anagallide fœmina, luteum in hyperici omnibus generibus, in quibusdam ranunculis, in leucoii una specie, & multis aliis. Phœniceum in anagallide mare, in Rhœade papauere, quanquam in hac candidus etiam nonnunquam spectetur, uel Dioscoridis testimonio. Verum, siquando minus conspicuos in floribus colores natura designauerit, nec defuerunt Dioscoridi nomina, quibus illos explicaret. Thymo enim florẽ tribuit purpurascentem; similiter & Cyclamino, aliisq; nonnullis: ut saturatum illum purpuræ nitorem excluderet, sed dilutiorẽ esse significaret. siquis enim Cyclamini florem cum uiola nigra, uel Hyacintho conferat, ut has inueniet merum puniceum colorem retinere, ita illam candore quodam, uel rubore suffusam aspiciet ita, ut multum inter se distare in coloris gratia uideantur, licet omnes purpurei appellandi sint. πορφυρᾶς græcis dicitur, quem differre à purpurascente satis constat. hunc enim πορφυρίζοντα dicunt. eadem ratione cicutæ, & colchici flores candicantes appellat, Orobanches uero subalbidos; sic & anemones speciem quandam candicantem florem, aut lacteum habere scribit. Lacteum colorem Dioscorides, (quantum apud illum obseruare ualui) iis assignare uidetur, quibus eximius ille candor, atque immaculatus non elucescit; sed ad fuscum ex aliqua parte uergit: ac propterea Iberidi lacteum florem constituit, necnon ornithogalo, cum hians se pandit, extra enim herbaceus est, ac quibusdã aliis: in quibus clarum est pulcherrimum illum candoris nitorem nõ conspici. Quòd si nomina Dioscoridi deerant, circunscriptione utebatur. unde, cum uideret in anchusa altera purpureum colorem non syncere, pureq; elucescere: ei florẽ purpureum in puniceum uergentẽ esse docuit; quemadmodum eadem ratione centaurio minori florem depinxit è puniceo in purpuram declinantẽ. Nec minus, cum uiderit in alismatis flore colorem illum candidum purum nõ uideri: descripsit illam flore candido

dido palleſcente. Luteum coloré non exactum,completumq;, uel pallidum, uel ſubluteum, uel aliqua circunſcriptione notat Dioſcorides, qui ſecundum omnes gradus pro uaria colorum miſtura in floribus uidetur. Qui enim de coloribus ſcripſere, rufum colorem cõſtituunt; quem tamen idem eſſe cum rutilo oſtendunt. hic prout intenditur,uel remittitur, ita uaria colorum nomina parit. nam & fuluum, & auri æmulum,& melinum,& luteum, & pallidum, & flauum ab hoc creari affirmant, pro uaria eius cum aliis coloribus miſcella, ut cum uiridi albo,nigro, aliiſq; nonnullis. Nec deſunt qui ξανθὸν, & ἐρυθρὸν addant, rubidum illud; hoc rubrum uertunt: quos ego alterius ſpeciei eſſe exiſtimo. Ergo merito cum Dioſcoride dicemus corniculatum papauer flore eſſe pallido, quia dilutius eſt, quàm ut luteus, uel aureus dici mereatur: quinimmo & multo magis hemerocallidis flos. propterea eius flores, colore perquam pallido eſſe docet; quemadmodum & elaphoboſcum flore ſubluteo. De aliis coloribus in floribus eadem ratio eſt. nam ſcordium ſubrubro flore depingit; necnon ſylueſtrem cannabim. ſic de nigro, cæruleo, aliiſque intelligendum eſt. Ergo ſi ignotas adhuc plantas perquirere intenderimus; notas ex florum colore ſumptas magna ex parte abſoluto, & exacto, ut à Dioſcoride proponitur,quærere debemus: ut Acaciam nullam plantam eſſe exiſtimabimus,niſi cum aliis ſignis floré exacte candidum habeat; ita & Moly. nam non parum erraſſe eos conſtat,qui diuerſas plantas pro coronaria lychnide oſtendunt, floribus uel ſubpurpureis, uel ex purpureo rubris, uel rufis conſtantes: cum ſciamus à Dioſcoride purpureum colorem ei tribui: qui cum in floribus ſit;perfectus quæri debet. ac propterea Senenſis opinio in hac planta ad ueritatem, mea quidem ſententia,magis accedit. quam ob rem Anthyllidis florem(ſi ueram adinuenire optemus)non purpuraſcentem, non ex purpureo ad aliũ quemuis colorem uergentem, ſed uere purpureum quærere oportebit: ita & in peucedano abſolute luteum, & in aliis eodem modo. Seminum uero fructuumq; eadem ferè obſeruatio eſt. in his enim colorum exacta,exquiſitaq; proprietas elucet: nam & uere nigra ſemina, uere fuſca, uere candida,lutea, purpureaue cernuntur; ita & fructus. candidum nanq; ſemen poſsidet papauer ſatiuum, & tertia hyoſcyami ſpecies, neque quicquam eſt,quod ad abſolutum eorum candorẽ deſideretur: quemadmodum & Smyrnium, ligуſticum, papauer corniculatum, aliaque quamplurima meram,ac ſine ulla alterius coloris mixtura nigredinem in ſeminibus retinent. Rectam igitur & appoſitam contemplabitur quis in utroq; hormino ex ſeminum colore differentiam, cum in ſylueſtri fuſcum,in altero nigrum eſſe dicit; nam ambo hi colores perfe-

cte

ctę conspiciuntur: quemadmodum in securidacæ, & papaueris erratici semine, & aliarum quarundam, rufus: in pæoniæ quibusdam seminibus, & in xyride ruber: in Aro, & somnifero solano croceus. hi colores speciosissimi in hisce seminibus conspiciuntur; ac propterea uere illos exprimere uoluisse Dioscorides est existimandus. Nam in quibusdam, cum absolutam coloris gratiam non uidebat, aptis uocabulis notabat: ut in floribus fecisse ostendimus; nam hyoscyami secundi semen subflauum, & rutæ syluestris subrufum appellat. Idem de fructibus dicitur. in hederæ enim nigræ, ligustri, daphnoidisq; fructibus, ac multis alijs, nihil ad exactam, perfectissimamq; eorũ nigredinẽ desiderari potest: ita & in alijs coloribus à Dioscoride propositis, quorum mentionem non facimus, ne nimio exemplorum cumulo lectorem molestemus: illud tamen unum breuiter dicemus, in fructibus etiam, vt et in alijs, colores minus conspicuos Dioscoridem absolutorum nominibus non appellasse. nam rubi canini fructum per maturitatem fuluescere; ruscI rubescere docet. Hortensis solani fructui nigricantem, aut fuluescentem colorem tribuit; quia neque uere niger, neque uere fuluus unquam uidetur. Non sic in uesicario solano, cuius fructum (quod semen appellat) quia uere fuluus est, fuluum uocat. Sic in mandragoræ generibus: nam fœminæ mala esse pallida dicit; mari in crocum inclinantia. Siquis autem eorum, quæ apud Dioscoridem sunt, non sit contentus, ad fructus, qui in Italia edẽdo sunt; quiq; ab omnibus ferè cognoscuntur, se conuertat. ut in cerasiorum multis generibus; item in malis, tam his, quæ ita absolute appellari solent, quàm in medicis, citrijs, cydonijs, pyris, armeniacis, persicis, alijsque quamplurimis. in his enim perfectissimos omnes colores cõtemplari poterit. Sed ad radices sermonem conuertamus: in quibus non æque omnibus insignes colorum species uidentur, sed in quibusdam duntaxat. Nam inter ea, quæ à Dioscoride describuntur, polygonaton, cucumis syluestris, colchicon delibratum, & quædam aliæ, perfectum exquisitumq; in radicibus candorem retinent; atque inter ea, quæ non describuntur, allium, cepe, detractis primis indumẽtis, raphanus, radix, & multæ aliæ. Sed bona eorum pars, quanuis à Dioscoride dicantur, à summo illo candoris nitore declinant. Sphondilij etenim radix, & pæoniæ maris, & nonnullæ aliæ, quas candidas vocat Dioscorides, à superius enumeratis radicibus candore multum relinquuntur. unde rectius fortasse subcandidæ, aut ad candidum colorem inclinantes appellarentur: quemadmodum appellare meminit in papauere erratico, in acoro, ac quibusdam alijs, nunc subcandidas, nunc albicantes appellans. Nigrum præterea merum, absolutumque

omnibus

omnibus numeris colorem in nulla ferè radice reperire eſt; ſed uel fuſcum,uel nigricantem.nam quod cyperum,cyclaminum,filicem,multaſq; alias plantas nigra radice deſcribat, ſynceram nigridinem nullo pacto intellexit: quinimmo & in his, quæ nigri cognomen à radicis colore ſortita ſunt, nec uerus nigror conſpicitur: quis enim tam helle bori nigri, quàm nigri chamæleonis radices non fuſcas potius, quàm nigras dixerit? ſed quia nullum alium colorem per exuperantiam in omnibus his uigere animaduertebat:potuit quidem eas nigras appellare; ſed ſi ad propria nomina confugiſſet,doctrinam nobis abſq; dubio clariorem reliquiſſet. Verum inter fuſcum, & nigrum tam parua eſt differentia: ut multi philoſophi alterutrius appellatione utrunq; includerent. nam & Theophraſtus hoc VI. de cauſis,cap. IIII. innuere uidetur, cum colorum genera proſequitur. inquit enim colorum genera eſſe ſeptem, ſi fuſcum colorem non alium, quàm nigrum poſuerimus. Fieri poteſt ut Dioſcorides hanc ſectans ſententiam, nigri appellatione nunc fuſcum, nunc uere nigrum intelligat. quòd ſi nonnunquã ſecernebat,ut in Horminorum ſeminibus:uel alteri opinioni innitens hoc efficiebat; uel ut clarior uideretur. nam fuiſſe nonnullos qui hos colores,ut diſtinctos proponerent,clariſsimum eſt:ac propterea ſubiungebat Theophraſtus, At ſi ſecernes fuſcum à nigro; octauũ hunc eſſe neceſſe eſt. Nam & Dioſcorides in multis hos manifeſte diſiunxit, ut in echio, cuius radicem nigricare aſſerit, & in multis aliis: ſed aliorum colorum,qui à ſummis declinant,propria protulit nomina. ita nanque dilucidior eſt: ut in colchico, quod radice foris è nigra rufeſcentem eſſe ſtatuit; ac multo magis glycyrrhiza, & ariſtolochia utraque; quarum ut colores in radicibus attentius deſignaret, ad ſimilitudinem potius,quàm ad nominum colores confugit. has enim buxei coloris eſſe autumat. in alijs coloribus eadem quiſque per ſe obſeruare poterit. Iam uero ad frondes accedamus, atque ad caules, cęteraſq; ſtirpium partes,de quibus promiſcue agemus. Eadem enim ferè in omnibus conſideratio eſt; atque interim ſermonis longitudinem uitabimus. In folijs igitur, ramis, caulibus, germinibus, alijſq;, quæ quodammodo plantis omnibus formam, figuramq; oculis expoſitam prębent, (radices enim terra occuluntur, flores, & fructus, ſeminaq; ad certum tantummodo tempus conſpiciuntur)nullum exactum, merumq; colorem uidere eſt,præter virentem; ſiue id explicetur à Dioſcoride, ſiue minus: ſed cum uel album, uel nigrum, uel rufum, uel alium quemuis colorem his aſcribit; ita intelligemus, ut ex uiridi ad album declinet, uel ad alios colores. quis enim uel polium montanum, uel cytiſum, uel rhamnum uere candidos dicat, aut botrym

trym uere luteam: & tamen Dioscorides in totum candidas illas esse asserit: hanc luteam totam, quemadmodum & tertiæ chamæpitydi ramos candidos, & folia: stachydi, papaueri corniculato, & gnaphalio folia cana. in quibus fortasse candoris nomẽ ferendum esset, etiamsi ut omnia alia, multo tamẽ magis, candidus color superfundatur uiridi. sed cum maris mandragoræ folia candida esse asseuerat; similiter cum staphydi agriæ, necnon ballotæ cauliculos tribuit nigros, Cori folia rubra; Telephio cærulea; echio & solano hortensi nigra; chelidonio maiori cæsia, & Theophrastus laserpitio auri æmula: quis non uidet ualde improprie in his huiusmodi colores assignasse? nam nec in chamæleonis nigri foliis, nec in eryngij spinis tam multi illi colores perfectissimi inueniuntur; quanquã rectius intuenti uidebitur cæruleus color in eryngio exactus esse. Has igitur ob causas hisce particulis Dioscorides maiori ex parte absolutos colores non adscribit; sed supremũ illum eorum gradum quibusdam loquendi formulis infirmat, attenuatq;: ac propterea abrotonum fœminã, & marrubium candicantes; hypericum subrubrum fruticem appellat: Ideo etiam ascyri, & paralij tithymali ramos, androsæmi uirgas, chamæleonis nigri & orobanches caulem, similiter & maioris hieracij, uel subrubente, uel subrubro, uel rubente colore esse tradit: quemadmodum & phu caule in purpurã vergente, aron subpurpureo, tertiam Syderitim subcandido, & subrubicundo, helxinem subrubente, cynocramben subalbido cõstare asseuerat: sic & sambuci surculos candicantes appellat, nardi celticæ folia colore in flauum languido, saluiæ subalbida, rhois subrubentia, Smyrnij colore in luteum langueſcente, capni cineracei coloris, eupatorij nigricantia, similiter & pæderotæ acanthi, quam ob rem melamphylli nomen sortitur, & alia quamplurima nominibus huiusmodi uocitat, quibus eos colores quodammodo remissos, atque imminutos esse ostendit, non autem exactos, cõpletosq;. Atque, ut summatim dicam, in hisce plantarum partibus, sed potissimum in folijs, semper uirens, siue herbaceus color intelligendus est; qui perinde ut albo, uel nigro, uel rubro, uel alio quopiam colore plus minus aspergitur, ita uel albi, uel nigri, uel rubri, uel subcandidi, subnigri, subrubri, denominationem hisce particulis impertit. Sed in his omnibus duo maxime omnium animaduertenda sunt: primum quidem has colorum proprietates, tam si proprie, ac in summo gradu, quàm si improprie, uel remisso gradu accipiantur, magna ex parte ita intelligi debere, non autem perpetuo. euenit enim, ut in floribus, alijsq;, quibus conspicuos colores quærendos esse docuimus, minus insignes nõnunquam uideantur: & in folijs, atque his, quibus nullum summũ colo-

rem

rem præter uirentem adscripsimus, quandoque absoluti, atq; ex omni parte perfecti insint. Aristolochiæ enim longæ flori, etiamsi purpureus color tribuatur à Dioscoride; siquis tamẽ attentius intueatur: uerum illum purpureum colorem in eo non aspiciet: quemadmodum neque perfectus candor uidetur in rhamni tertij fructu, nec ruber in limonij semine; tametsi his huiusmodi colores ascribat Dioscorides, ita & in nonnullis alijs. Contra uero ornithogali cauli uerum candorem; Adianti coliculo uerum nigrorem, pariter & eryngi frondibus ac capitulis cæruleum exactum colorem, & alijs quibusdam eodem modo uidere est. sed etiamsi uerij perfectiq; colores in folijs, caulibus, nonnulliſq; radicibus non sese ostendant: est tamen maximi momenti eorum explicatio ad plantarum cognitionem: quando ex eorum uarietate commostrata stirpium effigies multo rectius deprehendatur. quod tamẽ uix à paucis obseruari nostra hac tempestate uidemus. sed cum colorum diuersitatem in plantarum partibus nihili ducant, in eas difficultates delabuntur, ut multa absurda, sensuiq; penitus reclamantia & loquantur, & scribant. quod verbenacæ exemplo patere potest: quam cum à sacra herba longe diuersam constituat Dioscorides, præsertimq; ex foliorum colore (illi enim candicantes frondes; huic subcæsias tribuit) omnes tamen ferè earum historias ita confundunt, atq; permiscent, ut non amplius diuersas, sed easdem ferè efficiant, reclamante prorsus Dioscoridis scriptura: neque aliam inter has discrepãtiam inuenere, nisi quòd altera ramis ad terram inclinatis, alteram rectis efformant. Sed siquis rem omnẽ considerate (ut decet) intueatur; inueniet vulgarem verbenam appellatam nullo pacto Dioscoridis uerbenacam esse: sed potius sacram herbam. color nanque aliquatenus cæsius in huius folijs manifestissime cernitur, nunquam autem subalbida spectantur. Adde, quòd & hæc nunquam singulari ramo, radiceq; sola inuenta est, (quod sæpius uerbenacæ euenire Dioscorides tradit) sed pluribus semper. Immo & magnitudo, & facultates diuersissimæ sunt; & si Plinius utriq; easdem uires tribuat, sed eius historia omnino titubans uidetur, nam à Dioscoridis sententia multum uariat, immo & à re ipsa. Veram nanque Verbenacam nobis diu quæsitam, tandem adinuenimus prope Bitontum in Apulia, in alueo quodã ad excipiendas pluuiales aquas parato: iusta quem maximus eius prouentus erat; neque quicquam uidebatur, quod cum Dioscoridis descriptione non penitus consentiret; inter quæ consideratione dignum fuit foliorum color albidus, quæ & subhirsuta etiã erant floribus folijsq;, ut longe quàm sacra herba minoribus, ita in figura ualde similibus. Ramulis constabat quadratis, dodrantalib. omnibus per terram sparsis, tribuli terrestris

terrestris more; neque ullus in altum assurgebat: ex qua quidem re-
supinam hãc Verbenacã à quibusdam appellatam fuisse absque dubio
credendum est. Atque hoc est unum, quod animaduertere debebamus.
Alterum est, ut, si seminibus, uel fructibus, uel radicibus, uel cuiuis
plantæ parti color aliquis simpliciter, ac sine ulla additione destinetur,
illum in maturitate, non autẽ dum adhuc acerba, uel imperfecta hæc
sunt, intelligamus. Præterea eos colores in summa superficie, antequã
uel abrumpantur, uel decorticentur, sumere debemus, non intus; nisi
ab auctoribus in vtrisque explicetur. Dioscorides enim fœminæ man-
dragorę fructum pallidum tribuit: qui ita est, dum maturitatẽ est ade- 10
ptus; verum antequam ad hanc perueniat, herbaceus conspicitur: ita
& in hedera nigra, & sambuco. nam cum illi nigras baccas tribuat;
huic in nigredine subpurpureum acinum, dum tamen acerba existũt,
uiridi colore uidentur. Sic in omnibus ferè fructibus palato gratis eue
nire certissimum est. Idem etiam dici posse de seminibus nemo non
consentiet: quæ Dioscorides uel nigro, uel luteo, uel rubro, uel alio
colore designat; quibus tamen non adhuc maturis, longe alij colores
insunt, paulatimq; meliorem concoctionem suscipientes, in illũ trans-
mutantur, qui fuit à Dioscoride propositus. Quin & in floribus idẽ
obseruari debet: ut scilicet præmaturos, non incompletos eos acci- 20
piamus. solent enim magna ex parte alium colorem imperfecti, alium
perfecti retinere; atque, ut summatim dicam, initio non ita saturati cõ-
spiciuntur. quod de nepa Theophrastus refert, cuius flores initio can-
didi; postea leuiter ad purpureum accedunt. Idem & circa nonnullas
radices obseruare est; necnon circa caules, ramos, uiticulas, sarmen-
ta, surculos, & alias id genus stirpium particulas. quæ omnia studio-
sus lector per se considerare poterit. quanquam circa has non sem-
per hoc uerum inuenietur; quando iam in superioribus satis pro-
bauerimus, Dioscoridem non omnes plantas in ultima earum ætate,
ac cum perfectam maturitatem adeptæ sunt, descripsisse: sed, ut uel flo- 30
rens, uel semine prægans, uel cum adhuc tenera herbula esset, illi ad ma
nus aderat, ita illas depinxisse. In seminibus uero, & fructibus, quia in
maturitate legi semper ferè solent: quod diximus absque ullo dubio
obseruandum est. Debent præterea (uti dicebamus) his colores omnes
in extrema partium superficie intelligi, non postquam delibratæ illæ
sint. Nam si Daphnoidem nigrum habere in fructu colorẽ cum Dio-
scoride dicemus: eius extimã partem hoc colore imbutam recte qui-
dem inueniemus; sed delibrata, candida est. Ita & in canirubo fulue-
scentem extra colorẽ uidere est; intus uero candicantem: sic & in om-
nibus ferè seminibus. si nanque piper nigrum ab interiori eius parte
denomi-

denominemus, cõtrariam ei denominationem (hæc enim candida eſt) aſsignabimus: ſic & in omnibus ferè alijs tum ſeminibus, tum radicibus. nam hæc clariora quidem ſunt, quàm ut pluribus exemplis comprobari poſtulent. Quòd ſi auctores (ut quandoque ad clariorem ſimplicis doctrinam ſolent) tam externorum, quàm internorum colorum explicandorum prouinciam ſuſcipiant; ſi neque etiam illos tædeat & acerborum, & maturorum colores in medium afferre: nihil eſt quòd ad ſolam maturitatem, uel ad ſuperficiem ſolam confugiamus: quando hoc eſſet auctoribus, à quibus doctrinam haurire cupimus, contradicere; ac propterea ſuperius monuimus, hæc omnia ita obſeruari debere, niſi aliter ab auctoribus declarentur. Solet enim Dioſcorides hos colores per omnes ætates, & per omnes partes non raro explicare. ut in corno, quam dicit baccas ferre, quæ primum uirent, dein per maturitatem rubeſcunt, aut ceræ colorem repreſentant. Hortenſis etiam ſolani fructum uiridem eſſe ſcribit, qui poſt maturitatem nigricat, aut fulueſcit. Sic in ſeminibus; nam rubiæ ſemen inter initia uiride eſſe tradit, mox rubrum, poſtea, cum ematuruit, nigrum. Dracunculum ſemen habere colore primum herbaceo, cum ematuruit, croceo. Sic & circa partium diuerſitatem; ut ſtaphidis agriæ nucleum, ex nigro ſubfulueſcentem eſſe exteriore parte conſtituit; intus album: lathyrim granis cortice exutis candidis depingit; ut cum cortice alium coloré poſsidere intelligat. quod res ipſa oſtendit; etiam ſi nõ explicet: quemadmodum & in ariſtolochiarum radicibus, quas colore intus buxeo delineat, externæ partis nullam mentionem faciens: quam tamen alio colore debere eſſe innuit. Chamæleonis nigri radicem nigram eſſe ponit, ſed diſſectam flaueſcere: Smyrnij radicem cortice foris nigro, intus uiridi, aut ſubalbido, ſic & in innumeris ferè alijs. Tam multa partium plantarum in coloribus exempla non abſque conſilio appoſuimus; quãdo ex his apud Dioſcoridẽ parum diligenter cõſideratis, uel ſummi uiri in graues errores prolapſi ſint, præſertim in Thymelæa. cuius fructus inuolucrũ cũ Dioſcorides dicat foris eſſe nigrũ, intus albũ: illi nigras baccas per maturitatẽ in thymelęa quęſiuere; nõ animaduertentes ibidẽ Dioſcoridẽ Thymelæam fructu myrti depingere, qui inter initia uiret, & tandẽ rubeſcit. unde plantã quandã nigro fructu pro thymelæa oſtendunt; quæ tamen ipſa nõ eſt: licet ei congeneré eſſe negari non poſsit, tum ob foliorum & ramorũ ſimilitudinem, tum etiam ob eaſdem facultates. Sed ueram Thymelæam uidimus nos uberrime prouenire in campis inter Caietam, & Fundanum oppidum in maturitate rubicundos fructus ferentem: uidimus eam etiã in Apulia prope Barum; & in Sicilia inueniri ſcio. fructus autem, & flores in ſummis

mis uirgis racematim proueniunt, non ut pictura Senensis ostendit, per uirgas ab infima earum parte ad summum. uerum quod in hoc erratum præclaros hosce uiros induxit, inter alia est minus proba græ cæ dictionis uersio. nam ubi habet τὸδὲ περικάρπιον σκληρὸν καὶ μέλαν, τόδ' ἐντὸς λευκόν. ita uerti debet; fructus inuolucrum durum & nigrũ, pars autem interior alba: non, ut omnes ferè interpretantur, Inuolucrum fructus durum, foris nigrum, intus album. quia illa dictio, foris, non est in græco. neque per pericarpium intelligere possumus carnem fructus exteriorem; quia illa rubicunda est, & tenera. hoc autem Dioscorides uult esse durum & nigrum, sed intelligemus nucleum carne nudatum, quod quidem ita est: sed, quod intra eum continetur semẽ, candidum est. quod expressit per hanc uocem τὸ ἐντός. neque nos mouere debebit, quod fructus operimentum illud appellet, cum sit re uera seminis inuolucrum: nam priore libro, fructum pro semine, atq; hoc rursus pro fructu sæpius Dioscoridẽ accipere longioribus probauimus. Sed quòd illa uox, τὸ ἐντός, uerti debeat interior pars seminis; ex his, quæ mox subdit, manifeste colligitur. cum enim eius facultates recenset, ac quã partẽ fructus sumẽdã esse oportere docet, ita habet. ὅπερ, καθαίρει κάτω χολὴν, καὶ φλέγμα, καὶ ὕδωρ ὅσον κ. κόκκων τὸ ἐντὸς πιθέν. Quæ uerba ita omnes interpretantur. Hoc per inferna bilem, pituitã, aquasq; detrahit, si uiginti granorum pars interna bibatur. Verum quòd Thymelææ fructus per maturitatem rubescat, non autem niger fit, prẽter nostrum testimonium, ac Dioscoridis auctoritatẽ, est etiam Theophrastus, qui IX. de historia, cap. ultimo, ita illum describit, Granum gnidium rotundum, colore rubrũ, maiusq; pipere est. Illud tamen nos obseruauimus, fructus illos cum primum decerpti sint, rubicundum illum colorem amittere, atque nigrum contrahere: quod forte etiam errandi ansam his tribuit, qui cum non in uirente planta fructus, sed exsiccatos uidissent, nigros esse protulerũt. Ergo cum tres partes Thymelææ fructum perficiant, caro exterior, nucleus durior, & semen: uoluit has omnes ex colorum uarietate ita nobis demonstrare Dioscorides, ut priorem inter initia uirentem, & tandem rubescentem ponat, alteram nigram, tertiam candidam. sed satis digressum sit. Porrò ut huic negotio finem imponamus, in flore hoc unum particulatim obseruare debemus apud Dioscoridẽ. is enim cum illis colores notat, etiam si uariegatos eos accipiat; raro tamen eorum uarietatem declarat; sed candidos, luteos, purpureos ue appellat, uel à maiori parte sumens denominationem, uel ab ea, quæ uariari magis circa colores solet. si nanque flores omnes inspiciamus, uix paucos reperiemus, qui non duobus, aut etiam pluribus coloribus aspergantur.

in his

in his tamen pars aliqua eſt, quæ uel omnibus, uel certe pluribus, ſem per eodem colore ſpectatur, ab hac parte coloris denominationem (etiam ſi maior ſit alijs, quæ uariari ſolent) ſuſcipere conueniens non eſt. quando uel omnes flores, uel certe bonam eorum partem unico colore depingere oporteret. quod quantas tenebras ſtirpium ueſtigatoribus apportare poſſet, quiuis per ſe exiſtimabit. quòd ſi omnes colorum diuerſitates proponerentur; profecto nihil optatius in hac diſciplina haberi poſſet. uerum quia auctores hoc onus detrectare uidentur; hoc ſaltem illis ſummæ curæ fuit, ut per eas partes eorum colores deſcriberent, quæ uarietates multas ſuſcipiunt; ſic lilia candida, & purpurea appellant à maiori parte, quæ in his floribus ita ſpectatur, & ab his quæ uariari ſolent, nempe à folijs. hæc enim uel candida, uel purpurea ſunt, quanuis & lutea etiam inueniantur: ſed filamenta illa, ſiue ut Plinius uocat, ſtamina lutei coloris in omnibus ſpeciebus uidentur, neque ullam uarietatem ſortiuntur. ſi igitur ab his filamentis denominatio ſumeretur; omnes haſce liliorum ſpecies luteas appellare neceſſe eſſet. Quid? quod in omnibus ferè floribus, qui unico colore non conſtant, mediæ illorum partes luteæ ſunt; raro pallidæ, aut herbaceæ; rariſsime alio colore imbutæ; ſed quæ uariationem ſuſcipiunt, folia ſunt, uel calathi, quæ medias partes circumambiunt. Sic roſas uel rubras, uel candidas, uel roſeas dicimus. ſic Mileſiæ (ut cum Plinio loquamur) ardentiſsimus colos tribuitur: Trachiniam minus rubentẽ: Alabandicam albicantibus folijs deſcribimus. Ita & Dioſcorides, cum anthemidum omnium flores deſcriberet; omneſq; uarietates apponere uoluiſſet: omnes tres ſpecies floribus in medio aureis conſtare aſſeruit; quia hæc pars uariari non ſolet: ſed ſubdidit, forinſecus orbiculato ambitu candidis, melinis, aut purpureis, magnitudine foliorum rutæ; quia hæ diuerſitatem ſortiuntur: quod & in parthenio etiã expreſsit; & in nymphæa, & multis alijs, quæ fortaſſe explicare opus nõ fuit. At uero cum florum colores quandam ueluti miſcellam, ac confuſionem inuicem habent; quibus non licet unicum coloris nomen imponere; cum ſcilicet neque eſt maiorem coloris portionem in una parte aſsignare; nec partem, quæ uarietatem habere ſolita eſt: neceſſario omnes colores explicandi ſunt. quod à Dioſcoride perbelle effectum eſt. Nam hippophaën flores candidos dicit habere, ex parte rubeſcentes: Ornithogalũ, foris herbaceos, & cum hiantes ſe pandunt, lacteos: Achilleam Syderitim floribus conſtare candidis, purpureis, & aurum æmulantibus: Irim candidis, pallentibus, luteis, purpureis, aut cæruleis; qua diuerſi coloris ſpecie quædam cæleſtis arcus imago repreſentari uidetur: Paſtinacam ſylueſtrem floribus candidis, & in medio exi-

guum quiddam cerni colore purpureo, ferè ad croceum accedente; & in multis alijs eodem modo. Verum in chamæleone nigro subobscuram floris, ex colore historiam reddidit, uersicolores eos esse absolute pronuncians: quanquam uidetur purpureum colorem exprimere per hoc, quod dicit hyacinthi esse æmulos. sed rem ipsam longe clariorem reddidisset, si purpureum colorem candido mixtum explicasset. quod tamen explicare non piguit in sesamoide minori, flores ei penè purpureos tribuens, medio eorum albo: & in xyride, cui purpureum florem assignat; qui tamen in medio puniceus sit. in his enim, & consimilibus necesse est florum uarietates proponere: quia rarissime (uti prædiximus) in florum medio alius color, præter luteum inuenitur. Quod si quandoq; uel candidus, uel puniceus, uel alius præter illos uideatur, operæ pretium est, eos ueluti quandam rei nouitatem scriptis mandare. His igitur ita consideratis, siquando à Dioscoride color aliquis simplex in floribus proponatur, ut certior fias an planta, quam in manibus habes, ea sit, quã ille delineat; etiã si uarios in colore flores aspicias; si ille color applicari potest ad partes illas, quas docuimus: dubitare nullo pacto debes, (cæteris tamẽ notis nõ reclamantibus) quin ueram esse existimes. Scio enim quosdã, qui dum res accurata diligentia contemplatos se esse uideri uolunt, non esse ueram stratiotem millefoliam, plantam illam asseuerant, qua pro millefolio uulgo utuntur: inter alias, hanc ut potissimam rationem adducentes, quòd Dioscorides ei candidos flores tribuat, qui tamen potius pallidi, uel cinerei in illa planta uidentur. nam quanuis (inquiunt) foliola, quæ, quod in medio est ueluti capitulum, circundant, candida sint, tamen cum capitulum illud longe magis appareat, quàm folia: ab eo denominatio sumenda est. at hoc cinerei est coloris: non igitur uerisimile est Dioscoridem candidum coloré appellare uoluisse, qui cinereus, uel pallidus sit. Hi quàm sint ridiculi, non id solum ostendit, quòd circa inania quædam laborant, sed quia falsa etiam oblatrant; quando foliola illa candida, quæ per ambitum sunt, ita pallescentem capitulorum colorem obscurant, ut absq; dubio uniuersa umbella candidissima spectetur: sed quàm cæteræ notæ conueniant doctissimorum uirorum communis sententia satis ostendit; neque decet rem, de qua minime dubitandum est, in contentione ponere.

Quòd

Quòd multa in Dioscoride menda adsint, quæ plantarum cognitioni sunt impedimento. Cap. XVI.

AVCTORVM descriptiones non accõmodabantur medicamentis, quatuor modis: inter quos non leuem rationem habuisse diximus depraua tum codicem. Cum enim ex eo auctoris mens peruertatur; simplicis etiam historiam à ueritate abhorrere necesse est. Euenit enim Dioscoridis uoluminibus, quod omnibus ferè antiquiorum libris euenisse scimus; nempe ut propter temporis longinquitatem, necnon librariorum incuriam, multa in eo legantur, quæ quandoque nullum rei sensum exhibent, quandoq; ueritati ipsi omnino refragantia existant: & propterea multas plãtas uel omnino incognitas, uel difficillimæ saltem cognitionis nobis reliquerunt. Non defuerunt tamen uiri summo iudicio præditi, qui multa loca, uel ex ueterum exemplarium codicibus emendatioribus, uel à rei ipsius necessitate coacti, pristinæ lectioni restituerint. Contra uero multi in admirationem ueniunt; illosq; reprehendunt, quippe qui uelint capita Dioscoridis ad plantas ab illis repertas, non autem plantas (ut deceret) ad capita accõmodare. Verum hi non recte sentiunt. nam quòd multa in Dioscoride superaddita sint, multa deficiant, multa etiam uera, ac genuina lectione exuta, alienam falsamq; induerint, omnibus ferè concessum est: quæ in illo eueniisse perspicimus, non solum in omnibus uarietatum generibus, ut in substantia, quantitate, qualitate, situ, ordine, tempore, ac alijs, quæ sub his continentur, sed in multis etiam ex illis, quæ horum causas esse diximus, ut est locus, regio, ætas, uetustas, &c. quin & in nominibus atque speciebus, nec minus in facultatibus ipsis idem cernitur. Hæc uero omnia, quanuis magna ex parte librariorum incuria euenire soleant, aut temporis iniuria; ut cum uel caries, aut tale aliquid paginæ partem corroserit, sensumq; è medio abstulerit: tamen aliæ sunt causæ, nempe quorundam curiosorum superstitiones; qui nonnunquã addere, nõnunquã & demere à Dioscoridis scriptura aliquid ausi sunt. Quin etiam interpretum uitio idem sæpius accidit: quippe qui græce phrasis energiam, ac uim in quibusdam non satis assequantur. Sed exemplis rem omnem demonstremus, à substantia incipientes: historiam de Dictamo cretico mendosam esse, non leui quidem argumẽto, suspicati sumus. falsum enim proculdubio est, quod dicit Dioscorides florem nullum, aut semen profert. uidemus enim in planta, quæ pro dictamo Cretensi ab omnibus ostenditur, tum flores, tum semina inesse. nam quanquam florum fructuumq; uacuitatem ob regionum

naturas posse euenire superius ostendimus: tamen magis ad credendũ inducimur locum in Dioscoride peruersum esse ita, ut illa negatio non tam partes, quàm partium facultates auferat; atque ita restituatur locus: flores, & semen nullum usum præstant; ut uelit Dioscorides idem cum Theophrasto dicere, qui IX. de historia, cap. XVI. ita habet. Vsus foliorum, non ramorum, nec fructus est. nam cum Theophrastus dictamo ramos, & fructus tribuat: neque possint fructus esse, nisi flores etiam præcesserint, (ut magna ex parte in plantis fieri cernimus) uidetur & flores tacite ei uelle inesse. Cur igitur negauerit Dioscorides, quod Theophrastus affirmat, si uterque eandem plantam non diuersas describit? Hoc Dioscoridis mendum, quod primi nos animaduertimus, tantum ualuit apud nonnullos, ut crederent dictamum creticum adhuc esse incognitum; plantamq; quæ floribus & seminibus careret, esse quærendam. Huic non absimile mendum apud Plinium legitur in Polypodij historia, lib. XXVI. cap. VIII. hanc enim plantam florere asserit, & semen non ferre: cum ita potius, uel consimili modo reddendus locus sit. Nec floret, nec semen fert. quod planta ipsa nulli non cognita satis ostendit. Sunt & deprauationes, quæ quantitatem uariant: quam ob rem difficillimæ cognitionis simplicia redduntur. hoc in brassica marina euenisse cuiuis notissimum est. nam ubi legitur, folia μακρὰ, ideſt longa, nisi μικρὰ, ideſt parua, legatur: soldana uulgo apppellata, nullo pacto erit brassica marina, atq; ita quærendam nobis remaneret planta, quæ apud omnes ut notissima habetur. Sunt etiam, qui mendosum putent id, quod de folijs lithospermatis dicitur, ea scilicet esse oleæ folijs longioribus, & latioribus: quando ex re ipsa emendandum sit, breuioribus, & angustioribus. Idem in quantitate discreta uidemus, tam in numero generum simplicium, quàm specierum, quàm etiam partium eorundem, atq; hoc quidem tum in aucto, tum in deficiente numero. Nam quòd integra capita resecta sint à Dioscoridis uolumine ab his, qui illum pristinæ lectioni restituere conati sunt; quodq; etiam nonnulla capita in eius libro reponi debeant, clarissimum est. Caput enim de Cyphi Marcello suppositicium est; nec minus id totum, quod de cæruleo leucoio extat. Nec defuerunt, qui caput de bacchari, de chrysanthemide, de Iberide, & alia quædam Dioscoridis spuria esse crederent. quanquam hos non recte sensisse in superioribus demonstrauimus. Verum quòd multa in Dioscoride deficiant, indicio sunt aliorum antiquiorũ scripta, qui multa ex eius sententia ponunt, quæ tamen apud illum uidere non est. Galenus VII. simplic. Myles radicem describit, asseritq; Dioscoridem scribere apertam uuluam sanare; cum tamen de Myle in

Dioſcoridis codicibus,qui nunc in hominum manibus verſantur,nul
la extet mentio.Serapio alcyonij quarti facultates ex Dioſcoridis pla
citis enumerat. ſed apud Dioſcoridem deficiunt; ſicuti & multa alia
apud Serapionem leguntur, quæ à Dioſcoride ſe tranſcripſiſſe affir-
mat; & tamen in eo non extant. Refert Paulus Dioſcoridem ſcribere
Oenathen morbum regium ſanare: ſed hoc apud Dioſcoridem non
extat; unde putandum eſt hoc in eo perijſſe. Oribaſius, qui ſimpliciũ
hiſtoriam ad uerbum ex Diorſcoride tranſtulit, inquit Delphinium à
nonnullis diachryſin, ab alijs hyacinthum appellari.quod in Dioſco-
ride legere non eſt: & tamen reliquum hiſtoriæ ne uerbo quidem va-
riat. Quin & Galenus VII. ſimpliciũ teſtatur coriannum à Dioſcori-
de corion uocari: quod nomen in eius codicibus non legitur.Sunt &
apud Meſuem, alioſq́; nonnullos barbaros id genus, alia quampluri-
ma ex Dioſcoridis ſententia ſcripta, quæ apud illum nõ ſunt.quæ nos
ideo ſilemus,quòd Arabum libri multis mendis cum ſcateant, in his
non multa eis fides eſt adhibenda. Nec deſunt in ſpecierum numero
uitia:quemadmodum nos in uitice eſſe nõ ſpernendis rationibus con-
iecimus. Primum quidem, quia omittitur diuiſio in magnũ & paruũ:
deinde, quia duo eius genera ſtatuit, & nullam niſi in florum colore
differentiam apponit; quam nunquam, uel raro curaſſe Dioſcoridem
in ſuperioribus, cum de eius more loqueremur,comprobauimus: po
ſtremo, quia Plinius, qui ex eo uniuerſam ferè deſcriptionem uidetur
ſumpſiſſe, quædam alia habet, quæ clariorem eius hiſtoriam reddũt.
Diuidit enim Plinius uiticem in maius, quod in arborem aſſurgere ſa
licis modo tradit; cui florem album cum purpureo tribuit; & minus,
quod & nigrum apellat, purpureum tantum florem ei tribuens: ita ut
ubi in Dioſcoride habetur, Vitex frutex eſt in arborem aſſurgens:for-
te ita, uel conſimili modo iacere debet. Vitex aliud eſt frutex, aliud in
arborem aſſurgit. uidetur enim omnino in hac ſcriptura aliquid deſi-
derari. Cum enim dicimus fruticem aliquem in arborem aſſurgere,
non abſolute pronuntiamus, ne de omnibus intelllgere uideamur,
quæ eiuſdẽ ſpeciei ſunt, ſed quandoque hoc accidere ſignificabimus;
ut ratione loci, uel regionis, uel cæli, uel aliqua id genus cauſa: neq;
ex ſui natura id euenire, ſed ex accidente. Quare ſi ita dixiſſet, Vitex
frutex eſt, quandoque in arborem aſſurgens, uel quibuſdam in locis,
uel aliquid tale addidiſſet, minorem ſuſpitionem nobis reliquiſſet:ſed
impropriius eſt loquendi modus, ut id fruticem appellet,quod ſemper
arbor fit. Verum hoc an ita ſit,aliorum iudicium eſto. Idem euenit in
ſimpliciũ partibus. Helenij nanque flores deſcribi in codice antiquo

Marcellus auctor est. sed in his qui extant codicibus, nulla eorum fit commemoratio. Eædem in qualitate difficultates ex uitiato contextu emergunt; præsertim circa similitudines. quis enim erraticum papauer cognoscat, ex tam uaria foliorum comparatione? similia enim dicuntur erucæ,aut origano, aut cichorio,aut thymo: quæ plantæ inter se ita dissimiles sunt, ut una alteri cóparari nullo pacto possit. Vnde etsi nulla adhuc litura locum hunc correxerit: tamen omnes,ut mendosum tenent. Oreoselinon præterea scribit Dioscorides habere κεφάλια μηκωνίῳ παρεμφερῆ, hoc est capitula succo papaueris similia. Quæ uerba cum nullum præ se ferant sensum; nõ immerito obscuram red- 10
dunt oreoselini historiam. quam ob rem ita eruditiores restituunt,ut loco huius dictionis, κεφάλια, reddatur φύλλα. & loco eius, quæ est μηκωνίῳ, substituatur κωνείῳ (facilis enim in utrisq; dictionibus esse potuit lapsus)ut sit totus contextus φύλλα κωνείῳ παρεμφερῆ, ideſt folia cicutæ similia, quod cum re ipsa quadrat. Nec desunt, qui male legi in Nymphæa existimant; Folijs fabæ ægyptiæ longioribus: quandoquidem rotundioribus legendum putant. Sed hi fabam ægyptiã credunt, quæ colocasia uulgo ab omnibus appellatur;nempe quæ nostris regionibus caulem non edit, quam nos Ari speciem esse cum Luca Ghino existimamus; ut superius diximus. Quare, cum nobis ignota sit faba 20
egyptia, quid de hac re dicendum sit, nescimus. Agallochum à nonnullis non existimatur id, quod lignum aloës uulgo nuncupatur: quia maculatum non sit,ut Dioscorides asserit. Sed corrigit Matthiolus ex Oribasio contextum,ut nulla in eo sit macularum mentio. Semperuiuum tertium, ut permultum temporis incognitum omnibus fuit; ita nec adhuc forte cognosceretur, nisi Lucas Ghinus præceptor meus disertissimus locum emendasset. Sed hoc interpretum potius, quàm græci codicis uitio euenit: quippe qui hanc uocem δασέα hirsuta interpretabantur, non autem densa,cum utrunq; significare possit. Item id quod habetur in græco πρὸς τὰ τῆς ἀνδράχνης, reddidêre portula 30
cæ proximis, ad figuram referentes foliorum: cum uerti debeat ad hunc, aut consimilem sensum, Ad ea quæ portulacæ sunt; comparationem scilicet ad crassitiem adaptantes. In situ uero correctionem requirentes plantæ multæ sunt: ac uulgatissimum ferè id, quod in epithymo legitur,florẽ illud esse è thymo duriore satureię simili,adiacentiam in planta ponens, id quod eius pars est; nempe florem. Quod quantas caligines relinquat in eius historia, nisi restituatur locus, nemo ferè est, qui non scripserit. nam Dioscoridis epithymum non adhuc cognosceretur:quod tamẽ idem cum Arabum epithymo esse eru-

ditiores

ditiores omnes confitentur. Ad hæc si sampsuchum Dioscoridis ea planta sit, quam maioranam uulgus appellitat: quis non uidet falsum id esse, quod de ea legitur, herba est per terram repens? aut siquis serpentem plantam pro sampsucho quærat; quando eam adinuenturus est? Aliqui igitur sensus potius, quàm uerba corrigentes suspicantur uoluisse Dioscoridem dicere, quòd si sampsuchi ramuli plantentur, apprehendant; sed huius nullam certam rationem assignant. In loco, & regione, nec desunt menda. nam nemo non cum Marcello consentit adscititium esse id, quod de marino absinthio legitur, copiosissimũ in Tauro monte iuxta Cappodociam gigni; quando clarum sit, locum hunc longa spatij intercapedine à mari distare. Quemadmodum & multi sunt, qui ex Galeno Dioscoridem corrigere uolentes, myrrham Aminęam optimam dici debere asseuerant: non (ut Dioscoridis scriptura iacet) peiorem. sic & in Irino unguento, nusquam inueniri apud Geographos dicunt Elidem in Achaia esse, sed legi debere in Arcadia. sed hæc non multam habent uim circa cognitionẽ. Est & in nominibus nonnunquam commutatio. Caput enim de phillyrea, cum de Tilia male inscribatur, in causa fuit, cur utraque planta apud Dioscoridem diutius fuerit ignota. Manardus calamitem styracem, nõ catabalitem legi debere in Dioscoride docet. Marcellus neutro modo; sed potius Gabalitem. Iam uero & in ipsis etiam facultatibus plurima reperiri, quæ mendosam habent historiã, ex multis patere potest. sunt enim qui correctionem desyderari in Iunipero doceant; atq; inter alia falsum id esse, quòd eius ligni ramenta deuorata interficiant. Similiter quod dicitur de uiridium ranarum sanguine, quòd genarum palpebras euellat, restituendum sit ex Galeno, quod pilos auulsos renasci prohibeat. Sed quid pluribus moror? Nominum cumulus, qui in unoquoque Dioscoridis medicamine in nonnullis codicibus reperiebatur, quot in eo addita fuerint, satis ostendere potest. quæ quidem tametsi non omnia ut spuria reijcienda sint, ut in superioribus probauimus: multa tamen prorsus adulterina esse nemo inficiabitur. Cur etiam Leucas utraq; omnibus ignota est, (ut multa etiam in eo deficere probemus) nisi quia multa in eius historia desyderari cuiuis palàm est? sic & in aconitorum delineationibus, quæ plantæ & idcirco ægre cognoscuntur. sic & in quamplurimis alijs, quę breuitatis causa omittimus. Concludendum est igitur inter alias difficultates, quæ circa cognitionem simplicium uersantur, non ultimum locum possidere uitiosum codicem: in quaquidẽ re nihil habemus, quod admoneamus, nisi ut ex antiquiorum, atque etiam ex recentiorum monumentis,

quoad eius fieri potest, loca emẽdentur: atq; ab alijs emendata summo cum iudicio librentur. Nam esse quidem, quæ cum deprauata cognoscantur, quomodo confirmari possint, nulla certa ratio est, satis clare patet: sed longe plura esse, quæ cum re uera falsissima sint, nullam tamen falsitatis suspicionem relinquant (quam ob rem nobis incomperta sunt) rationi cõsentaneum est. inter quæ etiam fortasse sunt, quæ cognita ab omnibus habentur. Hæc uero Deus optimus maximus (quæ sua est in mortales pietas, atque commiseratio) è tenebris in lucem reuocet.

10

BARTHOLOMEI MARANTAE VENVSINI MEDICI

Methodi cognoſcendorum ſimplicium

LIBER TERTIVS.

Quòd liceat facultatum auxilio ignota medicamenta inueſtigare. Cap. 1.

SIMPLICIA conamur cognoſcere ob eorum facultates: ut ſcilicet illis tuto, atque abſque ulla ſuſpitione uti ualeamus. finis enim artis medicæ cum ſit ſanitatis adeptio, non ideo ſimplicia medicamenta dignoſcere affectat medicus, ut formam ſolam perſpectam habeat, aut natalia eorum loca, regiones'ue, unde comportantur, calleat: ſed ut eorum facultates, quibus medijs finem ſuum nanciſci ſolet, ad uſum reuocet. Hæ quanquã inuentu faciles uidentur, (Dioſcorides enim, alijq́;, qui de materia medica tractarunt, quid unũquodq; medicamentum polleat, abunde nobis ſcriptum reliquerunt) latet tamen in hac facilitate ambiguitas quædam grauior, quæ eruditos uiros, atque acri ingenio præditos (ut qui res attentius, ac diligentius contemplantur) longe magis, ac ſtupidos fatigat, perturbatq́;. Hoc enim hominum genus, cum nihil amplius arduum putent, niſi medicamenti effigiem cognoſcere, in nulla præter hanc re inſudant. hinc cum nulla methodo cogniti iam medicaminis uirtutẽ uſui adaptent, ſine ſuo fruſtrati uaria ſuſpicantur; atq; in multis alioqui abſurdiſsimis ſententijs uolutantur. Nam uel Dioſcoridi (de hoc enim noſter ſermo in primis eſt) multam fidem habent, uel ſuo ingenio turgidi, ac cuiuis contradicere parati, in multis illum reprehendere ſolent. Hi recte quidem à Dioſcoride delineatum fuiſſe medicamen fatentur; ſed facultatem, cuius ipſi effectum non uident, male ab eo attributam eſſe contendunt. Illi contra, cum non audeant Dioſcoridi quicquam detrahere,

trahieré,se medicamentũ illud non rite nouisse existimant. ac quanquã descriptioni non repugnat: tamen aliud reperiri posse sibi ipsis conantur persuadere,quod & formam consimilem habeat, facultatesq; à Dioscoride ei attributas præstare possit. atq; ita se errare non uident, quòd in errore diu se uersatos fuisse credunt. unde ueris simplicibus tanquam falsis reiectis,quæ nusquam sunt, maximis laboribus quæritant. Hæc duo hominum genera liber hic de suis erroribus admonebit: additis etiam regulis, quibus eruditiores à controuersiis, quibus circunretiuntur,se ipsos explicare ualeant; ita ut omnes simplicia medicamenta nõ solum recte cognoscant, sed etiã ad usum ducere sciant; & quam quærunt qualitatem,in corpus nunc imprimant, nunc expellant. Neque uero cuipiam mirum uideatur, si exquisitam simplicium dignotionem ex eorum facultatibus uenari promittimus: si enim recte intueamur, nihil æque perfecte, ac certo uera medicamenta nobis demonstrat, quàm eorũ effectus,facultatesq;. Nam in quibus exacta à Dioscoride delineatio proposita est, tametsi ex eorum forma simplex medicamentum assequi possimus: tamen si etiam facultates obtineat, quas auctor proponit, in eadem nos sententia ita confirmat, ut nihil amplius remaneat,in quo dubij esse possimus. In his uero, quæ mutilam descriptionem habent, ac multæ notæ desiderantur, primæ partes circa cognitionem haud dubie facultatibus tribuuntur: ac multo magis in his, quæ nullo pacto delineantur. atque hinc fit, ut sæpius inter auctores contentiones, disceptationesq́ue oriri uideamus in simplicium uestigatione, ex solis eorum uiribus potiores rationes in medium adducentes. Fuchsius, & alij nonnulli in re medica celebres, linguam ceruinam,uulgo dictam, esse Hemionitin asserunt,multas ad id probandum rationes afferentes: sed quam pro firmiore proponunt,à facultatibus mutuantur; phyllitidi inquiẽtes(hanc enim alij uolunt esse linguam ceruinam) nullam liquandi lienis facultatem inesse,quæ tamen linguæ ceruinæ(uel quotidiano,ac peruagato usu attestante) proculdubio inest. at hanc eandem facultatem Hemionitidi Dioscorides tribuit. Vbi palàm est pluris feciſſe uiros hosce præclarissimos notas à facultatibus excerptas,quàm quæ à forma sumuntur: cum cõstet plantam illam aptius cum phyllitidis, quàm cum Hemionitidis forma consentire. Sunt qui Rhaponticum à Græcis depictum, esse Arabum Rha barbaricum contendant; neque ullam esse inter has radices discrepantiã, nisi regionis: uerum nonnulli id negant; sed cum à forma nullam habeant rationem, qua id recusent; ad facultates confugiunt, hoc idcirco nullo pacto acceptari posse dicentes, quòd Rha barbaricum purgandi uim obtineat, quæ Rhapontico non solum non

adest,

adeſt, ſed potius cõtraria uis, nempe adſtrictio in ea præualet. Reſpondent illi ad has obiectiones, neq; ob hoc à ſentẽtia deducuntur; dumq́; in radicis cognitione laborant, circa eius facultatem ſolam eis contentio relinquitur. illa enim ſola eſt, quæ dubias alioqui res manifeſtat. Iam uero, ſi quis eorum, quæ ſecundo libro diximus, meminerit; tanta nonnunquam eſſe ſolet plantarum ſimilitudo, ut una delineatio pluribus plantis ex toto ferè adaptari poſsit: nihilq́; ſit, quo eas diuerſas eſſe ex forma dicamus. quam ob rem ad facultates confugiendi conſilium ſolum nobis relinquitur; hancq́; difficultatem in aculeatis plantis magis eſſe perſpicuam in ſuperioribus diximus. Si quis igitur certior fieri optet, an uerum crocodilium ſit planta, quam habet in manibus; uideat an eius radix ſeruefacta potu copioſum per nares ſanguinem pellat, atque ita in alijs. Quod quidem ſi obſeruatum eſſet à rei herbariæ profeſſoribus: tot abſurdæ, abſonæq́; inuicem ſententiæ, ne dicam nugas, non legerentur de acanthio, de carduo, de utroq; chamæleone, alijſq́ue eius figuræ plantis. In qua quidem re non poſſum non ſummopere admirari noſtræ tempeſtatis medicos quamplurimos; qui cum in ſimplicium ſcientia ita eniteant, ut ob hoc ſolum alijs præponi digni exiſtimentur: in explorandis tamen ex facultate ſimplicibus negligentiſsimi uidentur. cum clariſsimum ſit, ſimpliciũ cognitionẽ ex hoc nõ minus, ac ex notis per delineationẽ habitis multum incrementũ ſuſcipere poſſe. ſed eorum animi maxima tenuitas, exilitaſq́; accuſanda eſt: quippe qui medicamenta maximis laboribus Dioſcoridis deſcriptione duce inuenta, experiri auſi non ſunt: ita ut haud immerito uenatoribus ſimiles exiſtimandi ſint, qui per ſoles, atque algores, per dumeta, & rupes, locaq́; auia, non ſine uario uitæ diſcrimine feras inſectantur; pernoctant in niue, in montibus ſe uri patiuntur: captã tamen prædam non pluris faciunt, ac ſi non cæpiſſent. Atque hi etiam in cauſa fuere (quod uerum hac in re libere proferam) cur medicorum fermè omnium turbæ ſimplicium ſcientia ludibrio ſit. uident enim illos, qui uel ſcriptis, uel uerbis ſe omnia Dioſcoridis, Galeni, Arabumq́; omnium medicamenta nouiſſe miris modis gloriãtur, non minus ad rudes pharmacopœorum compoſitiones confugere in omnibus, quos curandos aſſumunt, affectibus, ac eos ipſos, qui ne rutam quidem, aut apium cognoſcunt. Concipiebant quidem animo hominem in ſimplicium medicaminum doctrina uerſatum, nihil aliud ferè eſſe, niſi remediorum omnium in quauis regione, in quouis loco, in quouis anni tempore promptuarium quoddam, quod in omnibus naturis, in omnibus ætatibus, in quouis cæli ſtatu opem ferre poſsit morbis omnibus, tam internis, quàm externis, tam à manifeſta,

festa, quàm ab occulta causa obortis: quod desperatas ægritudines dicto citius curaret: insuper, quod uenenorum omnium alexipharmaca ut digitos cognita haberet; atque, ut uno uerbo dicam, morbificas omnes dispositiones simplicibus medicaminibus non tanquam medicus, sed ut Deus, propelleret. Verum enimuero, cum nihil ex his in eo tandem cernerent, quinimmo in profligandis morbis nullum nouum auxilium afferri intelligerent, & quod caput est, nihilo fortunatiores uiderentur; mutata sententia, eos despectui habere cœperunt. atque hanc scientiam multo minus medico necessariam esse existimarunt, ac eidem saltatoriam. Hoc uero (uti dicebamus) non alia de causa accidit, nisi quia omnes ferè nihil, præter medicaminis dignotionem ex delineatione habitam, affectant: facultatum uero mysteria nihili ducunt: neque laborant eorum medicamentorum ope morbos propellere, quæ eis nota sunt. unde effectum est, ut nõ solum cognitorum simplicium finem non consequantur; sed neque perfectam eorum scientiam teneant. Eum nanque, qui simplex aliquod sibi ignotum medicamentum inuestigat, haud inepte comparauerimus Prætori, qui quamdiligentissime callideq́; perquirat parricidam occultũ detegere: testesq́; atque maleficij conscios colligat, & ad iudicem produci præcipiat. Notas enim in medicaminis delineatione propositas, testes quosdam iure optimo appellauerimus, qui latens illud, atque alioqui occultum manifestent: facultates uero summi iudicis uicem gerant, qui de testiũ integritate sententiam dicant. Ergo quemadmodum non semper testes grauissimi, atque incorrupti, religiosiq́; sunt, sed sæpius uarii, totiq́; ex fraude, & mendacio compositi, futiles, cupidi, coniurati, & ab religione alieni; ita & medicamentorum signa, ac notæ non semper ueram eorum naturam, formamq́; exprimunt: sed sæpius fallũt. Quemadmodum etiam ex uerissimo, & sapientissimo iudice nõ nisi sanctissimam, iustissimamq́; sententiam expectamus; ita & facultates acrem se, atque seuerum in medicamentis signorum iudicem præbent: & an uerum sit medicamentum, quod quærebamus, decernunt. Porrò sicuti interdum euenire scimus, ut tyranni crudelis iussu, qui nihil aliud agat, nisi ciuitates opprimat, libertatemq́; eripiat; iudex ex se integerrimus, & timore potius, quàm ueritate, aut præscripto inductus, de aliqua re inique corrupteq́; statuat, atque decernat: ita & medicorum negligentia, inscitiaque fit, ut facultates non rectum de medicamento iudicium iudicent. Cum enim, qui simplicia ad usum ducere aggressi sunt (quanquam perpauci hi sunt, & in paucis hoc tentarunt experiri) nonnunquam non ita ut deceret, sed nulla ratione, nulloq́; debito discrimine ijs utantur; cogunt facultates non eas esse, quæ esse solent,

ſolent, ac deberent; ſed contrariam naturam induere. quocirca illi non ſolum raro optatum finem conſequuntur, ſed in ueris cognitiſq; iam medicamentis ancipites redduntur. Nos igitur (ſi fieri poterit) dabimus operam, ut eius farinæ medici, qui tyrannorum ritu omnia peruertunt, in ſua priſtina ſententia non permaneant: ſed facultates omnes ſimplicium multa adhibita diligentia, conſiderationeq; experiantur: atque boni Regis munere fungentes, genuinas eorum vires, operationeſq; libere, ac omni prorſus remota caligine prodire permittant. quo fiat, ut non ſolum morbi omnes tuto(quoad rei natura ferat)perſanentur, ſed etiam cognoſcendorum ſimplicium campus amplior, quamlatiſsime pateat.

Libri huius cum ſuperioribus connexio, & intentio. Cap. II.

DIVISIMVS à principio Dioſcoridis capita in duas partes: quarũ priorem medicaminis nomenclaturã, & ſpecies, necnon delineationẽ; ſecundam uero eiuſdem facultates, ſeu uirtutes complecti diximus. ſuper quas partes libri noſtri fundamenta iecimus. erat nanque intentio methodum conſcribere, qua poſſemus ſimplicia medicamenta perfectiſsime cognoſcere, abſque ullo deceptionis metu; ac Dioſcoridis ſcripta, quæ à paucis admodum rite intelliguntur, recte perpendere. hoc autẽ ut aſſequeremur; neceſſe fuit nomenclaturas, necnon ſpecierum numerum recte examinare; deſcriptiones item, ac lineamenta, tandemq; facultates ipſas expendere, atque excutere. Verum quantum ad nomina, ſpecieſq;, necnon delineationes pertinet: quæcunque neceſſaria uidebantur, duobus prioribus libris ſatis ſuperque adnotauimus: ac multorum circa cognitionem medicaminum non ſolum errata, ſed etiam errandi cauſas deteximus: varietateſq; omnes, quarum ratione falli quis poſſet in illis indagandis, ita ſufficienter examinauimus, ut nihil amplius(quantum ad hæc attinet)deſiderari meo iudicio poſsit. Reliquum iam eſt, ut ad ſecundam Dioſcoridis capitũ partem aggrediamur; ut ſcilicet doceamus, quæ circa ſimplicium facultates animaduerti poſſunt, ne in eorum cognitione decipiamur; conſequenterq; ut aliorum errores, qui quamplurimi ſunt, atq; errorum rationẽ palàm proferamus; ſimulq; quonam pacto nos illos, aut conſimiles præcauere, atque depellere ualeamus. atque hoc eſt, quod in hoc tertio libro intendimus: quod erit ſuſcepti noſtri conſilij finis. Quam quidem rem ſi ita feliciter aſſequemur, ut in alijs duobus libris nos aſſecutos fuiſſe exiſtimamus: non dubium eſt, quin omnibus materiæ medicæ ſtudioſis maximẽ ſit futura utilitati hæc tractatio. Verum

rum antequam ad rem ipsam aggrediamur, lectorem admonere libet, consilium nostrum in hoc tertio perscrutandorum medicamentorum volumine, quod circa facultates uersabitur, non esse, ut eorum facultates, aut gradus exquiramus: (id enim alterius est negocij, & à nostro scopo abhorrens) sed quonam pacto ex facultatibus non recte perpensis, circa eorum cognitionem quamplurimi per errorem ita lapsi sint, ut falsa pro ueris acceperint; multa quę passim notissima esse deberẽt, nullo pacto agnouerint; ac tandem contra illos acerbissime inuecti sint, qui uera de nonnullis senserint. Hæc autem de medicaminum facultatum inuentione, necnon de gradibus nonnulla necessario permixta habebunt: sicuti & quædam de præparatione delectuque: immo & de morborum temporibus, de temperamentis corporum, ac quibusdam alijs: sed non ita exacte hic examinari poscunt, ut quæcunq; de illis dici possunt, huc referri debeant: sed leuiter quodammodo tangi postulant, quatenus scilicet ad propositum pertinere uidebuntur. quod & nos ita exequi tentabimus. Verum hoc ideo monuimus, ne quispiam existimans nos aliud intendere, quàm re uera intendimus, reprehensionis nota aspergat: ac tanquam mutilum scriptorẽ damnet, quòd multa hic omittantur, quæ alioqui necessaria esse, ei uisa fuerint. Vt igitur ad rem ipsam accedamus, medendi indicationes à tribus sumi Galenus docet, nempe à morbo ipso, à corporis temperamento, & tertio ab ambiente nos aëre: quæ plura, pauciora'ue esse nõ posse ex ipsa rerum substantia sic probat: nam morbus, & sanitas, corporis sunt affectus; ille se tollendum, hæc se tuendam indicans. Ambiens uero est id, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest. hic igitur causæ, sine qua non, obtinet rationem. At uero cum id, quod ægrotat alteramus, nisi constet quousque sit immutandum, utique quando sit ab alterando desistendum, non intelligemus. Nos, quia curandi rationes non quærimus, sed simplicium ex facultatibus exquisitam dignotionem: duo tantum ex his consideraumus, morbum scilicet, & corporis temperamentum. Aëris nanque uarias dispositiones supponere operæ pretium duximus, ut quæ ad temperamentorum causas deducantur; neque mereantur, ut uniuersale, ac princeps de ijs caput constituamus. Constat enim temperamentũ non minus ex ætate, consuetudine, alijsq; quibusdam, quàm ex ambiente nos aëre cõmutabile fieri. Adde quòd aër nullam cum simplicium facultatibus relationem habet, dum ea ad affectum applicamus. (nam quantum ad plantarum formas, figuras q; uariandas aër cõcurrat, secundo libro abunde dictum est) consideramus enim nos simplicis medicaminis facultatem ut in hac corporis temperie, & in hoc morbi genere eam ostendere possit:

posit: nõ autem quærimus, quemadmodum aër huiusce morbi, atq; temperiei causa extiterit; quodq; nunc, uel hæc foueat, uel eis sua qualitate opponatur. Neque est quod dicas aërem in medicamentorum numero poni debere: quòd Galenus illum materiæ sanantis rationem quandoque habere ibidem tradat: hoc enim ei ex accidenti inest. ſiquam uero aër considerationem exquirat, eam nos tractabimus, cum de ijs facultatum uarietatibus loquemur, quæ à corporis tẽperie fieri solent. Tria igitur & nos uniuersalia capita necessario cõsiderare oportuit, simplicia scilicet medicamenta, morbum, & corpus. Atque hoc quidem nõ solum ut naturalem quandã dispositionem retinet, (quam cum Galeno temperiem nominabimus) sed & accidentia quædã, quæ & ipsa corpus ita præparant, ut eorum ratione medicaminum facultates nunc vires suas integras ostendant; nunc ueluti penitus irritę ne limen quidem curationis attingant. Simplicium quidem contemplationem reliquit Galenus, quia ab his nulla medendi indicatio sumi potest: sed ea ipsa materia sunt, siue instrumentum, quo morborum causas per indicationes cum ratione inuentas, propulsamus. Noster uero scopus cum eò potissimum dirigatur, ut simplicia certa methodo inuestigemus, nihil æque atque illa contemplari debemus; quin & alia propter illa etiã tractabimus. simplicia uero medicamẽta cum ad usum ducere intendimus: (nam de eorum facultatibus nunc sermo nobis est) dupliciter considerari possunt; aut per se ipsa, aut ad alia relata. Referuntur autem ad duo, nempe ad corpus humanum; & ad morbum, qui corpus affligit. nam quod nihil præter hæc tria expendendum sit, rei ipsius natura commonstrat. facultates nanque simplicium ad morbos profligandos, expetuntur: ergo hæc erit una eorum ratio relationem scilicet pensitando, quam ad morbos habent. Verum cum morbus affectus quidam sit, necessario subiectum, in quo sustẽtetur, requirit. hoc autem est corpus uiuens; at non quodcunque, sed humanum: quia hoc solum curare medici est. atque hæc quidem est eorum altera consideratio. Posset & quis tertiam adhuc proponere, eam scilicet, quam cum medico habent: quatuor enim omnino esse uidentur, quæ circa curationem concurrunt; morbus, corpus, medicamentum, medicus. Verum hoc tametsi ita sit; medicus tamen cũ sit causa exterior, neq; cum facultatibus aliam nisi Iudicis, aut Principis cuiusdam relationem habeat, extra rem his interponeretur. Reliquum est igitur, ut tria tantum sint, quæ simplicium facultates, ita ut sunt, ostendere possint. quòd si nonnulla alia dicentur, omnia ex ijs in partes diductis nata uidebuntur.

Ratione

- Varietas ī Medicamētis, ob quā deceptio euenire pōt circa eorū cognitionē, est vel
  - 1 Ratione nomēclaturæ, & specierū, de quibus in primo libro.
  - 2 Ratione delineationis, de qua in secundo libro.
  - 3 Ratione facultatū medicamēti ob tres causas error contingeret
    - 1 Ratione simplicium, cū simplex non induxerit effectum, quē promittit, Vel
      - Cū non habuit debitā quantitatē, quæ est, vel
        - In medicamenti dosi.
        - In medicamenti perseuerantia.
      - Cū simpliciter adhibetur, debeat tamen cum alijs cōiūgi.
        - Ablutione.
        - Torrefactione
        - Vstione.
        - Maceratione.
        - Et alijs multis.
      - Cum nō habuit debitā præparationē, quæ est in
        - Immaturum.
        - Nimia maturitate putrescens.
        - Non ex debito loco
        - Nō ex debita regione.
        - Accepta aliæ plantæ pars pro alia, vt
          - Semen pro folio.
          - Radix pro semine.
          - Fructus pro radice.
          - Et alia eiusmodi.
        - Et alia id genus.
      - Cū nō habuit optimū delectū, Cū, s. est
      - Cū non debita rōe est exhibitum.
    - 2 Ratione corporis subiecti
      - In toto considerātur.
        - Corporis natura, quæ est vel
          - Ab ortu Infantis
            - Habitus corporis.
            - Idiosyncrasias.
          - Post ortū.
            - Aetas. si medicamēta sine ullo discrimine adhibeantur
              - Infantibus.
              - Pueris.
              - Iuuenibus.
              - Consistentibus.
              - Senibus.
              - Decrepitis.
            - Cōsuetudo assumentis.
        - Corporis ꝑparatio antequam medicamētū applicetur quæ est vel
          - Naturalis sit ex ambiente aere, qui ē in
            - Regione.
            - Cæli statu.
            - Anni tempo(ribus
          - Artificialis, vel
            - Mānu medici
            - Ope medicamentorum.
            - Vtrisq; simul
          - Hæc oīa duplicē habent finē, vel vt
            - Ducant medicamentum ad debitum locum.
            - Morbificā causā aptiorē reddant, ut expelli possit.
      - In parte, ut si credamus eodem modo sanari posse affectum in oculo, & in quouis membro.
    - 3 Ratiōe morborum, quibus simplicia destinantur, uel
      - Cum simplicia non præbentur debitis morborum temporibus, quæ sunt
        - Principium.
        - Augmentum.
        - Status.
        - Declinatio.
      - Cum simplicium uires non æquant morborum læsus, sed morbi sunt, vel
        - Maiores.
        - Leuiores.
        - Recentiores.
        - Vetustiores.

Libri tertij constitutio, ubi proponuntur uariationum causæ, quæ in simplicibus, ob eorum facultates euenire solent. Cap. III.

FACVLTATES igitur medicamentorum simplicium nisi recte intelligantur; possunt eorum indagatores, dum illa cognoscere conantur, tribus modis fallere; uel ratione simplicium, uel affectuum, siue morborum, quibus destinantur; uel tertio subiecti, hoc est corporum, quibus applicari debent. Ergo si ratione simplicium deceptio eueniat: erit cum medicamentũ nõ effecerit eam, quam quærebamus, qualitatem; nec quem pollicetur effectum præstiterit. Hoc autem à pluribus causis fieri continget: ac primo quidem quòd eius debita quantitas non ponatur, sed amplior modus, uel etiam parcior debito; qui quæsitæ qualitatis gradus uel transgrediatur ita, ut contrariã affectui qualitatem imprimat, uel morbi uim ob eius imbecillitatem non retundat, uel quòd acceptus quidem conueniens modus sit, sed nõ perseueranter sit adhibitus: ut si per multos dies propinari debeat, uel diutius in loco, antequã soluatur, cõmorari; semel tamen acceptum sit, ac per modicum spatium loco hæserit: Secundo, quòd simplex, ac solum exhibeatur, quod cum alijs admisceri oportebat, quæ eius uim uel retunderent, uel augerent, uel aliquod incõmodum ab eo remouerent, ut tandem facultas, quam pollicetur, ad actum exiret: Tertio, quòd nõ commodum habuit præparandi modum, ut si quod ablui, aut uri debebat, neque abluatur, neque uratur; uel si ita uratur, ut in cinerem conuertatur, quod uix torreri postulabat; uel si eius substantia præbeatur, cuius infusum per macerationem solam dari conueniens erat, atq; ita de innumeris ferè alijs: Quarto, quòd non omnibus numeris absolutum medicamen ad usum acceptum sit: sed immaturum, aut nimia maturitate exoletum, putrescenq;: uel quia non ex ea regione, in qua uiribus pollet, acceptum sit; uel quòd non debito tempore, aut loco, ut cum locis uliginosis legitur; uel quòd illa plantæ pars ad usum deducta sit, quæ usui medico non deseruit; relicta ea, quæ utilis est. ut si semen accipiendum esset, radix, uel flos, uel folium sumatur; & alia id genus multa, quæ uberius suis locis dicentur: Quinto, cum indebita ratione medicamen exhibetur: ut si intro præbeatur, quod exterius admoueri postulabat; si deuoretur, quod per sedem, uel per uuluam immittendum erat; & contra: atque hæc quidem in simplicibus per se acceptis circa facultates uariationem efficiunt. Quòd si ratione morborum, uel affectuum in corpore existentium deceptio contingat in simplicibus: erit hæc primo, cum nõ præbentur simplicia debitis mor-

borum temporibus uniuersalibus, particularibusq;. ut si incipientibus morbis remedium admoueatur,quod consistentibus, uel inclinantibus dari exposcebat; uel in accessionis initio incongrue apponamus, quod in eius uigore, uel declinatione apte admoueremus; & contra: Secundo ratione maioris, uel minoris affectus. constat enim eiusdem speciei morbum & intensiorem, & remissiorem esse posse. Cum igitur simplicium uires non æquant morborum lapsus, curationem non recte procedere necesse est. multa enim leui adhuc existente affectione, ad illam tollendam sufficiunt, quæ tamen si magna sit, nullum effectum inducere possunt. quòd si affectus recens sit, uel inueteratus, eadem ratio est. At uero si ratione subiecti corporis deceptio euenerit: (nam hoc erat tertium princeps membrum) erit uel in toto, uel in parte. In toto quidem consideratur naturalis corporis temperies, & corporis præparatio. Corporis quidem natura esse solet, uel ab ortu infantis, uel post ortum. Ab ortu quidem consideratur primo habitus corporis, ut si medicamenta simplicia, quæ uehementem habent operationem, adhibeantur mollibus corporibus, languidisq;: uel quæ leuibus uiribus pollent, ijs præbeantur, qui corpore hispido, durissimoq; constant: Secundo, peculiaris quædam hominum natura, ac proprietas. multi enim uix odorato pharmaco purgantur, alij ne intus quidem suscepto, à quibusdam medicamentis purgari possunt. Post ortũ uero, corporis temperiem uariare possunt primo ætas. unde fuerit in hac deceptio, si medicamenta sine ullo discrimine adhibeantur pueris, iuuenibus, consistentibus, senibus: secundo assumentis consuetudo. nam & hæc irritas quandoq; facit medicamentorum facultates. In toto etiam corporis præparatio consideratur, quæ fieri solet antequam medicinam admoueamus. est autem duplex, naturalis, quæ fit ab ambiente aëre, quem uarium reddunt regio, cæli status, anni tempus: artificialis, quæ triplicem habet considerationem. nam uel fit manu medici, uel ope medicamentorum, uel utrisque simul. Omne autem præparationis genus fit, uel ut medicamentũ ad debitum locum ducamus; ut si frictionem corpori moliamur, ante eius inunctionem; uel ut morbificam causam aptiorem ad hoc, ut sine molestia expelli possit, reddamus; ut cum uomitione, hellebori ope, humores educere uolumus, motu illud ad uomendũ idoneum reddimus. Hæc igitur, si omittantur, erunt in causa, ut nõ minus decipiamur. atque hæc quidem in toto cõsiderari possunt. In parte uero subiecti corporis animaduertenda est membri proprietas, cõpositio, structuraq;. si quis enim inflammationem in oculo illis medicamentis leuare crediderit, quæ Dioscorides ad tibiæ, uel ad pudendi inflammationes destinat: absque dubio medica-

medicamenti effectum nõ uidebit. nonnunquam enim membra corporis propria quædam, præcipuaq; sibi remedia expoſcunt, quæ ita ſolis ipſis conueniunt, ut cuiuis alij admota maximo ſint detrimento. ſunt & nonnulla alia, quæ huc referri poſſunt, quæ paſsim ſuis locis explicabuntur ita, ut nihil hac in re deſiderari queat. Primo igitur ab illis incipiemus, quæ circa ſimplicia per ſe ipſa conſiderata penſitari poſſunt, à quantitate initio ducto.

Quòd quantitas exhibendorum medicaminum ad eorum dignotionem maxime pertineat. *Cap.* IIII.

Cvm igitur multis nominibus medica ars coniecturalis dicatur: nihil pariter eam eiuſmodi reddit (Galeno etiam aſſerente) uti cuiuſq; remedij quantitas. quæ cum in quibuſuis medicinæ præſidijs ſemper conſideranda ſit, ſiue abſque ulla medicamentorũ admotione hoc fiat, ut in omni ferè chirurgica operatione fieri uidemus; ſiue adhibitis iam corpori medicaminibus, atque his uel intus aſſumptis, uel corporis ſuperficiei tantũ admotis: merito plus nobis negocij faceſsit, quàm quiduis aliud in ipſa medicina. Cumq; dicamus medicam artem duobus ueluti cruribus incedere, ratione ſcilicet, & experimento; quorũ ſi alterum deficiat, illam neceſſario claudicare oporteat: uidemus alterum ex his, nempe experimentum, ob ſolam ferè quantitatem expoſci. Hæc enim ſicuti raro rationi innititur, ita ſemper ferè ad nihil aliud, niſi ad experimentum confugit, ut uideatur illud quodam ueluti iure ſibi uendicaſſe. Huius rei ratio eſt, quia quantitatis præſidij indicatio (ſi Galeno credimus) ſumitur ex naturali corporis habitu, cum quo conferre morbum neceſſe eſt. Ille autem cum unicuiq; homini proprius ſit, (ut idem Galenus tradit) quantum in unoquoq; recedere poſſit, nullam certã rationem habemus. ſed de cuiuſq; corporis proprietate, quam Græci *ἰδιοσυγκρασίαν* uocant, inferius uberrime diſputabitur. Ergo qualitas medicamenti, tam quæ in primis qualitatibus, nempe calido, frigido, humido, ſicco uerſatur; quàm quæ in ſecundis, tertijs, uel etiam quartis conſideratur, ſola ferè poteſt ratione percipi (quanuis & hæc à ſenſibus ortum ducat) neque ſolum ipſa per ſe nuda, ſed etiam eius gradus omnes, ita ut non multam uideatur ab experimento opem mutuari. uerum poſtquam illam adinueneris, ſi corpori adaptare intendas, qua id quantitate efficere poſsis: ex nulla re, niſi experimento habeas licet. Id uero (ut ſapienter monuit Hippocrates) cum ualde periculoſum ſit, ac multum temporis requirat, ut certum reddi poſsit: quæcunque per nos ipſos experiri ob uitæ breuitatem

ATENEO VENETO VENEZIA

non poterimus, grauissimis scriptoribus,(ut qui summa cum diligentia in rebus experimento comprobandis inuigilauerint) fidem adhibentes,ad usum reuocabimus,ac tuto administrabimus. Nemini enim non compertum esse debet, ne dum multos annos, sed multas etiam ætates requiri, ut multorum simplicium facultates per experientiam certo quodam iudicio cognoscamus. Neque enim (ut libro. III. Aphoris. tradit Galenus) si ex aliqua medicina uideris purgatos sex, uel septem homines: dicere certe poteris fore, ut omnes posthac homines ex necessitate purgentur. In his enim, qui non ex rei natura, sed obseruatione comprobantur, neque si sæpius rem eodem euentu cadere uideas: adhuc dicere possis, ita semper futurum. Dioscorides igitur in quibus medicamentis ipse periculũ fecit, modum siue quantitatem(quanquam non in omnibus) præcepit. quam nisi nos seruauerimus, non dubium est,quin effectum,quem quærimus, non simus assecuturi. Multi autem, cum eos non solum statutam medicamenti ad affectum quantitatem per se ipsos perscrutari pertæsum sit, sed si in quidusdam Dioscorides illam suis monumentis demandauit, seruare nihili duxerint: nunquam nisi casu quodam affectus curare potuerunt. cum uero semel,atque iterum,& sæpius præter spem res euenisse conspicerent: hi qui se Dioscoride sapientiores existimarunt, illum tanquam falsa scripserit, maxime reprehenderunt: qui uero multum Dioscoridi tribuunt, se ipsos accusant,quòd uerum medicamentum non assumpserint; sed ad illam affectionem aliud(ut à principio dicebamus)à Dioscoride præcipi credunt,illis incompertum. Regula igitur sit, ut quoties in Dioscoride certam simplicis mensuram inueniamus,illam nullo pacto addendo,demendo'ue permutemus. ut si bilem,crassamq; pituitam educere intendamus, idque syluestris cucumeris auxilio moliri mens sit: eius radicis succum sesquioboli pondere,aut eius corticis acetabuli quarta parte propinare debebimus. ita enim Dioscorides præcipit. Sesamoidis minoris semen dimidio acetabulo potum ex aqua mulsa dabimus ad eandem bilem, pituitamque euacuandam. sic caprinam urinam ad hydropicorum serosum humorem, per aluũ extrahendũ binis cyathis cum aqua, & nardi spica potãdum dabimus: ad aquam etiam per aluum eliciendam lactucæ syluestris succus ad duos obolos dari conueniet. Androsaces uero ad eandẽ affectionem binæ drachmæ in uino. Quòd si ad bilem tum per uomitum,tum per inferiora educendam thlaspi semen exhibere cupias: acetabuli mensura potandum des necesse est. si uero per aluum solam eandem bilem trahere intendas,sitq; ad manus androsæmon, seminis eius duæ drachmæ experimento comprobata quantitas est. Horum enim medica-

medicamentorũ,quæ purgandi corporis uim habent, ſi plus exhibuerimus,quàm par ſit, non ſolum certos humores uacuabimus, ſed ſanguinem fortaſſe ipſum, cum quo & uitam tollemus; ſin minus, præter id quòd non uniuerſam materiam educemus, maxima exagitatione corpus uexabimus. Adde quòd cum medicamenta ferè omnia uenenatam uim habeant, fruſtrata euacuatione in uenenum tranſmutabuntur, ut tradit Gal. libro, Quos, & quando purgare oportet. Neq; ſolum id obſeruandum eſt in euacuationibus per hęc loca faciẽdis, ſed ſi menſes, uel ſecundas, uel partus extrahere nos oporteat: uel aſtringere aluum, uel ueneni uim retundere; item ſi illinire opus ſit ulcus cuiuſcunque generis; uel dolor ſedandus, uel quiduis aliud in corpore moliendum, à Dioſcoridis præcepto circa quantitatem, ne latum quidem unguem diſcedemus. Propterea igitur ad menſes, uel remoratam urinam ciendam artemiſiæ comam tribus drachmis potui dabimus; ſicuti ſi partus hæreat, & ſecundæ menſeſque morentur, Anagyris folia drachmæ pondere bibentur in paſſo: leucoij uero ſemen ad eaſdem affectiones duabus drachmis ex uino. Eadẽ menſura in eiſdem affectibus potandos dabis fibrinos teſtes. Quòd ſi phalangiorũ morſus melanthij ſemine curare animo conceperis; eius drachma hauſta ſufficiet. His uero qui leporem marinum deuorarunt, aliſmatis radicem drachma una, aut altera dare debebis. atq; ita in innumeris propè alijs, quibus Dioſcorides modũ præſcripſit. Nam quanti momẽti certa quantitas in curandis affectibus ſit, ex ipſo illo Dioſcoride ſcire poterimus: multa enim parcius diſtributa, leuibus quibuſdam affectibus iuuant, grauioribus uero ampliori modo dari expoſcunt. Nam peponis radix ſicca ex hydromelite pota drachmæ pondere, uomitionem mouet: ſed ſi quis moderate ſecundum cœnam uomere cupiat, geminis obolis ſit contentus. Item ſcillæ aſſæ ad emolliendam aluum, coclear unum, aut alterum damus ieiunis. uerum ſtomachicis, quibus innatat cibus, ac quibuſdam alijs affectibus, tres obolos in delinctu ex melle ſumpſiſſe ſatis eſt. Haſtula regia ruptis, conuulſis, lateris doloribus, ac nonnullis alijs morbis drachmæ pondere ex uino medetur. uerum ad mouendas uomitiones in cibo ſumpta, (male enim Ruellius cõmanducata uertit hanc uocem βρωθείς) ludicri tali magnitudine, ſufficiens eſt. ſicuti à ſerpente demorſis non niſi trium drachmarum põdere datur. Verum quanta incommoda ſubſequi poterũt, ſi hæc non ſeruari debere quiſpiam crediderit, ſed quauis quantitate exhibita medicamenta eoſdẽ effectus haberi poſſe ſperet: in multis exempla dare poſſumus. Eruum tabidis, qui alimentum non ſentiunt, toſtum & ad nucis magnitudinem melle exceptum ſumptumq; conuenit: ſed ſanguinem

guinem per ueficam,aut aluum cum torminibus elicit, si largius in cibo, aut potu sumatur . Coriandri semen cum passo potum genituram adauget; largius autem sumptum mentem non sine periculo mouet: quare monet Dioscorides cõtinuo, & copiosiore usu abstinendũ esse. thuris exiguum ad caput roborandũ, nemo fermè est,qui nostra tempestate etiam sanis corporibus non concesserit, sed haustum in secunda ualetudine(subintelligo ego in quadã certa mensura)insaniam mouet: & largius cum uino potum interficit. Gith phalangiorum morsibus ex aqua drachmæ pondere haustum auxiliatur: sed largius epotũ, enecare tradunt. sicuti crocum tribus drachmis ex aqua potis exitiosum esse inquiunt. addit Simeon Sethis, quod siquis eius tria hexagia sumat, risu inceſſabili corripietur, nec ante cessabit, quàm pereat. hoc enim mortẽ præcedit. Ocimum copiosiore cibo oculorum aciem hebetat: semen autem potum atrã bilem gignentibus cõuenit. Hederæ flos trium digitorum carptu facit ad dysentericos in uino bis die potus: attamen nigræ hederæ succus, aut epoti corymbi largius sumpti corpus infirmant,mentemq́; turbant. Possent & infinita ferè exempla in medium adduci ad idem confirmandũ: quæ cum possint à quouis in Dioscoride uideri,hoc loco congerere necessarium nõ ducimus. Quis igitur eos non irridendos censeat, qui eruum se nunquã potuisse cognoscere asserunt, propterea quòd in nulla planta (etiã si delineatio respondere uideretur)uim educendi sanguinis per urinam adinuenerint. nam uel huiusce rei nunquam periculum fecerunt, uel si facere aggressi sunt,non ita, ut decet, sunt experti. Vnica enim exhibitione, pauca quantitate contenti, effectum hunc exposcebant; non considerantes Dioscoridem uelle, non nisi largius in cibo, aut potu assumptum hoc efficere. Quid? quod nec uenena suam feritatem ostendere possunt, nisi certa quadam mensura accipiantur. Quoniam uero non in omnibus medicaminibus mensuram apposuisse Dioscoridem diximus: cur hoc ab eo in nonnullis prætermissum sit, proponere nõ esset ab re; adnectendo etiam si quid habuerimus, quod per nos ipsos prætermissam quantitatem adinuenire doceat. Verum hæc longiorem requirunt disceptationem, quàm ut tam breui opusculo inseri debeat: ac propterea de his silendum duximus. atque eo præsertim, quòd de cuiusque simplicis dosi inuenienda separato opusculo aliàs uberrime disputauimus: ad quod eos mittimus, qui hanc rem exquisite tractatam uidere appetant. Scio enim fore,ut eos non pœniteat uidisse,quæ ibi disceptantur. manifestauimus enim inter alia, non in quocunque affectu, nec quomodocunq; adhibitis medicamentis quantitatem requiri: sed eam potissimum exposci in his, quæ intus sumuntur: quã-

do in localibus, & in his, quæ localibus proportione respondẽt, locus affectus quantitatem sibi determinat. Quin nec in omnibus; quę intro præbentur, sed pro natura & gradu qualitatis medicamenti, nunc omittenda est quantitas, nunc exacte accipienda. multa etiam alia ibi docuimus, quæ non solum ad simplicium uires recte probandas, sed etiam ad componendorum medicamentorũ rationem methodo percipiendam maxime facere lector existimabit. Quæ cũ ita sint, debet eius, qui simplicia medicamenta perfectissime cognoscere affectat, consiliũ esse, ut primo faciem, formamque eius recte cognoscat; in qua re quæ obseruanda sint, duo priores libri demonstrant: Deinde ad facultates descendens multa consideret, quæ inferius proponentur, sed inter alia medicamentum quãtitate conueniente exhibeat, ita enim effectus, qui requiruntur, nullo dubio manifesti fient. Verum si assignatas ob causas non sese ostenderit: nõ propterea medicamẽtum illud ut adulterinum reijcietur. Sed in quibus tibi Dioscorides dux esse poterit, nullo pacto errabis: in quibus uero non poterit, tuum est assiduis experimentis res comprobando, ueritatem ueluti è tenebris eruere.

Ignoratio simplicium ex non debite adhibita medicamentorum perseuerantia, ac iteratione. Cap. v.

Ad quantitatem etiam referri potest medicamenti perseuerantia, ut quæ tempori, numeroq́; innitatur. est autem ad affectus ex toto, & perfectissime sanandos maxime necessaria, quæq́; si omittatur, loco iuuaminis quandoque noxam inferre possit: sæpius autem sanitatis euentum, quem alioqui ostenderet, non manifestat. Voco autem perseuerantiam, medicamentorum ad morbos applicitorum iterationẽ, donec exoptata incolumitas, quoad eius fieri possit, restituatur. Neq; enim si sciueris capparis fructum duabus drachmis in uino potum sumi oportere; aut alterius cyclamini acinos drachmæ unius pondere cum uini albi cyathis tribus: iam lienem te absumere posse speraueris; nisi etiam cognoueris, quadraginta diebus alterum remediũ esse absque ulla intermissione faciendum. sic si comitialem morbum sanare, uel saltem remissiorem reddere cupiamus: non satis est uitis albæ radicem drachmæ pondere præbere; sed toto anno quotidie hanc mensuram dari necesse est. Atque id quidem in illis, quæ intus sumuntur, præcipue consideratur: In his enim, quæ exterius admouentur, non solum numerum, sed etiam admoti medicamenti diuturnam, uel breuem ad affectum moram diiudicamus. Atque hanc topicorum præsidiorum magis propriam idcirco dicimus, quia cum uolumus, ea

& applicamus, & remouemus. Verum eorum, quæ intus sumuntur, quanquam multa sunt, quæ ut in corpore diutius commorentur, aut citius se expediant in uarias formas efformata propinantur, (Nam catapotia effingimus non solum ad fallendam, ut Actuarius refert, medicamenti insuauitatem; & ne stomachus adscititijs grauetur humoribus, sed ut cathartici moram habeamus. uitamus enim liquidioris pharmaci formã, ut quod quamcitissime opus suum perficiat) tamen non ita in manu nostra est, circunscriptam moram adaptare. neque enim cum libuerit, quæ intus sunt, remouere poterimus, sed coniectura ad opus nostrum, quoad eius fieri possit, accedere conamur: quæ quia fallax esse solet, nõ raro inducit nos, ut ab illo aberremus. Medicaminum uero perseuerantia in curandis affectibus idcirco necessaria est; quia si exhibita, uel etiam admota medicina suæ facultatis eundem gradum perpetuo retinere posset: nulla profecto opus esset medicamentorum iteratione; atque omnes ferè morbi multo breuiores existerent. Verum, quia si intro exhibeamus medicamentum, statim permutationem suscipit; paulatimq; ita alteratur, ut tandem omnem uim deperdat; ita & si extra imponatur, post certum tempus euanidum fit, nulloq; munere fungitur: quod continuata temporis serie non possumus, id iteratis uicibus, ac repetita medicaminum permutatione perficimus. In hoc autem animaduertenda est medicamenti uis, quæ nonnunquam mitis est, nonnunquã uehemens: & morbi lapsus, qui & ipse nunc multus est, nunc paucus. nam dum leui affectui leue medicamen adhibebimus, magno ualidius; quòd mediocritas circa moram & repetitionem seruanda sit, nemo fermè est qui dubitet. Verum si leui affectui potentius medicamen exhibueris; breuis eius mora requiritur. Sin maximo morbo infirmior medicina: (hæc autem esse potest uel quantitatis ratione, cum scilicet intra debitum modum propinetur; uel qualitatis, quòd scilicet suapte natura debilem uim obtineat) tunc diuturniorem moram, & crebram impositionem præcipiemus. Vtrunq; enim accidere poterit, & ob medicamenti, quod æquas cum morbo uires habeat, penuriam; cum scilicet morbi lapsum excedat: & ratione corporis subiecti, quod imbecillius sit, quàm ut semel ingestam medicaminis copiam perferre possit. sed & alia sunt, quorum ratione eadem eueniant; quæ inferius uberrime explicabuntur. Hæc igitur Dioscorides animaduertens, in multis hanc seruans regulam, medicaminum moram, ac iterationem præscripsit; quanuis, & in quamplurimis, more suo, prætermiserit. Ad Ischiadicos enim Iberidis radices cum salsa axungia quaternis horis alligari: lepidij folia ad eandem affectionem quarta parte horæ illini præcipit. Telephij folia

dia ſeñis horis illita albam uitiliginem ſanant. perunctã ex aceto etiam in ſole uitiliginem tollunt; ſed ubi inaruerunt, abſterguntur. Ranunculi genera omnia pauliſper illita formicantes uerrucas, & penſiles, alopeciaſq; tollunt. Laſer excreſcentia in carne, polypoſq; ſanat, ſi aliquot diebus cum atramento ſutorio, aut ærugine illinatur. Clinopodium aliquot diebus potum, penſiles uerrucas, quas acrochordonas uocant, eijcit. Nymphææ radix pota aſsidue aliquot diebus, Veneris inſomnia prorſus adimit, genitaleq; infirmat. Sed ſunt quæ multo plures dies, ac moram diuturniorem ad morbum ſanandum requirunt. Nam Aiugæ folia ſeptem diebus in uino pota regio morbo medentur: Iſchiadicos uero non niſi quadraginta diebus ex hydromelite ſanant, ſicuti eodem dierum numero eandem affectionem curat Hyperici ſemen hauſtum. quadraginta etiam diebus aſpleni folia aceto ſeruefacta, potu lienem abſumunt. Hæc igitur niſi tot diebus propinentur, ut plerunq; accidere ſolet, uel medici ignorantia, uel etiam languentis intolerantia, cauſæ eſſe ſolent, quare tum auctores damnentur, tum uera ſimplicia, ut falſa, repudientur; conſequenterq; ignota illis remaneant. ac propterea cum oleum ſylueſtris oliuæ ulcera capitis manantia, ſcabiem, lepraſq; abſtergere ſtatuit Dioſcorides, ſubiunxiſſe eũ crediderim, tardius cautionẽ ſentiunt, qui eo quotidie perunguntur. Nec minus cum aſcyri ſemina ad iſchiadicos pota exhibet, ſubdidiſſe, ſed aſsidue dare oportet, donec ſanitati reſtituãtur. ſic cũ ambuſtis buccina utiliter illini ſcribit, ſubdidiſſe, quibus ſolui medicamentum non oportet: nam poſtquã uulnus cicatricem duxerit, ipſum in teſtæ modũ induratũ, ſponte ſua decidet. ſciebat nanq; pleroſq; errare poſſe in affectuum curatione, quòd hæc quæ diximus non ita, ut decet, obſeruarent: unde multorum ſimplicium ignoratio ſubſequi poterat. Memini enim nonnullos Dioſcoridem ſæpius reprehendiſſe, quòd porri ſemen in cibis uiſus obſcuritatem, cepam uero capitis doloreẽ inducere ſcripſerit; quia ipſi utrunque cibum quandoq; comederint, & tamen neque uiſus acies hebes facta eſt, neque caput doluit. Plerique etiam nõ uera ſcripſiſſe Dioſcoridem latrant, cum docet lentes in cibis, necnon lactucas oculorum claritati officere, & erucam uenerem concitare. ipſi enim, cum his alimentorum generibus nonnunquam ueſcerẽtur, præſertim duobus poſterioribus in acetarijs: hos effectus non conſpexiſſe aſſeuerant. ſed hi cum nõ animaduerterint ſuperiora omnia enumerata alimenta Dioſcoridem uelle, non quauis menſura, neq; unica aſſumptione, hos effectus ædere; ſed largius, ac frequenti cibo eſitata: quid mirũ ſi res non ita cadere uiderint, ut à Dioſcoride affirmatur? Quam ob rem neceſſe eſt eum, qui ſimplicia à ſe inuenta genuina

nuina esse facultatum testimonio comprobare intendat, non solum conueniente mensura propinare; sed eo usque in illis exhibendis constanter perseuerare, quoad id à Dioscoride fieri debere præcipitur. Quòd si his sic peractis, non secundum spem cesserit, tunc demum se non cognouisse medicamentum affirmet. In quibus uero tam quantitas, quàm perseuerantia à Dioscoride non ponitur; neque ex alio probæ existimationis auctore colligere liceat: multum leuiter pronuntiandum nõ est. nam fieri potest, ut si unica, uel duabus, uel etiam tribus admotionibus, per quandã moram nõ subsequatur effectus: subsequi tamen posse, si pluries, ac diuturniori tempore admota fuerint.

De medicamentorum compositione. *Cap.* VI.

DECIPIVNTVR pleriq; medici in Dioscoridis lectione, nihil ab eo in compositione præcipi existimantes. Nam cum uideant scopum suum esse de materia medica conscribere, eamq; non in compositis, sed in simplicibus uersari sciant: immo cum & ipse Dioscorides singulum per se medicamentum delineet, eiusq; facultates enumeret, neque mens sit composita docere: quæcunq; facultas cuicunq; medicamento attribuatur, talem illi ut simplex est, inesse existimant, non ut cum nonnullis alijs componitur. Quod non ita se habet. cum enim prima, ac præcipua remediorum exhibendorum indicatio ab affectu ipso præter naturam accipiatur: prout affectus simplex, uel complicatus extiterit, ita remedium ex simplici, uel ex composito medicamento inueniri necesse est. Neque ignoro compositum affectum ex simplici medicamento, ut quod compositis facultatibus constet, nonnunquam sanari posse: sed de illis simplicibus loquimur, quę cum unico affectui destinentur, complicatos tollere nequeunt, nisi cum quibusdam alijs admisceantur, quæ aliorum rationem habeant. At uero hæc complicatio uel est in morbis, causis, ac symptomatibus diuersis, uel contrarijs. plerunq; enim unico affectus uocabulo duas res contrarias intelligimus; ut quartanam nominantes, causam frigidam nempe humores crassos; morbum calidum, febrem scilicet ipsam significamus. ita & hydropis nomine, iecinoris intemperiem, tumoremq; præter naturam, res quidem diuersas, notamus. sic cum scirrhum dicimus, nõ humorem crassum solum, sed duritiem etiam in eo maximam designamus. Quare si quando simplex aliquod medicamentum causam morbi solam auferre potest: necesse est illud cum alio coniungere, quod uel morbum, uel symptoma respiciat, ut utrique prouideri possit. Quia igitur affectus magna ex parte aliquam ex his multiplicitatem

sortitur:

sortitur: propterea multiplici præsidio indigemus. quæ cum non ignoraret Dioscorides, quanquam intentio sua est simplicium doctrinam, tam quantum ad eorum cognitionem, quàm ad facultates, tradere, quia multa simplicia, ad multos complicatos affectus pollere cognoscebat; idq; non per se, sed cum alijs adiuncta: uoluit ad clariorem doctrinam ea, quibuscum id possunt, recensere. ne si ita simpliciter proferret, existimans lector per se illos affectus, absque ulla adiunctione aliorum sanari posse: per se etiam, non sine maximo hominũ damno, ad usum duceret. Nam si in hoc errore multos uersari monuimus, nihil à Dioscoride, nisi tanquam simplex præcipi existimantes, tametsi ipse suorum remediorum bonam partem in compositione pronunciet: quanto magis id existimassent, si ea, cũ quibus simplex aliquod medicamentũ admisceri postulat, silentio præteriisset? Neq; est, quod Dioscoridem accuses tanquã eum, qui in alieno choro pedem ponere uideatur. nam si uellet simpliciũ facultates prout per se sunt, nõ prout cum quibusdam alijs cõnectuntur, solas scribere: tam paucæ essent, ut quábreuissimis uerbis perstringi possent; multaq; in hac de simpliciũ medicaminum facultatibus scientia necessario occultarentur; quę nõ solum scitu digniſsima, sed necessaria existunt. quod maximæ mortalium iacturæ uerteretur. Hoc uero ut rectius intelligatur, paulo altius res exordienda est. Componendorum enim medicaminum necessitas tres præcipuas ob causas inuenta est: uel ob affectuum (uti diximus) complicationem; uel, si affectus simplex sit, ob simplicis medicamenti illum curare ualentis penuriam; uel ratione loci affecti, qui uel princeps est, uel nimis remotus, uel à proprietate quædam requirat, quædam respuat. Ad morborum igitur complicationem aduertens Dioscorides; Clinopodium ad alui fluxum cum diuersis liquoribus propinat. nam febrim non sentientibus ex uino, febricitantibus ex aqua eius decoctum exhibet: similiter & agaricum. Sic cum uideat in ambustorum nomine tria symptomata cõprehendi, pustulas nempe aqua plenas, exulcerationem, ac dolorem; habeatq; quædam simplicia, quæ possint pustularum humorem discutere, ulcusq; desiccare, ac detergere; uerum dolorem non solum non mitigant, sed exacerbant; sicuti contra, si illi ad manus sit medicamentum, quod dolorem leniat; sed nulla detergendi, ac in halitum discutiendi ui polleat: cum alijs coniungenda ea esse præcipiat, necesse est; quæ omnia hæc munera obire possint. Hinc alumen cum aqua ad hanc affectionem permiscet, quia alumen discutit quidem, ac digerit, sed nimium; ita ut facile dolor augeatur: sed aqua temperato, doloris ratio habetur. Con simili ratione eidẽ affectui cum thure adipem suillum, uel anserinum immiscet.

immiscet. Ita & absinthium illinit ad hydropem: quia sua astringente ui hepar roborat, eiusq; intemperiem corrigit. Verum quia ad perfectam hydropis curationem aqua, quæ inter cutem subijt, (est enim morbi causa) uacuanda etiam est; quanquam absinthium ex aliqua parte discutiat; ut tamen ualentior fiat discussio, loliaceam farinam, utq; citius meare in profundum possit, acetum addidit. Ad fistularũ præterea callum erodendum ærugo rasilis commodissima est. uerũ hunc effectum non præstabit, nisi primo callus mollescat. propterea igitur ad huiusmodi callos persanãdos æruginem cum ammoniaco collyrij modo in eas adigit: emollit enim ammoniacum, facilemq;, ut erodi possit, materiam callosam ærugini præbet: quod & per se etiam duritias omnes discutere potest. atque ita, quod per se ærugo nunquam posset, alijs admixta perfecit. Erat secunda medicaminum componẽdorum necessitas ex medicaminum penuria. neque enim simplicium quæ in manibus habemus gradus, cum gradu morbosæ affectionis ex æquo semper opponitur; sed uel infra, uel supra uires affectus est. Vt igitur huiusmodi medicamenta ita contemperentur, ut æquas uires affectui opponere ualeant; necesse est alia permiscere. Nam si ærugo per se ulcus sanare non potest, quia sua erodente ui illud magis in profundum excauat, oleum etiam cum nec possit, ut quod ulcus sua humectandi dote sordidum reddat; similiter nec cera, quia mollit, ulcus autem exsiccatione indiget: nulli ex his tribus medicamẽtis potuisset Dioscorides facultatem ulcera sanandi tribuere; quia nullum per se id efficere potest. quia tamen si misceantur hæc tria, uires suas quodammodo frangunt, nec talia sunt, qualia per se unumquodq; singillatim erat, ex hac compositione ulceri sanando idoneum medicamentum resultat. oleum enim, & cera æruginis acrimoniã sua humiditate ac lentore mitigant, eiq; tantũ exiccandi, & detergendi gradum relinquunt, quantum ulceri carne implendo requiritur. si hoc à Dioscoride omitteretur, non dubium est, quin præclara huius simplicis facultas nobis ignota existeret. Quòd si uoluisset Dioscorides manifestare omnemq; compositionẽ in scriptis suis uitans ita simpliciter de his tribus medicamentis proprijs capitibus protulisset, ea ad ulcera implenda ualere docens, iam sciebat hoc posse ita intelligi, ut hanc facultatem unicuiq; per se sine aliorum mixtione adesse crederetur. quare multi ceram sarcoticum, siue etiam epuloticum medicamentum, quemadmodum & oleum esse existimarent: multi etiam & ærugini eandem uim inesse crederent. quæ si ad usum singulatim ducerent, contrarium tandem ex unoquoq; effectum conspicientes, Dioscoridem non sine ratione reprehenderent. Ne igitur in alterutrum uitium ipse impingeret; uoluit

luit quidem æruginis uim oſtendere, ſed cum quibus hoc efficere poſſet, non omittere: ac propterea de ea loquens inquit, Vlcera ex oleo, ceraq́; ad cicatricem perducit. Accidit interdum, ut ſimplex aliquod poſsit quidem abſque aliorum adminiculo uim ſuam oſtendere, uerũ locis, quæ pertranſire debet, aliquam noxam imprimet: ad quam remouendam alia adiungit. Hinc thymelæam cum farina, aut polenta, in uuæ acino, uel melle cocto obductam deuorari iubet; quia per ſe fauces adurit. Ratione uero partis affectæ (nam ex hac ſumebatur tertia componendorum medicamentorum neceſsitas) multas compoſitiones neceſſario immiſcuit Dioſcorides. eſt enim quandoque affecta pars ita remota, ut medicamentũ ſimplex, quod ad affectũ curandum habemus, alijs indigeat, quæ ei ad longinquas partes uiã muniãt; uel ſi moram medicamenti in loco requirimus, ea admiſcemus, quæ id præſtent: Ita & multa alia eſſe ſolent, quæ compoſitionem neceſſario perſuadent, quæ libenter omittimus. non enim omnia, quæ ad hanc rem ſpectant, congerere huc intendimus. Aſplenon igitur lienem abſumere poteſt, ita & Hemionitis: uerum ſi deuorentur, quia tardiſsime permeant, antequam ad lienem perueniant, nimium à calore noſtro tranſmutatæ, omnem ferè liquandi lienis uim deperdunt. quare neceſſe fuit Dioſcoridi eas ex aceto potui exhibendas eſſe docere. id enim penetrando, quamcitiſsime herbas illas ad lienem ducit. Ideo & lonchitim alteram, & braſsicam, omniaq́; ferè alia, quæ lienem abſumere poſſunt, ex aceto exhibet. Eadem ratione ceraſorum gummi, lithoſpermiq́; ſemen cum uino (ut quod exobſtruendi uim habeat) ad calculos frangendos bibi præcipit. Propterea etiam, cum loquens de pane, illum & crudũ, & coctum cum aqua mulſa inflãmationes omnes illitu mulcere docet; quòd emolliat, & quadantenus refrigeret: ſubdidit, ſed herbis ſuccisue huic rei accõmodatis admiſceatur: ſtatimq́; ſubiunxit, Vetus panis aridus, adiectis conuenientibus, citam aluum cohibet. ſic & cum agarici plures facultates propoſuiſſet, tandem inquit, In ſumma, internis omnibus uitijs conuenit, pro uiribus, & ætate datum; nunc ex aqua, nunc ex uino, ijs ex aceto mulſo, alijs ex aqua mulſa: nam lienoſis ex aceto mulſo, propter ſuperius aſsignatam rationẽ: ſi tabes infeſtat, ex paſſo; quia hoc corpus alit, detergit, & ſitim ſedat, quæ maxime in tabe infeſtare ſolet: ad ſanguinis reiectiones ex aqua ſumitur, quia hæc ſua frigiditate in agarico aſtringendi uim non retundit, ut alius liquor forte retunderet: immo per ſe ipſa prodeſt. nam unde fluit, aut fluxurus eſt ſanguis, frigido utendum eſſe Hippocrates monet: febrim non ſentientibus in uino mulſo, febriculoſis in aqua mulſa. Sunt & quædam ſimplicia, quæ alijs admixta, à proprietate

tate quadam effectum inducunt, quem non solum per se, sed nec cum quibusuis alijs adiuncta unquam inducerent. Smilacis leuis semine cum dorycnio poto, uaria, & tumultuosa in somnis obseruari tradunt: tamen nec smilax per se, nec dorycnium hoc efficere poterit; nec si hoc, uel illud cum quouis alio coniungatur. Xanthium nisi aqua tepida madescat, capillos flauos non reddet. Cimices lectularij si cauis fabarum inclusi deuorentur, quartanis auxilio sunt; & citra fabas sumpti percussis ab aspide prosunt. Sic etiam cum medicamenti moram ad locum quærit, ea admiscet, quæ lentæ, crassæ, uiscidæq; naturæ existunt; ac per hoc ad formicantes uerrucas, impetigineſq; thus ex aceto & pice illitum præbet. Sinapi etiam ex melle, adipe, aut cerato ad sugillata excipit: & ad eandem affectionem allij cremati cinerem cum melle, & alopecijs cum nardino unguine illinit. Quod cum ita sit, tantum abest, ut Dioscorides damnandus sit, quòd multas compositiones in libro de simplicibus inseruerit, ut potius maximis laudibus sit efferendus, quippe qui remediorum exactissimum usum docens, hanc de materia medica doctrinam locupletissimam reddiderit: atque morborum naturam, eorumq; connexum, tam cum symptomatibus, quàm cum causis, quàm etiam cum alijs morbis considerans, nihil omiserit, quod ad eorum remotionẽ facere uideatur. Verum hi qui nullo consilio, nullaq; ratione Dioscoridis medicamenta ad usum duxêre, horum, quæ diximus, nullam rationem habentes, ac pro nihilo eius compositiones ducentes: simplicia per se ad illos affectus exhibuerunt, ad quos alijs admixta Dioscorides exhibet. Quam ob rem, cum ex his affectus non curarentur, Dioscoridẽ adunco naso suspenderunt; quòd quædam præceperit, quorum nunquam effectum ipsi uidere potuerint. Si quis enim phthiriasim curare aggrediẽs sandarachã per se, nõ autem oleo exceptam, admoueat, ut Dioscorides admonet; ita & si ad oculorum morbos chalcitin ustam absque mellis adiunctione imponat; aut stimmi, typham'ue ad ambustos nullo adipe excipiat; tandemq; multis alijs pro arbitrio, nullam seruans methodum, utatur: quid mirum si non solum non iuuerint; sed quammaxime nocuerint? Valeant igitur, qui nulla nixi ratione, Dioscoridis placita paruipendunt. Nos autem, qui hæc non ignoramus, si quando simplici aliquo medicamine uti intenderimus; Dioscoridis compositiones peruertere non oportebit: alioqui, præterquam quòd morbum non profligabimus, in ijs medicamentis (quantum ad eorum cognitionem pertinet) hæsitabimus, quæ uel primo intuitu cunctis notissima esse poterunt.

Quid

Quid conferat medicamentorum præparatio ad ſimplicia cognoſcenda. *Cap.* VII.

QVEMADMODVM alimenta, quæ ad id reparandum deſtinantur humanis corporibus, quod continua diffłatione deperditur; præparationem quandam magna ex parte poſtulant, antequã intus ſumantur. quæ ſi omittãtur, uice probi ſanguinis, ac ſpirituum noſtram uitam ſuſtentantium, cruditates, flatus, ſuperflua excrementa, ac tandem uitioſi omnes humores generantur. unde & cachexiæ, uiſcerum propè omnium obſtructiones, febres peſtifero ueneno non abſimiles, multaq́; id genus incommoda ſubſequuntur: Sic & medicamenta, quæ ad morbos, eorumq́; cauſas profligandas, ad inſtaurandam ſanitatem ſunt inuenta; non raro præparationem requirunt. hanc ſiquis negligat, nõ ſolum ſanitatem non adipiſcetur, ſed morbificas cauſas multo maiores reddet; ac medicamentum noxium exiſtimabit, quod debitam habens præparationem, non niſi maxime iuuare conſueuit. Cum igitur antiquiores illi celebres medici, quanta imminerent pericula ex non adhibita medicamẽtis præparatione, ſatis cognoſcerent: ſiue ipſi ſimplicia, ſiue compoſita medicamenta poſteris ſcriberent, illã nunquam omiſerunt; niſi forſan cuiuis cognitam in quibuſdam etiam ſi non apponeretur, crederent. Sic maximus ille Archigenes, Aſclepiadeſque; ſic Soranus, Heras, Cleopatra, tandemq́; poſt hos omnes Galenus executus eſt; ſic & Dioſcorides, ut quem neque hoc lateret: Is enim ubicunq; neceſſaria uidebatur, præparationem apponere nõ eſt grauatus. Eius autem genera potiſsimum duo ſunt. uel enim naturalis eſt, uel artificio fit. ac de naturali quidem poſterius agetur; nunc de artificioſa loquemur: quæ in uniuerſum quatuor modis fieri ſolet. nam medicamenta omnia, uel præparantur ſolo ignis auxilio, ut aſſa, uſta, torrefacta, fricta, in cinerem redacta, & quædam alia his conſimilia: Vel ſolo aliquo liquore; ut lota, macerata, & id genus alia. liquor autem eſſe poterit aqua, uinum, acetum, &c. Vel utriſq;, ut quæ elixantur, uel decoquuntur, quæ reſtinguntur, cum cinis, uel calx, uel metallica quædam uſta abluuntur, & his non abſimilia: Vel præparationem molimur quibuſdam exterioribus inſtrumentis, quibus contundimus, incidimus, terimus, abradimus, decorticamus, in ramenta craſsiora, uel teneriora ſecamus; & multa alia. In his etiam omnibus conſideramus inſtrumenta, quibus præparationem ad uotum aſſequimur. Nam aſſantur quædam prunis, quædam clibano, quædam ſartagine, quædã etiam olla; ſicuti & quæ coquuntur, non ſolum fictili æneo, aut ferreo uaſe;

ſed

sed in fructuum corticibus, aut excauatis radicibus; & quibusdã alijs. Teruntur præterea quædam, & læuigantur plumbeo mortario; sicuti & agitantur quædam inter coquendũ tædacea rudicula, & infinita ferè alia ad optimam reddendam præparationem assumi solent, quę passim suo loco explicabuntur. præparationis autem necessitatẽ sumi, uel ob medicamenta, uel ob affectuũ uarietatẽ, nemo est ferè qui nesciat. Nam dum Dioscorides cornu ceruini cinerẽ assumit, nõ ratione dysentericę affectionis, cui exhibet, utendũ præcipit: si quidẽ exustione fuliginosum illum, atq; igneum uaporem cõtrahit, cuius ratione magis affectũ augeret, ut qui astringentia exposcit: sed ob medicamentum solum urit; quia teri difficile admodum sit: noxam uero ex igne contractã, ablutione remouet. Ob eandem rationem pyritem lapidem uri credendum est. nam tam crudo, quàm usto uim eandem tribuit Dioscorides, sicuti & phrygio lapidi. ut igitur facilius teri possit, non ad aliam adsciscendam qualitatem, uri manifestum est. Idem de cochearum marinarum testis ustis dicas licebit; idem de charta combusta, & de spongijs ustis. crocum præterea, quo facilius conteratur, in calido fictili sole siccatur, celeriterq́; uersatur; non ad nouam qualitatem ex eo eliciendam. Verum ob affectuum uarietatem tunc præparantur medicamenta, cum ex eis aliam, quam absq; præparatione retinebãt, qualitatem requirimus medicamẽto per se (quantum ad applicationẽ pertinet) absque sui permutatione aptissimo existente. Hoc autem est, cum eius aliquam noxam remouere intendimus, uel bonam alioqui latentem qualitatem detegere, uel si benignius, uel etiam potentius reddere. Quia uero multiplex est tum medicaminum, tum etiam affectuum natura: ideo tot, ac tam uarij præparationis modi quæruntur. neq; enim est quod testas crudas ablutione, uel etiam elixatione præpares, sed ustio tantum, uel contusio his debetur. sicuti quędã præparari possunt decoctione, expressione, ablutione: sed exustione, uel in calcem redactione non item, ut sunt herbæ, radices, semina, &c. nolim tamen te latere nos non quæcunque de præparatione dici possunt, huc congerere. Scimus enim à quibusdam celebribus medicis de illa abunde, & doctissime tractari. sed hic capita quædam quantum ad rem nostram facere iudicauimus, tetigimus; nonnulla etiam progressu obiter manifestabimus. Hæc quidem omnia cum non ignoraret Dioscorides medicamentorũ præparationes in omnibus ferè manifestauit. illa enim non solum causa est, cur medicamenta omnia facultates, quas pollicentur, præstent; uerum etiam eorundem cognitionem nobis ob oculos ponit. ut si quando ancipites in alicuius simplicis dignotione fuerimus, eius nobis exactã certissimamq́; scientiã relinquet.

relinquet. ſicuti contra, ſi negligatur, non ſolum morbum non ſanabit, ſed in his nos ſimplicibus dubios reddet, quæ alioqui facillime cognoſci à quouis poſſunt. Hanc igitur ob rationem ſimum caprarũ ad alopecias exuſtum ex aceto illini iubet; crudum uero ad alias affectiones, in quibus multa deterſio nõ requiritur. per ipſam enim uſtionem calidius redditur. ſimiliter & hirci, capræ, cerui, leporis ſanguinem inaſſat ſartagine, ad dyſentericam affectionem, ut deperdita aperiendi ui, quæ in horum animalium ſanguine maxime pollet, aſtringentem poſsideat: quæ non ſolum ei per aſſationem, ſed ob qualitatẽ etiam, quam ex ære, uel ferro contrahit, communicatur. Propterea etiam zeam torrefacit, antequam in farinam redigat, ad pultes cõficiendas cum aluum uehementius aſtringere intendit. Ideo & eruum tabidis, qui alimentum non ſentiunt, toſtum ex melle ſumi iubet: torrefactum nanque exuit facultatem illam, qua capiti oneroſum eſt, & aluum conturbat: quæ duæ noxæ plurimum incommodi tabidis inferre ſolent. Alcyonium item tertium ad alopecias replendas uſtum exuino præbet, ob ſuperius aſsignatam rationem: ad alias uero affectiones uri non præcipit. ſalicis corticem ad cruentas expuitiones nullam adhibens præparationem exhibet. uerum cum clauos, & callos tollere intendit; eundem in cinerem redigit: crudus enim tantam diſcutiendi facultatem non poſsidet. Eryſimi ſemen mitius multo ad clyſteres fiet, ſi aqua madeſcat, atque torreatur; uel linteo illigatum pinſita farina oblitum peraſſetur. Scimus & multa ad ſolem, uel in fimo calefieri ad nouas ab eis facultates eliciendas. Quæ uero ſolo aliquo liquore præparanda iubet Dioſcorides, eiuſmodi ſunt. Multa enim non niſi lota exhiberi uult: ut per ablutionem aliquam noxam remoueat à medicamentis. nam ſpongiarum cinerem ad oculorum uitia ablui debere monet; & tamen ad alios affectus ablutionem non multum curat: atque hoc non alia de cauſa, niſi quia morſus expertia eſſe debent, quę oculis imponuntur. ſed per ablutionem ignea ac fuliginoſa uis, quam cuiuis cineri adeſſe Galenus auctor eſt, remouetur. ſic ſuillum adipẽ ad pleuriticos uino abluit, ut ei penetrandi, ac etiam roborandi uim communicet. ad alios nanque uſus aqua cæleſti largiore quãfrigidiſſima & purgari, & ablui præcipit. Acaciam lauat Dioſcorides in oculorum medicamẽtis, donec pura extet aqua, ut ſcilicet (Galeno atteſtante) acrimoniam perdat; atq; abſq; mordicatione ſuperfluitates exiccet: lauat & aloën, ut quod ſit arenoſiſsimum, tanquam inutile ſubſidat, & leue ac pinguiſsimum aſſumatur. quanquã Galenus VIII. κατὰ τόπους ablutionem in aloë laudat, quia multum de medicamentaria ui deponit: unde & febricitantibus dare aliquis audeat; quibus tamen illota

maxime obesset. Huc etiam maceratio refertur; quæ duabus potissimum de causis fit: nam uel liquoris qualitatem, in quo medicamentũ maceratur, ad ipsum medicamentum ducimus; uel medicamenti uim ad liquorem trahimus. Id uero ad diuersos fines; quando medicamenti qualitas uel utilis est, uel inutilis: si utilis, ad liquorem perducimus, ut liquore utamur, medicamento tanquam inutili reiecto: sin autem inutilis, contrarium expetimus; ut scilicet liquorem abiiciamus, medicamentumq; ad usum accõmodemus. Salicis corticis cinerem cum aceto maceramus ad clauos, & callos tollendos; non ut aceto utamur, sed potius, ut cinerem aceto imbutum usui aptemus. Sic cum smyrnij folia muria macerat Dioscorides ad aluum sistendam, & ad obsonia: muriẹ facultatem ad smyrnium trahere intendit. Cum uero circæ radicem in dulci uino per diem & noctem macerat, ut potu uuluas expurget; medicaminis uim ad uinum rapere studet. Sic cum lupinos tam diu macerat, dum dulcescere incipiunt; eius quidem amaram facultatem, ad liquorem deducit. verum quia inutilis est, liquorem abijcit, foliscq; lupinis tritis cum aceto potis ad appetitum conciliandum utitur. At uero quæ decoquit (nanque hæc tum igne, tum liquore præparari diximus) quandoque ut ipsis sic decoctis utamur, decoquit Dioscorides: quandoque ut, ipsis abiectis, decoctum tantum ad nostrum usum accommodemus. Propterea apium si coctum, uel etiã crudum edatur, urinam ciere cõsueuit: cum tamen eius decoctum uomitiones excitet, ac per hoc uenenorum noxæ resistat. Re quidem decocta, uel elixa tunc utitur, cum in ea superfluum quippiam, quod curationem impedire possit, à medicamento remouere cupit; uel si qua facultas in terreis partibus ita fundatur, ut nõ nisi per decoctionem in actum exire ualeat: & alijs quibusdam de causis. sic althæam in uino, aut aqua mulsa decoquit, ad uulnera, ad strumas, ad abscessus, alioscq; morbos: quia succus eius, cuius ratione discutit, excoquit, rumpit, ad cicatricem perducit, ita uiscidus est, tamq; terreis partibus permixtus, ut elixatione opus sit, ut ad actum deduci possit. Eadem ratione & cannabis syluestris radicem decoquit; hanc enim non solum facultate, sed substantia etiam althææ similem statuit. Furfures decoquit acri aceto ad turgentes mammas sedandas, ut per huiusmodi decoctionem penetrandi uim acquirat, & discutientem intendat, ita enim & torminosos iuuare poterit. Brassicam marinam propter acrimoniã cum pingui carne coquit: acria enim omnia decoctione uim suam remittunt. Nam & porrum bis aqua mutata coctum dulcescit: cepa cruda quàm cocta acrior est. Simpliciũ uero decocto utimur multas ob causas, sed potissimum, cum medicamentum diuersas facultates sortitur;

nosq;

noſq; una indigeamus, quam per decoctionẽ elicimus, reliquis in medicamenti ſubſtãtia remanentibus. Pyrethri radicis decocto os collui ad dentium dolorẽ præcipit Dioſcorides, quia uis eius feruens, acriſq; in aceto, in quo eam coquit, deponitur. Item ad regium morbum curandum roriſmarini coronarij decoctum potandum exhibet: nam ſic aperientem uim ſolam accipit; nõ etiam terream, ac per hoc obſtruentem, atque huic affectioni contrariam. Gingidij decoctum ex uino potum ueſicæ prodeſt, quod non præſtare poteſt olus coctum, ſiue crudum: id enim ſtomacho, ſi edatur, prodeſt; non etiam ueſicæ, atque ita in quamplurimis alijs, quæ Dioſcorides aſſari, torrefieri, uri, frigi, reſtingui, elixari, ablui, aut alio quouis modo præparari iubet, oculum ſemper adijciens ad medicamenti naturam, uel ad affectum, uel ad corpus ſubiectum. Non mirum igitur ſi in illo uideamus milium, piper, bulbos, ſcillam, & multa alia torrefieri: lini ſemen, fabam, cicer, colocaſiam, maluam, betam, portulacam, terrenos uermes, ſepiam, ſcolopendram, atque infinita ferè alia decoqui, ſiue elixari: ſicuti hippocampum, cancros fluuiatiles, muſtelam, ranas, hirundines, earumq; pullos in cinerem redigi: Cremari uero, mitulos, buccina, purpuras, erinacei terreſtris corium, lanas, aliaq; eiuſmodi multa. ſic & quamplurima uri, deinde aliquo liquore reſtingui. Multa, poſtquam in cinerem, uel etiam in calcem ſint conuerſa, ablui: multa diuerſis liquoribus macerari. Vtque ad ea, quæ in quarto ordine præparationum ſtatuimus, quæ ſcilicet exterioribus quibuſdam inſtrumentis perfici diximus, tandem accedamus; ſphondilij radicem contra regium morbum, & iecinoris uitia circunraſam præbet. A terreſtri coclea lentorem acu abradit, ad pilos incommodos replicandos. Conterit & fœniculi radices ad canum morſus: ſic & roris marini herbam ad ſiſtenda hæmorrhoidum profluuia. Sic aparinæ herbam, alyſſon, atractylida, triſſaginem, tuſſilaginem, anagyris folia, ſcorpionem terreſtrem, leporem marinum, hippocampi teſtes, lacertæ caput, & alia quamplurima medicamenta ad diuerſos affectus pollentia, terit. Sic & peucedani radicem, ſcordium aridam in farinam conterit: lolium molitum, fœni græci, eruiq;, necnon lupinorum farinam ad uſum ducit. Dracunculi radicem fruſtatim conciſam in umbra ſiccat. Cyclamini radicẽ ſcillæ modo conciſam reponit. Quòd ſi ad inſtrumenta nos ipſos conuertamus, Glaucij folia in olla fictili, ſemifrigidis clibanis calfacere indigenas auctor eſt Dioſcorides, uſq; dum flacceſcant; deinde contuſis ſuccum exprimunt. Piper fictili nouo torretur. Chelidonij maioris ſuccum æreo uaſe prunis decoquit ad oculorum claritatem inducendam. œſypum in teſta noua torretur, donec redactum in cinerem pinguitudinem

nem amittat. Hirundines, & eorum pulli fictili olla concremantur. Oui luteum in patinis frigit. Pueri impubis urinam in æreo uase decoquit. Excauata rapi radici rosaceum ceratum adigit, & feruenti cinere liquat, ad pernionum ulcera. Sic & Cyclamini radicem cauatam oleo explet, & cinere feruenti imponit, ad eosdem perniones. ad quos etiam oleum in excauatis hastulæ regiæ radicibus igni decoctum illini iubet. Sic millepedas in cortice mali punici calfacit, ut aurium doloribus succurrat. Vinum itidem in cucurbitam recentem excauatam infusum, si mixtum sub diuo teneatur, potu aluum lęuigabit. Hæc autem in his uel coquit, uel calfacit, uel etiam infundit, non ob instrumenti defectum, sed ut uim aliquam inde mutuetur affectui sanando idoneam. Hæc igitur, & alia, quæ ad præparationem pertinent, sic, ut à Dioscoride proponuntur, exequi debemus. Nam quanti momenti sit præparationem in omnibus obseruare, uel illud ostendit. si quando enim omittatur, contrariam, nedum diuersam qualitatẽ medicamenta sæpius inducunt. Adeps anserinus, aut gallinaceus (inquit Dioscorides) recens, & sine sale conditus ad uuluæ uitia proficit: sale inueteratus, & qui temporis spatio acrimoniam cõcepit, uuluæ inimicus est. Si quis igitur incidat in Fuchsium uirum & eruditione, & doctrina præclarissimum, qui lib. III. de medendis morbis, ad uteri exulcerationem, itemq; ad phimosim adipem anserinũ præcipit, nullã addens distinctionem, recens ne scilicet, an uetustum assumi oporteat: ipseq; forte uetustum, aut sale aspersum imponat, atque inde noxa sequatur: non'ne illum damnabit, tanquam noxia remedia scribentem? Verum si recte Dioscoridem intueatur; iam in hunc errorem incidere haud poterit. Fæx usta uim supra modum urentem, & abstergentem retinet; quæ uero ustionem experta nõ est, contrarias ferè qualitates possidet. idemq; de quamplurimis alijs dici posset. Si quis igitur lilij radice, ambusta sanare aggrediatur, atque ita crudam eam imponat, non autem inassatam, ut Dioscorides præcipit: quid mirum si affectum non curabit? sicuti si condylomata reprimere quispiam credat ballotes folijs; eaq; feruenti cinere flaccescere non permittat: cui dubium est fore, ut is suo uoto frustretur? Ergo si mens quandoq; sit pæoniæ radice aluum sistere, illam uino coque; quia sic Dioscorides pręcipit. Ita & si fæcem ustam ad oculorũ morbos exhibere animo conceperis; caue eã absq; ablutione propines. Sic si pompholygem abluere intendas, nisi linteo mundo, modiceq; raro ligatam in labellum, quod imbrem cõtineat, abluas; cæteraq;, quæ à Dioscoride proponuntur, exequaris, non solũ sedimenta nõ remouebis, sed utilioribus partibus abiectis, recrementa omnia tibi remanebũt. inde eam ad oculorũ morbos imponẽs,

nullum

nullum iuuamen inſpicies. atque ita in Galenum inueheris, qui IIII. κατὰ τόπους nihil præſtantius pompholyge ad oculorũ uitia inueniri tradit. Fel pro uarietate affectuũ, uarias fortitur præparationes: nam quod ad oculorũ medicamenta adiici ſolet, ligatũ lino in uitreum uas, quod mel habeat, immittitur circũuoluto ad os uaſis lini principio, & operto uaſe reconditur: ad alias uero affectiones aliter præparatur. Sed neque ſufficit Dioſcoridis præparationes exequi: ſed ita eas perficere oportet, ut gradus, ac limites ſuos non tranſgrediantur. ſunt enim in præparationibus ſpecie diuerſis gradus. Nam cũ ex eodẽ agente tranſmutatio, quam præparationem nuncupamus, fiat, perinde ut hæc magis, uel minus fit; ita diuerſas efficit præparationes. Nam torrefactio non alio differt ab uſtione, niſi quòd minorem ſuſcipit alterationem, atque eadem ratione utraque ab eo quod in cinerem redigitur, differens eſt. Quòd ſi nos exiſtimauerimus medicamen aliquod aſſaſſe, cum tamen illud potius uſſerimus, uel quod maioris momenti eſt, in cinerem conuerterimus, & ad aliquem morbum admouebimus; neque effectus, quem quærebamus, ſequatur: iam ſi Dioſcoridem accuſauerimus, in nos ipſos accuſatio merito reflectetur: ac multo magis, ſi ex non adhibito uero ac genuino medicamento hoc accidiſſe putauerimus. Dioſcorides nanque dum calcem uiuam ex marinorum buccinorum teſtis conficit, iubet ferueuti clibano nocte dimittere; poſtera die, ſi candidiſsimæ fuerint, extrahi; ſin aliter, iterum uri: quia uſtæ quidem ſunt, ſed ad calcinationem (ut dicunt) nondum peruenerunt. Ita & cum ſtibium urit, pinſita farina circunlitum torret & carbonibus obrutum, donec carbunculetur cruſta. urit etiam carbonibus ſuccenſis efflatum, quoad igni deflagret: ſi enim paulo magis concremaretur, plumbum fieret. atque ita te ſtibio uti crederes, & tamen plumbum potius ad uſum duceres. Simili modo ſi alcyonium, necnon ſpongias, lanaſq; urere cupias, neceſſe eſt in crudum fictile eas immittere, & uaſis ſpiraculum luto oblinire, atque ita fornaci mandare: & cum figlinum percoctum fuerit, extrahes, & ad uſum recondes. Nam ſi quouis modo hæc uri poſſe credens, aliter proſequeris: probam illis præparationem non dabis, atque ita affectus non curabis. Quemadmodũ ſi caninam urinam ad pus in auribus ſupprimendum infundas, præclare cadet curatio: ſed ſi auriũ uermiculos abigere cures, niſi in calyce mali punici illam coquas, ſcopum non aſſequeris. Conſiderandi igitur ſunt & præparationis gradus, & inſtrumenta, quibus quicquam præparetur, nihil Dioſcoridi innouans. Gradus uero præparationum non ſolum in diuerſis ſpeciebus, ſed in eadem ſpecie conſideremus neceſſe eſt: ut cum Dioſcorides dicit portulacam

contra dysenteriam, sanguinis profluuia, & nonnullas alias affectiones percoctam ualere; si tu leuiter coquas, forte nihil iuueris. si etiam cupias paucum, uel multum nutrimentum ouo inducere; scito ouum molliculum plus alere sorbili; & durum plus molli. Sic oui candidũ summe tepidum exhibere debebis, si uesicæ rosiones, renum exulcerationes, gutturis scabritias, ac quosdam alios affectus mulcere optaueris. Ita & suillus talus tandiu uri debet, donec è nigro inalbescat, si coli inflammationibus, diuturnisq; torminibus mederi aggrediaris. Lac ut minus inflet, semel feruefieri postulat, sed si cum calculis marinis decoquatur, ad ulcerosas uentris fluxiones ad dimidias coqui debet. Faba semisecta apprimitur ad supprimendas sanguinis fluxiones ab hirudine concitatas. Lupini decoquuntur cælesti aqua, donec in cremorem lentescant. iidem macerantur, donec dulcescere cœperint. & multa alia his similia Dioscorides limitibus quibusdam circunscribit: quos si transgrediamur, aut non exacte attingemus; in curandis morbis, atque in simplicibus perfecte dignoscendis infœliciſsimi erimus. sicuti illis accidit, qui cum uideant Mesueum, ut uulgata Manna coquatur præcipientem, quo fœlicius uentrem leniat, nullo consilio eam tandiu igni committunt, quoad ex toto euanida reddatur; nõ considerantes illam, ut quæ aëreæ substantiæ est, leui(si modo coqui debeat)decoctione indigere. Sic & Tamar Indos, omneq; myrobalanûm genus post longam macerationem pharmacopœi quamplurimi diutius coquunt, ita ut non solum purgatricem uim in terreis eorum partibus fundatam in decoctum deducant: sed eam rursus nimia ad ignem mora deperdãt; dumq; leuigare corpus credunt, illud potius astringunt: nam ex leui, multa ue decoctione contrarij effectus in eisdem medicamentis apparere solent. Lentis enim decoctũ ualere uult Dioscorides contra alui fluxiones, quibusdam additis cum aceto. uerum cum eo acetum diligenter percoqui debet: nam si leuius coquatur, aluum conturbat. immo & ipsa lens per se accurate decocta, primaq; aquâ inter coquendum effusa, aluum cohibet: leuius tamen decocta, neque abiecto primo decocto aluum resoluit. Ita & brassica satiua aluo est idonea; si modo leuiter seruefacta edatur: nam percocta aluum sistit, sed multo magis biscocta. hactenus de artificiosa præparatione. Aliam fieri diximus naturaliter; de qua pauca dixisse sufficerit. ac primum quidẽ illud admonebimus, siue ea recte inter naturales res dici debeat, siue etiã præparatio dici mereatur aut nõ: nos nõ multũ curare; sed uoluimus hanc his, quæ de præparatione inferere; quia eandem rationem sortiri uidetur. Huiusmodi sunt, quæ cruda appellamus, item immatura, uiridia, sicca, & eius generis alia, quæ à

natura

natura,hoc eſt nullo interueniente artificio, nullaq́; adminiſtrata cura ad medicum uſum ducuntur. Immatura enim præparationem quandam habere uidentur; quia cum in maturitate ſunt, aliam atque aliam naturam retinent;medicoq́; neceſſarium eſt ea recte diſtinguere. quod quibuſdam exemplis manifeſtabimus. Siſymbrium(ſi Galeno credimus)exiccatum calidum eſt & ſiccum in tertio receſſu; uirens uero in ſecundo tantum. ſimiliter uinum in uniuerſum calidum eſt in ſecundo ordine,ſed ſi uetus ſit, ad tertium attingit; muſtum uero in primo ſolum. Ptarmice uiridis calida & ſicca eſt in ſecundo gradu; ſiccata in tertio. Hinc Galenus reprehendit Archigenem 11. κατὰ τόπους, quòd ad capitis dolorem rutam adhibeat non apponens an uiridem, an aridam uellet. eſt enim non parua differentia, cum arida multo acrior,& calidior, quàm uiridis exiſtat. maxima etiam differentia eſt inter uetuſtam & recentem thapſiam, euphorbiumq́;, ut idem Galenus docet primo κατὰ τόπους. propterea igitur Dioſcorides myrti ſuccum ex foliis recentem eſſe debere aſſerit ad uſum; nam exiccatus planè cariem ſentit,& uires amittit. Cotoneis crudis utitur, & immaturis malis, ad nonnullas affectiones, itemq́; perſicis, pomis nũc maturis,nunc acerbis,nunc ſiccis, nunc uirentibus pro uarietate affectuum. Ceraſia uiridia aluo utilia, ſicca illam cohibent. idem de ſiliquis, & de prunis tradit. Quandoq; nullum fit diſcrimen,ſiue aridum, ſiue uirens apponatur medicamentum,ſiue crudum, ſiue coctum cataplaſmatis imponat,quibus aſtringendũ eſt. Aſclepiades apud Galenum 11. κατὰ τόπους ad capitis dolorem mentham uiridem, ſiue aridam, item roſas ſiccas, aut uirides imponit; quod quidem an recte fiat, alibi dicemus. Calamintha cocta,crudáue tineas enecat. Apium ſiue crudum,ſiue coctum edatur urinam ciere Dioſcorides auctor eſt: quaſi nulla ſit differentia ſiue naturalem, ſiue artificioſam præparationem in ea accipiamus. Damnat Galenus in his,quę Apollonius ad auriũ dolores ſcripſit,111. κατὰ τόπους, eos qui caſtoreum torrefactum ſucco papaueris immiſcebant, ut quod efficaciam amitteret: uerum ſuadet, ut relicta hac artificiali præparatione, ad naturalem confugiant; ut ſcilicet inueterata iam compoſitione utantur. ita enim medicamenti lenitas, quæ per caſtorei torrefactionem quærebatur,rectius habebitur. Sed hæc,ſiue horum nonnulla, ſi ad delectum referenda potius duxeris, quàm ad præparationem; nulla mihi tecum fuerit contentio; cum hoc rem ipſam non tollat, ſed tantum modo tranſponat, eodem tamen modo ubique permanet. Nos igitur, qui medicamentis recte uti intendimus, ne latum unguem à Dioſcoridis cenſura diſcedere oportet, atque ubi ipſe præparationem medicamento adhibet, nos illum imitantes, eandem

perficiemus. Quòd si id omittamus, atque tanquam minime necessarium floccifaciamus, ne ullum quidem affectum curare poterimus, sed potius impensè nocebimus. Hinc sequetur simplicium aspernatio. Dioscoridem damnabimus, quòd eas simplicibus facultates tribuat, quas nullo pacto ostendere unquam poterunt. Adde quòd & multorum etiã ignari reddemur. existimabimus enim aliquod medicamentum spurium esse, quòd non eos effectus præbeat, ad quos pollere Dioscorides docet, non animaduertentes hoc euenire ob non adhibitam præparationem.

Medicamentorum delectum maxime necessarium esse ad simplicium ex facultatibus dignotionem. et de medicorũ incuria. Cap. VIII.

Non præstabunt medicamenta, quas pollicentur, facultates, nisi omnibus numeris absoluta sint. Vnde tam si in cõpositionibus, quàm si per se, celebres auctores illis utuntur, nihil tam suadere solent, quàm eorum delectũ. Cum enim iridis radicẽ calidã, & siccam in secundo ordine esse inquiunt; eam intelligunt, quæ Illyrica est, & Macedonica: quæ pumila ferè, & densa constat radice, frangenti contumax, subrufo colore, gustu feruente, odore perquam syncero, ita ut nullum prorsus situm redoleat; quæ dum tunditur, sternutamenta mouet. ex quibus si quædam deficiant, ab illo gradu declinabit, & uiribus in caliditate & siccitate longe infirmior fiet. Quòd si uel omnia hæc supradicta, uel eorum bona pars in ea desideretur: inualida prorsus reddetur; atque ita etiam in alijs. unde efficitur, ut cum quidam existiment hæc obseruanda nõ esse, quodcunq; medicamen ad manus sit, usui adaptantes, atque effectum nullum ex eius usu uidentes: in illos errores incidunt, in quos sæpius incidisse multos ob alias causas docuimus. Neq; enim eorum, quæ uarijs locis suasit Galenus meminerunt: ac præsertim VII. κατὰ γένη, cap. IIII. ubi habet. Accedit huc, quòd ipsa simplicia medicamenta non paruo diuariant discrimine. At ego cum in „ præstantissimis uirtutem pro unaquaq; specie, ac genere ostenderim; „ si quis in deterrimo per experientiam examinationem moliatur, exa- „ minabit quidem falso, nõ autem facultatis eorum ordines distinxerit. „ Hæc Galenus: qui & I. κατὰ τόπους, qua de alopecia, ubi pondus thapsiæ, & euphorbij in uigore existentium, non ueterum intelligi oportere docet, atque in uniuersum in omnibus medicamentis, etiamsi nõ apponatur: sed postquã fortia pharmaca in ea ætate elegerit, qua plus pollent, illis deinde parce uti poterit; atque alia obseruare, quæ ibi Galenus animaduertit. At uero tam multa sunt, quæ in simplicium

delectu

delectu cõsiderare oportet,ut à perpaucis cõsiderari potuerint. quam ob rem in multas ambiguitates incidêre: quæ quidem quot sint, ac quonam pacto uitari debeant; iam docebimus. Scire igitur licet medicamentorum delectum duplicem esse ad summum: nam uel dantur regulæ medicaminum eligendorũ uniuersales, quæ omnibus simplicibus accõmodari possunt; uel particulares, quæ scilicet quibusdam conueniunt. Vtrunq; nos docuit Dioscorides. nam quæ obseruanda sint in unoquoq; medicamento, quantum ad eorum lectionem pertinet, ubicunq; necessarium uidebatur, proprijs capitibus adnotauit. Verum uniuersales regulas,ut quæ seperatam tractationẽ exposcebãt, in sui libri præfatione quambreuissime perstrinxit. Nam medicamentorum delectus uel est ratione temporis colligendi, uel ratione regionis, loci ue, in quibus colliguntur, uel ratione locorum particulariũ, seu uasorum,in quibus recondi postulãt. Rursus uero tempus ad tria referri potest: ad aëris constitutionem, ad ætatem medicamenti, dum colligitur,ad eiusdem uetustatem,post quam lectum sit. Aëris constitutionem obseruandam inter colligendum his uerbis suadet Dioscorides, Serena igitur cæli constitutione demetenda sunt: magni siquidem refert inter colligendum, si uel squalores, uel imbres infesti sint. Aetatem uero medicamentorum considerari oportere hisce uerbis expressit. Verum in primis curam impendere oportet, ut suis temporibus singula demetantur,& recondantur. certe pro horum ratione,medicamenta aut ualent uiribus,aut euanido,nulloq́; munere funguntur. Ac paulo post,Plerunq; degenerant,ac minus uiribus ualent; multoq́; magis,si non suo tempore, nec oportune colligantur, aut si per imbecillitatem intabuerint. Et longo post interuallo subdit,Quæ uero fruticosa sunt,sicut stœchas,trissago,polium,abrotonum,seriphum,absinthium,hyssopum,& alia id genus,semine prægnantia demetantur. flores quoque anteaquam sponte sua decidant; fructus autem ut maturi decerpantur necesse est: & semina ubi siccari cœperint, priusquam defluant. Herbarum succus, & foliorum elici debent, germinantibus tum primum cauliculis. Lac & lacrymæ excipiantur inciso per summum adolescentię uigorem,caule. Radices,& liquamenta,cortices ue, ut recondantur,eximere cõuenit, cum herbæ suis folijs exuuntur. hactenus Dioscorides. Neq; est quòd circa collectionẽ, aut repositionẽ medicaminũ tempus anni requiras, quia id in ætate intelligitur. Nam cum dicimus fruticosa colligi debere semine prægnantia, nulli dubiũ est, semina in hoc, uel illo frutice, statuto anni tempore, non quouis adesse. sic de floribus, germinibus, alijsq́; plantarum partibus intelligas oportet. At uero tempus, ut refertur ad simplicium uetustatem,

post

post eorum lectionem, nobis considerandum reliquit, cum inquit, Scire etiamnum conuenit, sola ex herbaceis medicaminibus, ueratri „ genera, nigrum inquam, & candidum multis edurare annis: reliqua à „ trimatu inutilia. quanquam locus hic mendi suspitionem non uitat, „ ut recte à nonnullis animaduersum est, & ex Theophrasto quis colligat. Atq; hæc quantum ad colligendi tempus attinet. Sumitur secundo loco medicamentorum delectus à loco, & regione; hoc autem docet Dioscorides his uerbis. Magni siquidem refert, &c. si loca in qui- „ bus prodeunt, cliuosa, & uentis exposita sint, & perflata, frigidaq;, „ & aquis carentia: in his enim locis uires eorum longe ualidiores intel „ liguntur. Contra, quę in campestribus, riguis, & opacis, cæterisq: „ locis à uento silentibus enascuntur, plerunque degenerat, & minus „ uiribus ualent. Tertio à recondendi seruandiq; ratione: frustra nanq; „ medicamenta delegeris, nisi multam adhibueris diligentiam illis tam apte reponendis, ut perdurare diutius in sua ui possint; ac propterea Dioscorides hoc non subticuit, inquiens. Flores, & omnia, quæ iu- „ cundum odorem efflant, arculis tiliaceis nullo situ obductis reponan- „ tur. Nonnunquam charta, aut folijs semina, ut perennent, apte in- „ uoluuntur. Liquidis medicaminibus densior materia argentea, uitrea, „ aut cornea conuenit: fictilis etiam, si modo rara non sit, accommo- „ datur, & lignea, præsertim è buxo: sed ænea uasa ocularijs medica- „ mentis, liquidisq;, & omnibus ijs, quæ aceto, pice liquida, aut cedria „ componuntur. Adipem autem, & medullas stagneis uasis recondi „ conuenit. Hæc ille. Considerare etiam quispiam posset & loca, ut ca- „ lida, frigida, humida, uel sicca sunt, in quibus hoc, uel illud medicamen aptius suam uim seruat. sed de his Dioscorides loquitur suis capitibus, atque ibidem nos id considerabimus. Hæ igitur regulę sunt uniuersales circa medicaminum lectionem, quæ cuiuis medicamento conueniunt. reliquum est, ut ad particulares electiones accedamus, quæ scilicet his, uel illis medicamentis propriæ existunt, quæq; sunt 30
ueluti signa, an ab alijs collecta medicamenta superioribus obseruatis canonibus collecta sint. Nam si nos ea collegerimus, uniuersales tantummodo regulas obseruare ad eorum perfectionem sufficiet; neq; est quod alia quædam peculiaria indicia quæramus: Verũ cum bona pars medicamentorum ex peregrinis partibus aduehatur: an debita regione, loco, tempore, alijsq; collecta sint, iudicamus ex eorum substantia, colore, sapore, odore, pondere, alijsq; quamplurimis, quæ mox subiungemus. Si enim ad nos comportetur medicamentum optimi odoris, uehementissimi saporis, atque eius substantiæ, quam habere debet; aliaq; habeat signa à Dioscoride proposita: necessario dicẽdum

est,

eſt, illud lectum fuiſſe loco, & regione ſiccis, uento perflatis, cum ſerena eſſet cæli conſtitutio, nullis exiſtẽtibus ſqualoribus, imbribuśue; aliaq́; eſſe obſeruata, quæ obſeruari debere ſuperius diximus. De his igitur cum locuturi ſimus, rurſus incidet mentio de regione, loco, ætate, ac tempore: uerum hic magis in parte, ſuperius magis in uniuerſum. Deligit igitur Dioſcorides medicamenta ab eorum ſubſtantia, probatq́; iridem denſam: acorum, plenum, denſum, carie non exeſum: Cyperum, plenum, denſumq́;: cardamomum, plenũ, occluſum, farctumq́;: nardum celticum, plenũ, cohærens: malabathrum, integrum. infirmum enim, & minutim contuſum, uitioſum eſt. Ita & caſiam eligendam eſſe fiſtuloſam monet; damnatur enim quæ tenui fiſtula eſt: Amomum, quod nec aſtrictum cohæreat, nec conuoluatur, ſed ſolutum diffundatur; quod cariem non contraxerit. eius fragmẽta fugienda ſunt; eligenda uero quæ ab una radice integros ſurculos emittunt. Calamum odoratum laudat, qui aſſuloſe frangitur, plena araneorum fiſtula: pumicem, ſpongioſum, ſciſſilem, nec arenoſum, teri facilem: ſal, calculis uacans, denſum æquali compage: ſulfur minime lapidoſum, pingue: Auripigmentum, cruſtoſum, nulli materiæ permiſtum, in ſquamas ſciſſile: opobalſamum, quod facile diluatur: Carpobalſamum, plenũ: piper, plenum, ac minime ſurſuroſum: Gingiberis radices, quæ teredines non nouerunt: œſypum, pingue nihil in ſe duri, aut concreti habens: Crocodileam, friabilem amyli modo; in humore ſtatim eliqueſcentem: Mel, quod ob ſequacem lentitiem non facile abrumpitur: Ceram, ſubpinguẽ: Propolim, maſtiches more ductilem: Galbanum, cartilaginoſum, pingue, minime lignoſum, retinens nonnihil adiecti ſeminis, & ferulæ: Viſcum, quod ſurſuroſi nihil conceperit, & alia id genus propemodum infinita. A magnitudine etiam medicamenta eligens, Iridem laudatiſsimam eſſe docet, quæ pumila ferè conſtat radice. Nardum Syriacum, largam gerens comam, breui ſpica: Caſiam, perquam anguſtam, longam, craſſam: cinnamomum, tenuibus ramulis: Iuncum odoratum, tenuem: xylobalſamum, ſarmento tenui: Carpobalſamum, grande: Erui uberiora grana: Ammoniacum, in minutis glebis. A multitudine probat nardum celticum, radice numeroſa: Cinnamomum, frequentibus nodis cinctum: Odoratum iuncum, floribus refertum: Calamum odoratum, denſe geniculatum. A qualitate tactili laudatiſsimam propolim dicit; quæ in uehementi ariditate mollis eſt: Galbanum, quod neque ualde humidum, neque nimis aridum exiſtit: Cyperum, aſperam: Cinnamomum, quod non cito ſit confricanti aſperum; aut frianti lanuginoſum: Ichthyocollam, ſubaſperã, ſed minime ſcabram: Viſcum,

quod

quod asperi nihil conceperit. Casiam damnat scabram. Piper eligit, quod nõ multas rugas contraxerit: Alumen rotundũ bullis turgens. A pondere (nam & id etiam ad tactus qualitatem refertur) præfert costum, opobalsamũ, nardum syriacum, œsypum, crocodileam, nitrum, Asium lapidẽ, gagatemq;, & alia quamplurima, si leuissima sint. Contra uero Amomum medicum, carpobalsamũ, mel, crocomagma, piper, cyperum, & alia multa, optima esse constituit, quæ grauissima sunt: Phrygium lapidem, modice grauem. A puritate, uel impuritate (si seperatim quis de ea loqui uelit, & ad substantiam nõ referat) laudatissimum ait esse ammoniacum, ligni, & calculorum expers, syncerum, nulla sorde spurcatum: opobalsamum, syncerũ: ceram, puram. attamen œsypum præstare uult, quod radicula non sit purgatum. A colore præstantissima esse docet, si candida uel candicãtia sint, onychem, bryon (nam nigrũ improbatur) lac, œsypum, crocodileam, Ichthyocollam, alumen sciscile, & non pauca alia: sicuti nigrum colorem probat in pipere, crocomagmate, & alijs multis: flauum in nardo syriaco, carpobalsamo, propoli: fuluum in calamo odorato, xylobalsamo: rufum in odorato iunco, & peucedani succo. Probat & Iridem subrufo colore: malabathrum ex candido nigricans: casiam, fulueſcentem, pulchri coloris, coralli æmulam. damnatur enim candicans. cinnamomum præfert nigrum ex uinoso in cinereum uergens: Amomum fuluo auri colore, ligno subrubro: Aspalathum, detracto cortice rubentẽ, aut in purpurã uergentẽ: Crocum, boni coloris, paulũ candidi gerens in capreolo, quodq; madefactum manus inficit: Cantharides potẽtissimas esse omnes uarias, luteis lineis in pennis transuersis: Mel, subflauum: ceram, subfuluam: laser, rufum, translucens, myrrhæ æmulum, non porraceum; quod dilutum facile albescit: euphorbiũ, translucens: Ammoniacum, bene coloratum: sic & in innumeris ferè alijs medicamentis, ut optima deligantur, signa ponit ab eorum colore, quæ huc congerere ob breuitatem non libet. Ab odore etiam deligit medicamenta; laudatque Cyperum odoris cum quadam acrimonia iucundi: cardamomum, odore caput tentans: Ita & malabathrum, quod præterea diu in sua ui odoris permaneat. nam si cariosum uirus olet, uitiosum est: Nardum celticum, Bryon, Acorum, Aspalathum, & alia multa, odoris iucundi: similiter & nardum syriacum, quod etiam cypirum redoleat. nam aliud genus est, quod cum hircorum uirus redoleat, improbatur; sicuti & improbatur casia, quæ idem uirus spiret. eligenda enim est aromatica, uinoso odore: costũ uero, & cinnamomum, & laser eximia odoris suauitate: xylobalsamũ, quadantenus opobalsamum spirans: propolim odoratam, styracem

referens

referens: Sagapenũ, quod nescio quid inter Laser, & Galbanum redoleat. Sunt & infinita propè alia apud Dioscoridem, quæ iucundũ odorem requirunt ad eorum perfectionem; sicuti & nonnulla sunt, quæ grauiter olere debent, ut optima uiribus existant. Nam œsypum tunc perfectissimum est, cum succidarum uirus olet. Crocodilea etiã præstat, si cum teritur fermenti acorem quadantenus referat. Galbanum, alumen scissile, necnon peucedani succus si grauiter oleant: quanquã peucedani radix, ut perfecta sit, odoris plena esse debet. Castorium eligendum odore graui, & uirus redolente: Ammoniacum etiam, quod
10 castorium odore imitetur, & multa alia quæ per se quisq; uidere poterit. A sapore perfectissimorum medicaminum indicia sumens laudat Iridem Illyricam, peucedani succum, iuncum odoratum, sagapenum, euphorbium, & multa alia gustu acri, feruenteq;, seu igneæ mordacitatis ad linguam: Nardum Syriacum amaro sapore, linguam siccante; quod diu in sua odoris gratia permaneat: Casiam gustu mordentem, & cum aliquanto feruore astringentem: Malabathrum, quod nardum sapore imitetur nullo salis gustu: Cinnamomum eligendum esse acre, mordens, & cum calfactione quadantenus salsum: Calamum odoratũ, lentum in mandendo, & astringens, & cum aliquanta acrimonia ama-
20 rum: Aspalathum gustatu amarum: crocum subacre: laser suaui gustu. Diphryges præfertur, quod saporẽ æris reddit æruginisq;, adstringens, & uehementer exiccans linguam: Alumen gustu perquam astringens. alia quamplurima apud Dioscoridem uidere est. Nec minus à loco uel deligit, uel reprobat medicamenta: nam Nardus Gangitis uiribus infirmior est ob multam loci, in quo prodit, uliginem. Ganges enim fluuius Indicum montem, in quo enascitur, præterfluit. Sic & Amomum Medicum improbat. quoniam in campestribus, & aquosis enascitur. laudat uero Bryon quod in cedro arbore inuenitur. Cantharides optimas esse dicit, quæ à frumentis congestæ fuerint: sic succidas lanas præstare, quæ è collo, fœminibusq; habentur. A Re-
30 gione similiter eligit, ut Irim præstantissimam esse docet Illyricam, & Macedonicam: secundum uero locum habere Africanam: Acorum optimum esse colchidicũ & Galaticum, quod Aspletion dicunt: Cyperum laudari Cilicium, Syriacum, & quæ à Cycladibus insulis petitur: Cardamomum, quod ex Commagene Armenia, Bosphoroq; aduehitur. Cinnamomum præfert Mosyliticum: Amomum, Armeniacum: Costum, Arabicum: Crocum, Coryceum: Odoratum iuncũ, ex Nabathæa: Mytulos laudatissimos in Ponto: Onychem, qui à rubro mari defertur: Sory, Aegyptium: Misy, Cyprium: Rubricam fabrilem, Carthaginiensem, & Aegyptiam: sic & infinita propemodum

alia.

alia. Ab ætate pariter optimorum medicamentorum indicia sumit, ut triticum, necnon sinapi adulta esse colligenda præcipit: sicuti & fruticosas omnes plantas, cum seminibus scatent. A uetustate, ut nardum syriacum, celticumq;; malabathrum, Cinnamomum, Amomum medicum, costum, odoratum iuncum, opobalsamum, xylobalsamum, crocum, triticum, piper, peucedani radicem, uiscum, & alia multa quo recentiora, eo præstantiora esse scribit: oleum tamen quo uetustius, eo magis calefacit, & uehementius discutit. A tempore, ut lac uernum dilutius habetur. Mel uernum primũ habet locum, deinde æstiuum. A specierum præstantia: ut cum laudat inter omnes alias ceruinã medullam, & in huiusmodi delectu solet gradus assignare Dioscorides. costum enim præcellere uult Arabicum: secundũ locum habere Indicum: tertium, Syriacum: sic & odoratum iuncum laudatissimum esse ex Nabathæa; proximum, Arabicum; pessimum ex Africa. Lac humanum dulcissimum esse dicit: Fel marini scorpionis præstantius, &c. Fel taurinum ouillo, suillo, & alijs nonnullis efficacius: Maiorẽ plantaginem perfectiorem minore: Horminum syluestre potentius satiuo: Casiam præferri Zigir cognomine. secundum locum habet antedicta: tertium, cui Mosylitico blasto cognomen est: Bryon optimum esse cedrinum, proximum populneum: Alumen scissile rotundo efficacius & liquido. alia quamplurima per te ipsum legas licebit. A plantarum partibus, ut cum inquit, in Balsamo præcipua auctoritas succo, secunda semini, minima ligno: sic laser efficacissimum, mox folia, postremo caulis. A figura, ut cum laudat crocum, quod sit oblongum: Alumen rotundum, quod suapte natura tale sit, non arte efformatum. Igitur cum regulæ legendorum simplicium duobus modis sint, nam quædam adaptantur omnibus medicamentis, quædam quibusdam, quòd utrunque à Dioscoride sufficienter factum sit, ex his manifestum iam est. Sed & tertium modũ quis addiderit prioribus duobus longe magis particularem; cum scilicet legitur medicamentum ad terminatũ affectum; uel ad hanc, uel ad illam corporis partẽ: ut cum quædã sicca uni alicui affectui, aut membro prosunt, uiridia non item. Sed hæc ad præparationẽ referri aptius possunt. atq; ubi de ea uerba fecimus, multa exempla tradidimus. Neq; mirũ cuipiã sit, quòd Dioscorides ita diligenter hæc scriptis mandauerit. cognoscebat enim inter omnia, quæ in ea medicæ artis parte, quæ pharmaceutica dicitur, cõsiderãtur, nihil tam necessarium esse, ac simplicium delectum. si nanque omissus fuerit, tam composita, quàm simplicia medicamenta nullo pacto præstare id poterunt, quod titulo pollicentur. Atque ita quicunque his utetur, uoti compos nunquam existet: quod nostra tempestate ubique terrarũ

terrarum cernitur. nam cum componendorum medicamentorũ prouincia pharmacopœis ex toto relicta sit, inter quos quocunque te uertas, uix unum, aut alterum reperias, qui ea calleat, quæ ad optimã miscellam conficiendam necessario callere debet: nulla unquam compositio ad usum deducta est, quæ posset medici mentem ex toto æquare; sed nunc excedere, nunc minus, quàm oportebat operari uisa est. Ex qua quidem re effectum est, ut multi Galenum, Auicennam, Mesueum, alioscq;, qui composita medicamenta multa nobis reliquerũt, reprehenderent, ut eos, qui non recta ratione ea composuissent. Adde quòd quandoque sibi ipsi persuadent simplicia uel omnia, uel eorum bonam partem adulterina esse; neque ea esse assumpta, quæ assumi debebant: & tamen multa ex illis, quæ falsa putant, genuina sunt. atq; ita multorum simplicium ignari redduntur. Hoc uero quanquam ita se habere notissimum est; non possum tamen quædam circa id silere. Est enim seplasiariorum tanta incuria, ut non solum Dioscoridis præcepta non obseruent; sed oppositum potius, moliantur. cum nihil aliud agant, nullumq; præterea scopum intueantur, nisi unde possint maiores, atque uberiores quæstus facere. nam præterquam quod nõ multum laborant, ut uera eius simplicia comportentur; si quæ etiam habuerint, nihil quod ad eorum delectum pertineat, obseruant: sed simplicia quouis tempore, à quauis regione, loco'ue habita in compositis medicamentis admiscent, uel per se exhibent. Quis enim est, qui ad natalia plantarum loca accedat? aut si qui adsint, qui hoc curẽt: quis est qui inter colligendum squalores uitet, prouideatq; ex editis, ac uento perflatis locis sibi medicamenta? utq; ad singularia accedamus, quis est qui Iridem ex Illyria, Daucum ex Creta, Peucedanum ex Sardinia, uel Samothracæ, & alia ex alijs regionibus aduehi ad se curet? sed demus hæc ex hisce regionibus, ut quæ multum differe non possit, saltem ex substantia, qualitate, quantitate, colore, odore, uetustate, alijsq; à nobis ex Dioscoride commemoratis indicia sumentes, quæ optima sunt accipere, ac usui seruare deberent. quod tamen nullo pacto exequuntur: sed satis superq; sibi uidentur fecisse, si quammaximos sacculos, atque amplicissimas areas medicamentorũ plenas ostentent; quæ deinde nulla in delectu habita ratione in compositis admiscent. Casiam nullo odore, nullam habentem acrimoniã in medicamentis apponunt, ut nihilo deterius quispiam lignũ quoduis admiscere posset. sic enim cum tanta alicuius medicamenti quantitas tam cito exteri non possit, in officina diutius seruatur, ac uetustate fit elanguidum: illud tamen, ne mercem perdant, in compositis adhibẽt. Nardi spicã, quæ recens eligi debet, multis annis consumptã:

sic

sic costum, iuncum odoratum, aliaq́; quamplurima uetustate improbata uetustissima accipiunt. Vtque eorum improbitatem, atque malitiam magis admireris, multas à proximis locis plantas habere possent, quas tamen nullo delectu accipiunt: nam ne ullum quidẽ suffruticem semine prægnantem, nisi casu quodam, colligunt; sed cum adhuc plan ta herbacea, ac tenerrima est, uel cum marcescere cœpit, & maturitatem prætergressa est. Neque est, qui tiliacea uascula, uel stamnea, uel plumbea, uel uitrea, & alia id genus multa sibi comparet, quo rectius seruare medicaminum uim possit; sed in figlinis uasibus, uel ligneis omne genus medicamenti reponit. Atque utinam in his omnia seruarent: sæpenumero enim in domus angulis herbas, flores, radices, seminaq́; seruant, quæ puluere obsita, pedibus etiam non semel conculcantur. Crocum perpetuo subterraneis, ac per hoc humectis locis seruant, quo ponderosius fiat, maiusq́; lucrum inde sibi comparent. Clamet ut lubet Dioscorides illud eligendum esse, quod situm non redoleat, neque cariem sentiat. Nec minus casiam catharticam uliginosis quibusdam latebris, cauernisq́; reponunt; quidam etiam arena opertam quotidie aqua aspergunt; uel per aliquod spatiũ singulis diebus aqua macerant, quo plenior fiat, atq; ob imbibitum humorem recens etiam appareat; quæ deinde deuorata, flatus, tormina, aliaq́; id genus symptomata efficit, quæ perpetuo illam plus, minus concomitantur. Vnde & suapte natura flatuosam esse hodierni medici existimant; (nanque ob id etiam eam cinnamomi, aut dictamni cretici, aut anisorum, aliorumq́;, quæ flatus disipare solent, adiectione corrigunt) & tamen neq; Mesueus, neque Actuarius tale ei incommodum tribuunt. Piper præterea non solum non deligunt grauissimum, plenum, sine multis rugis, &c. sed nec semina illa nutrimento defecta, inania, minimiq́; ponderis (quod genus brasma appellari tradit Dioscorides) remouere curant; sed hæc cum bonis seminibus admista ad usum ducunt: quemadmodum & garyophyllorum tam fructus, quàm stipites ad medicamenta assumunt, cum tamen stipites nullum habeant in medicina usum: ac ubicunque ita admiscentur dimidio minorem uirtutem ostendunt. Sed quid laboro singula enumerare, cum cuiuis notissimum sit, hos omnes simplicia ferè omnia ita semper deligere, ut ex eorum delectu non tam præstantiorem qualitatem, quàm cumulatius lucrum, atque compendium eliciant? Hinc fit, ut raro admodum medicamenti effectum uideamus, siue id simplex, siue in compositione adhibeatur. probauimus enim paulo superius Galenum, cæterosq́; auctores, cum medicamentis gradus constituunt, in caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, alijsq́;, quæ ab his fluunt qualitatibus, ea sic intelligere, ut

omnibus numeris absoluta sint; eorumq; sit factus delectus tum ratione loci,& regionis, tum ætatis, & aliorum omnium, quæ superius enumerauimus. quorum si unum,uel duo, uel multa, uel omnia deficiant: medicamentum illud pro deficientium signorum numero, atq; proportione à constituto sibi gradu declinabit. Reperietur enim quandoq; medicamentum,quod si optimum habuerit delectum, in quarto ordine calidum à Galeno, alijsq; celebribus medicis,recte positum est: si tamen nonnulla ei defecerint, quæ eius perfectionem manifestare solent,reddetur calidum in tertio: quod si multa ei defuerint, uix secundum,uel etiam primum caliditatis ordinem attinget; immo & prorsus euanidum fiet, si omnia defecerint. Ex qua quidem re, quæ subsequi possint incõmoda tam in simpliciũ administratione, quàm in eorundem dignotione, facilius unusquisq; existimauerit, quàm ipse dixerim. ac propterea huiusce rei non ignarus Galenus nos docuit 1. κατὰ τόπους, cap. 11. ut simplicium omnium semper in uigore existentium pondus sumamus. Valde enim uetusta omnino fugienda esse docet in omnibus; siue sint succi & liquores, siue flores & folia, uel fructus,& radices, & semina. quando sanè etiam metallica per longioris temporis spatiũ & ipsa uiribus infirmantur. In exhibendis uero compositis,quanuis hoc idem manifestum etiam sit, id unum tamen silentio præterire nolo. Nemo enim fermè est, qui nesciat in compositis medicamentis ea sæpius poni, quæ uenenatam naturã sortiuntur: atq; hæc quidem potissimum sunt,quæ humores supra, uel infra uehementissime educunt: ad quorum correctionẽ multa adnecti solent,ex quibus si unum deficiat, uel si ponatur quidem, sed nullo habito delectu, exoletum uiribus(nam idem ferè est, ac si non poneretur)uenenata illa qualitas, quæ illius simplicis opera retundebatur, relinquetur. Videmus ubicunque scammonium ponitur, multa adiici ad eius correctionem solere. nocet enim per se cordi,uentriculo, hepati, intestinis capiti; nauseam inducit,ora uenarum aperit, & multa alia nocumenta importat. quam ob rem cum eo semper admiscentur, quæ cor roborent, & caput, & omnia hæc membra. Si quis igitur remoueat ex electario Indo maiori(nam si hæc ponantur quidem, sed rancida,uetusta, exoleta,nullam prorsus uim habentia idem iudicamus esse, ac si remouerentur)succum cydoniorum, & mali punici, similiter & penidias, saccharumq;: non ne stomachus ex scammonio, turpetoq; subuertetur,& sua acrimonia pollens maximã & inexplebilem sitim generabit? Nec minus si in eodem electario nardum, cinnamomũ,caryophyllos, agallochum, & multa alia, quæ ibi ponuntur, non solum ad quædam corporis uiscera roboranda, sed ad dissoluendos flatus acerrimos ex

sicammonio excitatos, caput petentes, corpusq; totum exoluentes, nullo in his habito delectu, sed uiribus elanguida ponantur, quid actũ erit de ægrotante? Hæc igitur cum non ita, ut decet, à pharmacopolis obseruentur, quid mirum, si dum composita hæc medicamenta assumuntur, nonnunquam uideamus præter medici propositum super purgationes maximas, quæ ad animi deliquium usq; ægrotantes agant, quandoque nihil purgari, ac si medicamentum propinatum non esset? Nunquã non torsiones fieri, nauseas, sitim maximam, appetitus per multos dies deiectiones, lipothymias, capitis dolores, grauitates, uertigines, ac multa alia id genus symptomata grauissima, quæ non raro ad mortem usque concomitantur? & tamen in cuiusuis medicamenti compositi titulo promittitur humorum eductio sine molestia, purgatio clemens, benigna, tuta, iucunda; atque ab eorum optimo effectu, sacra, benẽdicta, aurea, athanasia, tryphera, alijsq; id genus quamplurimis nominibus appellarunt. Quid mirum si Mithridatica compositio, & Theriaca contra uenena nihil unquam pollere uideamus? Hoc uero non alia ratione euenit, nisi quia digniores se nostri temporis medicos esse putant, quàm antiquos. Illi quidem ex electissimis, simplicibus sibi medicamenta ipsi parabant; ac, quantum ad hoc attinet, fungebantur munere seplasiariorum, neque propterea quicquam eorũ grauitati detrahebatur: Nostri uero medici, cum infamiæ id sibi tribuant, pharmacopolis non sine maximo mortalium damno perficiendum relinquũt: quod uel Plinij tempore inualescebat. libro enim XXXIIII. cap. II. dicit floré æris suo tẽpore ita adulterari, ut squama ueniret pro eo; subditq;. Atque hæc omnia medici (quod pace eorum dixisse liceat) ignorant, pars maior & nomina, in tantum à conficiendis ijs medicaminibus absunt, quod esse proprium medicinæ solebat. Nunc quoties incidêre in libellos, componere ex ijs uolentes aliqua, hoc est impendio miserorum experiri commentaria, credunt seplasiæ, ea omnibus quidem fraudibus corrumpenti, factaque iampridiem emplastra, & collyria mercantur, tabesq; mercium. fraus seplasiæ sic exteritur. Hæc Plinius. Quod quidem hac nostra tempestate perpulchre quadrare uidetur, cum uideamus medicos ex libris formulas, seu (ut uocant) receptas scribere, & ad seplasiarios mittere, quibus omnem prouinciam reliquunt; neque uident, an ex electissimis simplicibus illa componant: ut taceam in huiusmodi formulis ea sæpius ingredi, quæ nusquam reperiri possunt, ut quæ temporis intercapedine deperdita iam sint, neque apud nos cognoscantur, multa etiam mentita, ac miris modis adulterata. At non ita Galenus, qui institoribus credendum non esse nusquam nõ admonet; ut quarto libro κατὰ γένη, cap. v. sic habet.

» sic habet. Meminisse autem uos inter componendum oportet illius
» etiam, quod à plerisque medicorum negligitur, à quibusdam per
» ignorantiam committitur. credunt enim institoribus uetus oleum
» dare se affirmantibus; ignari quomodo ipsius loco uendant adipem
» suillum ueterem ex oleo communi liquatum, temperatumq;, sed mem
» branulis prius diligenter exéptis, &c. Verum Galenus ipse apothecam
sibi ubicunque esset, parabat: in qua omnia simplicia, præsertim pe-
regrina seruaret, probatissima semper eligens: ex quibus ipse illc anti-
dotos, aliasq; compositiones conficiebat, uetusta, elanguida, ac nullius
10 uigoris respuens: quod ex omnibus, quas ipse tradidit, compositioni-
bus colligere possumus; maximeq; ex libro de antidotis, tum in omni-
bus, tum præsertim in Theriaces confectione. ubi nihil aliud laborat
nisi optima, ac uiribus (quatenus sua species ferat) potentissima sim-
plicia inuenire. quòd si nonnulla reperiri nõ possent, alia, quæ eorum
loco substitui deberent, docuit. hocq; idem etiam passim in omni-
bus suis libris admonet faciendum. Hinc primo κατὰ τόπους, qua de
» achoribus Critonis, hæc uerba habet. Cæterum eius maxime incom-
» ponendis pharmacis cura habenda est, ut bona integraq;, & in uigore
» sint omnia, quæ admiscentur. Hinc cum ad orientis prouincias pere-
20 grinatus esset, ex Sida urbe Pamphilię carpesij maximam copiam attu-
lit; quo per multos annos usus est: Ponticum deligens, ut quod Laër-
tio præstantius esset. Ita & in Lemnum cum accessisset, lemniæ terræ
uidendæ causa, sphragidum uiginti millia accepit; quibus per uniuer-
sum suæ uitæ tempus ad uarias compositiones, siue per se uti posset.
Nec minus in Cyprum nauigauit, ut inde uaria metallorum genera
probatissima reportaret: & in Cauam Syriam Palęstinæ partẽ; ut bi-
tumen, & quædam alia colligeret. unde & crustaceos lapides, & qui
in ignem additi exilem flammam æderent, complures aduexit. Quin
& totius Lyciæ littora parua nauicula legit; quo uidelicet, quæ in ea
30 sunt lectissima acciperet, ac usui seruaret; ut uarijs locis apud illum in
libro simplicium colligere est. ideo etiã primo de antidotis ita habet
» Galenus. Nam qui simplices medicinas diuendunt, usque adeo calli-
» de illarum quasdam concinnant, ut exercitatissimos etiam quosque
» ea in re uiros decipiant. quapropter optimum est multo ante eas sibi
» per amicum spectatæ fidei ibi comparare, ubi electissimæ prouenire so-
» lent: uel illuc semel accedendo, secum inde tantum earum asportare,
» quantum per totum uitę spatium sufficere possit. eiusmodi sunt fer-
» mè omnia, quæ metalla nuncupantur. Cyprum itaque & nos hac de
» causa uisere uoluimus: ubi amicum magnæ auctoritatis hominem
» cum haberemus, sodalem procuratoris, qui Cæsaris nomine metallo-

rum fodinis præerat; & cadmiam,& diphrygem & spodium, & pom- „
pholygem, & chalcitim, & misy & sory, & æs ustum inde multum „
asportaui. quemadmodum rursus è Palęstina Syriæ balsami liquorem „
purissimum: nam bitumen Iudaicum ne fraudes quidem ullas admit- „
tit; sicuti neque balsami fructus, neque lignum. Nauigaui quoque in „
Lemnum insulam(Dij norunt)nõ alia de causa, quàm ut lemniam siue „
terram quis uelit ipsam nominare, siue sigillum agnoscerem. Ac pau- „
lo post ita subdidit. Atque hæc per eos, qui talibus in locis diuersan- „
tur, conquirere opus est: uel per præfectos, & senatores, qui illis re- „
gionibus præsunt; uel saltem per amicos ibi habitãtes, quo modo me
facere uidistis. Apportantur nanque mihi quędam ex magna Syria, „
quædam è Palęstina,quædam ex Aegypto, nonnulla è Cappadocia,ex „
Ponto alia, pleraque è Macedonia, & ex prouincijs ad occidentem „
positis, quas Galli habitant, & Hispani, & oppositas oras incolentes „
Mauri. Quænam igitur quocũnq; loco medicamenta optima proue- „
niant, cum alij, tum Dioscorides uerissime scripsit: nos uero(ut dice- „
bam)ipsa comparare opus est, eo quo diximus modo. hactenus Gale- „
nus. Vbi etiam paulo inferius docet, quonam pacto imperfectissima
ab imperfectissimis quis secernere ualeat: docetq́; hoc maxime ex fre
quenti inspectione haberi posse. nam qui memores sunt eius, quod
superiori anno habuerunt; si contingat aliud uidere, quod illo sit me-
lius. Ex herbis siquidem facile cognoscet omnes, quæ unà cum semi-
ne summis ramusculis adhærente, pro cuiusq; tamen conditione plu-
rimum seminis habeant, præstare illis, quæ id non habeant; sicuti ue-
getas exilibus, ponderosas debilibus,compactas flaccidis,tempore nõ
consumptas cito absumptis. asinum enim(ac non immerito)Galenus
iudicat, qui ista non consideret. Neque solum ex his, sed ex gustu, &
olfactu quid optimum sit, facile diiudicari asserit, his præsertim, qui
eadem non semel, sed sæpius inspexerint. nam qua in re medicamen-
tum gustu, olfactuq́; tentatum excellit, id ea in re ualidius sui generis
alijs est. & eodem libro, cap. x ii. idem ferè habet his uerbis. Vnun- „
quodq; enim optimum est, quod sui generis odorem uehementiorem „
habet; is autem ex multorum inspectione manifestus unicuiq; fit. ac „
de gustu quidem perceptis qualitatibus eodem modo censendum est. „
Id enim optimum medicamentum esse constat,in quo id,quod suo ge- „
neri proprium est,exuperat; pessimum uero, quod sui generis alijs & „
tenuius, & exilius est. Meliora nanque sunt omni in specie quæcunq; „
nec rugosa, nec exilia fuerint; ut quæ conuenientem sibi magnitudi- „
nem excessere, peiora sunt ijs, quæ bene quidem enutrita, sed tamen „
astrictiora sunt. Quam ob rem, ut dixi, medicinas simplices multas,& „

fæpius

„ fæpius inſpexiſſe operæ pretium eſt; & maxime optimas, quæ longo
„ iam tempore ſui experientiam ipſis naſcendi initijs præbuere; quæq;
„ uno ore à peritis medicæ materiæ auctoribus cõmendantur. Hæc ille.
„ Idem etiam admonet lib. III. κατὰ γένη, cap. II. hiſce uerbis, Itaque
„ herbarum, fruticum, & arborum materiã prius, quàm è terra eiman-
„ tur, contemplari pulcherrimum eſt, dum fructus uidelicet futuri ſunt,
„ dum æduntur, dum augeſcunt, & dum uigent: hæc ſiquidem conti-
„ nua eorum ſpeculatio docebit te, quando potiſsimum ipſos commo-
„ de decerpas, ac ſiccis domunculis repoſitas cuſtodias, ne à ſolis radijs
exurantur; neque ab humiditate ex tecto, & muris madefiant. Id opti-
„ me fiet, ſi domus neque ſubterraneæ ſint, neque alijs uicinæ, neque ſub
„ tegulis, ſed oſtia ad meridiẽ ſpectantia habeant, prope quæ tamen me-
„ dicamenta reponi non debent. Amici, uos admoneo, ut in hoc quoque
„ me ſequamini, ſi artis opera pulchre obire uelitis: nouiſtis enim quo
„ modo ex omni natione præſtantiſsima quotannis medicamenta mihi
„ afferantur, eo quòd perditi illi omnigenarum rerũ cõemptores uarijs
„ modis ea cõtaminant. Quæ ſequuntur per te ipſum legas licebit. ſimi-
„ liter & primo libro κατὰ τόπους, cap. II. ſic ſcriptum reliquit. Vnum-
„ quodq; autem propriũ uigorẽ his, qui ea ſæpe uiderũt, indicat tum ex
odore, tum ex guſtu, aliquando etiam ex colore, & ſecundũ craſsitiem
„ cõpage. Ex his igitur, multiſq; alijs, quos conſulto prætermittimus, lo
cis, manifeſtũ eſt quanti à Galeno medicaminũ delectus fiat: ac quàm
erret is, qui eorũ nullã habet rationẽ. Verum quot & quãta incõmoda
ſubſequi poſsint, ſi omittatur, indicant (quod ſuperius etiã adnotaui-
mus) hodiernæ medicorũ cõpoſitiones: quæ nihil eorũ, quæ pollicen-
tur, præſtant. quod & ueteribus etiam medicis contigiſſe ex minimo
commiſſo errore Galenus eſt auctor primo de antidotis, cap. II. ſic
„ inquiens. Veluti olim quidam, qui cum ab Aegyptijs petitum The-
„ bis opium (id autem eſt potentiſsimũ) impoſuiſſet, & guſtum & uiri-
bus ſimilem philonio theriacam fecit. Idem rurſus cum myrrham,
„ quamoptimam pluribus inualidis admiſcuiſſet, ut cæteris ipſa domi-
„ naretur, effecit. Alius quoque ſimiliter in croco peccauit, & alius in
„ ſagapeno; ut & alius rurſus in aſphalto, & Galbane, &c. Propterea etiã
„ libro de Theriaca ad Piſonem, cap. XII. dixit, Conſulo, ut cum ſingu-
„ las medicinas diligenter exploraueris, tum deniq; componas antido-
„ tum. nam unius alicuius improbitas ſæpe reliqua omnia corrumpit.
Quanto magis igitur hoc in noſtris compoſitionibus accidet, cum uel
omnia ſimplicia, uel certe eorum bona pars nullo habito delectu in
illis ponantur? Hæc uero cum ita ſint, nihil mirum eſt, ſi quampluri-
ma ſimplicia medicamina à quamplurimis materiæ medicæ profeſſo-

ribus ignorentur, sumpto sanè indicio, quòd quas promittunt, facultates non præstent. Hoc enim indicium ut uerissimum quidem est circa eorum cognitionem, si omnia considerentur, quæ considerandа sunt; ita maxime fallax, si uel omnia negligantur: uel eorũ bona pars; præsertim si quæ circa electionem ex Dioscoride, & Galeno docuimus, omittantur. Neque uero est, quod nonnullos aliquorum errores circa simplicium dignotionem ex non habito delectu, tanquam per exemplum in medium adducamus; cum clarissimum sit, nos ex hoc in omnibus, non solum in quibus ancipites sumus, sed etiam in his, quæ ut digitos nouimus, titubantes, quantum ad eorum dignotionem pertinet, futuros esse.

Medicinarum partes, quæ usui medico deseruiant recte callendas, ut simplicia perfecte cognoscamus. Cap. IX.

Solent & simplicium dignotionem impedire, ex non habita qualitate, quam promittunt, corum particulæ: cum scilicet non eæ, quæ accipi debebant, ad usum medicum deductæ sint, quod ad delectum etiam pertinet. Raro enim uniuersa planta, uel aliud medicamentum ex omnibus suis partibus medicinæ utile est, sed magna ex parte aliquam partem, uel plures inutiles habet; quæ reijciendæ omnino sunt. quòd si utilibus partibus mixtæ ponantur, medicamentum necessario infirmius reddent: sin autem per se solis utamur, effectum nullum consequemur. Nam quòd partes medicaminum facultatibus differant in aliquibus, indicant illarum diuersi sapores, odores, substantiæ, & alia quædam, quin & facultatum ipsarum euentus. Theophrastus lib. primo de hist. aliquibus radices amaras esse, fructus dulces docet, & inferius inquit alias partes odoratas esse, & bene sapidas, alias inodoratas, insipidasq;. & paulo inferius, Quibusdam flores inodoratos, folia odorata: quibusdam è diuerso; alijs radix, alijs pars aliqua. particulatimq; Tiliæ folia prædulcia esse, & pleriſque animaliũ pabulo, fructum mandi à nullo posse. Galenus oppositas facultates Medio tribuit pro partiũ diuersitate. Lathyrim, & Helitropiõ radices habere inutiles, superuacaneas, ac nullius usus uult Dioscorides, sicuti etiã Peplim, peplon, chamæsycen, centauriũ minus, ac alias quamplurimas. Ab his igitur omnibus abiiciendæ radices sunt, si effectum ex toto quæramus. Odorati iunci inquit floris, culmorum, radicisq; esse usum. aliæ igitur istius plantæ partes inutiles existimãdæ sunt. In alijs Dauci generibus seminis duntaxat inualuit usus; in Cretico etiam radicis. Nardi celtici cauliculorum, & radicum duntaxat esse usum docet. si

cet. si quis igitur folia, & semina etiam assumpserit, absque dubio in errore uersabitur. Celsus lib. v. in emplastro Diadaphnidon, Quoties (inquit) aut baccam, aut nucem, aut simile aliquid posuero, scire oportebit, antequam expendatur, ei summam pelliculam esse demendam. Sacram herbam totam decoquit ad tonsillarum crustas abrumpendas: nihil igitur ab illa reiiciendū. Idem in his, quæ ab animalibus sumuntur; ut cum accipit terrestris leporis cerebrum, caput, coagulum, sanguinem ad diuersos morbos: sic & sepiæ atramentum, & testam: Menarum cinerem ex capitibus: marinæ pastinacæ radium, qui eius cauda enatus aduersis squamis reflectitur: hippopotami testes, & alia id genus nihil immutare, aut innouare Dioscoridi debemus. Partes enim medicamentorum, diuersas (uti diximus) ut plurimum habent facultates; quandoq; etiam contrarias. Videmus hoc nos in citrijs malis, quorum cortex, & semina calidissima, succus frigidus, mediæ partes temperatæ existunt. Ita & in ouo albumen contrariam ferè luteo qualitatem possidet. spartij flores & semina per superna uehementer purgant; semen deiectionem mouet. Apios radicis superior pars uomitione; inferior per aluum, tota utrinq; purgationes mouet. Corianni præterea herbam, etiā si semel sumatur, inter uenena recenset Dioscorides, semen tamen genituram adaugere tradit, nullamq; noxam inferre, nisi ex continuo, & copiosiore eius usu. Iuniperi baccæ, & folia, item & fraxini folia ad quasdam affectiones ualere intus sumpta docet Dioscorides. uerum utriusq; arboris si ligni ramenta deuorentur, perniciem afferre. etsi nō desunt, qui loca hęc, præsertim in Iunipero, mendosa esse credunt. Testiculi radicem maiorem si uiri edant, mares generari dicuntur; si minorē fœminæ, alterū sexum. addunt in Thessalia mollem mulieres in lacte caprino bibere ad stimulandos coitus: aridam uero ad inhibendos: & alterum alterius potu resolui. Smyrnij semen lienis, renum, & uesicæ uitijs prodesse scribit, sed folijs has facultates non adscribit: sicuti has orthopnœas mitigare, urinæ difficultatibus mederi, ac quibusdam alijs affectibus pollere; quarum nullam semini inesse statuit; immo & semen hydropicis in potu, & contra febrium circuitus peculiariter dari docet. Elaphoboſci radicem & caulem nō nisi cibis idoneam; semen autem serpentium ictibus auxiliari. fœniculi comam renum doloribus, radices morsibus canum mederi, eius succum ad oculorū affectus. Hippomarathrum folijs lactis abundantiam facit, radice, & semine alios effectus præbet. Roriſmarini herba ualet ad hæmorrhoidum profluuia, & ad quædam alia: radices tamen medentur torminibus; menses & urinas cient, quæ herbæ non tribuuntur; sicuti & Cachrys quibusdā peculiaribus remedijs pollet.

Similiter sphondilij seminibus aliæ facultates ascribuntur, aliæ radicibus, aliæ floribus: ita & ferulæ medulla diuersos effectus ab eiusdem semine & caule profert, diuersos etiam peucedani radix, succus, lac, uel lacryma. Parthenij herba sine flore à calculosis, & anhelatoribus bibitur, sed cum flore illini debet sacro igni, & collectionibus: quin & pæoniæ nigris granis diuersas tribuit uirtutes à rubris: sic & in alijs ferè infinitis. Errandi igitur ansa circa simplicium dignotionẽ hinc oriri potest. nam si planta aliqua ad aliquam affectionem præcipiatur, nulla eius partis, quæ ei deseruit facta mentione, uel facta quidem, sed ab utente non assumpta, immo illa omissa, alias accipiat: non dubium est, quin affectus nullam habiturus sit opem. Quod cum simplicium indagator uideat, quanuis potius aliam plantam existimabit, quàm ueram. Nostrum igitur erit summa cum attentione Dioscoridem legere; atq; si medicamenti partem explicet, illam assumemus, alias nihil (quantum ad illum affectum pertinet) curantes: sin non explicet ad alios auctores confugiemus. fieri enim potest, ut quod à Dioscoride omissum est, apud alios inueniamus, præsertim apud Galenum; ut qui multa à Dioscoride omissa in medium proferat. Quòd si neque apud alios reperiri quod quæris, contingat; gustum consulas, & odorem, & substantiam, & alia, quæ superius ex Galeno adnotauimus. Nam quæ pars odore, sapore, atque alijs id genus præstabit, illa proculdubio usui medico deseruire iudicabitur. Quænam enim pars nardi Indici ad usum dicere debeamus, ex Dioscoride colligere difficile est: non enim hoc explicat, sicuti in celtico explicauit: sed apud Galenum facile est inuenire, ut VIII. simplicium, & primo de antidotis: ubi radicem accipi debere colligimus; quam, quia spicæ similitudinem retinet, spicam uocari ait. Sic asari radices solas usui medico deseruire non etiam folia, ex Dioscoride non colligas, sed bene ex Galeno; ita & in multis alijs. Sunt & quæ neque Dioscorides, neque Galenus explicat, ut Amomi quid accipiendum sit, neuter declarat: Cardamomi etiam particulæ, medicinæ deseruiẽtes ab utroq; prætermittuntur. In his igitur nos debemus uel alios auctores consulere, uel saltem per nos ipsos ita, ut diximus, obseruare. Nam cum uideamus cardamomi semen acre esse & subamarum, qui duo sapores à Dioscoride, & Galeno ei tribuuntur; item & odore caput tentare: dubitare non possumus, quin semine utendum sit. Amomi uero quam partem accipiamus, alia ratio est. licet enim clare non habeamus hoc à Dioscoride: ex dictis tamen suis colligere poterimus recentiores medicos magno in errore, atque illo quidem duplici, uersari. Primum quidem, quòd semen nescio quod ex uera amomi planta minime excerptum usui adaptant: Deinde, quia putant

amomi

amomi ſemen (ſi modo uerum reperiretur) accipiendum eſſe; cum potius eius lignum utile à ueteribus iudicetur; ut ex Dioſcoridis lectione accipimus. Inquit enim adulterari ſolere amomum herba ſimili, quæ eſt ſine fructu: iam ſi fructus ad uſum ducerentur, non poſſe plantam, quæ fructu careat, adumbrari, cuiuis manifeſtum eſt. monet præterea fragmenta fugienda eſſe, & integros ſurculos capiendos. quod de fructu intelligi minime poteſt. deligendum etiã monet ualde odoratum, modo cariem non contraxerit: caries autem non ita ſemini uidetur propria, ſicuti ligno. Sed erroris huius cauſa forte Plinius fuit, qui libro XII. cap. XIII. Amomi uuam in uſu eſſe aſſerit. Nec me latet in uſu etiam fuiſſe amomi uuas, & racemos: ut IX. κατὰ τόπους, cap. III. ubi Aſclepiadis pharmaca ad hydropem recenſet Galenus, ſimiliter & κατὰ τόπους in ſtomaticis Heræ, amomi racemos accipit, & VII. κατὰ γένη, cap. IX. amomi uuas. Sed dicendum eſt præcipuam partem lignum, ſiue ſurculos fuiſſe, quos intelligebant, cum amomi abſolute mentio fieret: ſed cum aliã partem cupiebant, ueluti racemos, uuas ue, explicate proferebãt. ſed de amomo aliàs longe plura. Cum igitur pars medicamenti à Dioſcoride clare non explicatur, uidendum eſt, an ex eius dictis ullo modo colligi poſsit. Verum, cum pauca admodum ſint, quæ uel à Dioſcoride, uel à Galeno in particularum delectu non declarentur: in paucis nos dubij eſſe poterimus; niſi eorum ſcripta negligentius legamus. Nam ſi quando Iridem, aut Cypirum, aut Coſtum, ad aliquem uſum ducere intendamus; atque harum omnium uel folia, uel caules, uel ſemina aſſumpſerimus: cui dubium eſt, nos morbos nullatenus eſſe profligaturos? harum enim trium plantarum tantummodo radices medicinæ deſeruiunt; ut ex Dioſcoride clare colligitur. Ergo ſi urinæ difficultati auxiliari mens ſit; atque ad manus ſit cupreſſus, eius folia aſſumenda ſunt, non radices, ut quæ nullum habeant uſum; non pillulæ, quia hæ dyſenteriæ, alui fluxioni, tuſsi, & alijs quibuſdam affectibus deſtinantur. ſic ſi quis torminibus ſuccurrere quærat, occurratq; aſclepias, eius radices ſumere illum oportebit: nam folia aduerſus uuluæ, mammarumque ulcera, quæ cacoëthe uocantur, illinuntur: floris, aut ſeminis nullus eſt uſus. Pari paſſu ſi ſerpentium ictibus auxiliari quiſpiam aggrediatur, lilij folia illinat: ad uetera ulcera, eius ſuccum: ad ambuſta, eius radicem; nam ſi indifferenter omnibus eius partibus, ad omnes hoſce affectus utatur, ſcopum non aſſequetur. Conſiderare etiam ei conuenit gradus qualitatum, qui ex partium diuerſitate maiores, uel minores exiſtunt; ut apij ſemen uehementius urinam pellit, quam herba: gummi fœniculi efficacius ſucco ad medicamenta oculorum: lauri

baccæ

baccæ magis,quàm folia calfaciunt. Pityusæ radix detrahit per aluum drachmis duabus: seminis drachma:succi coclearium; modus foliorũ drachmæ tres, & cætera id genus. Pauca igitur sunt(ut à principio dicebamus)in quibus Dioscorides partium, quæ assumi oportet, non meminerit. Accipit enim in Atractylide comam, semen folia: in Clinopodio herbam, succum: in Ballote, apiastro, onosmate, aspleno, cepæa, &alijs multis, sola folia: in Geranio, alcea, pyrethro, sisere, arisaro, ornithogalo, leontopetalo, & multis alijs, solas radices: in thlaspi, auena, lino, eruo,atriplice, Lychnide utraque tantummodo semina: in utraque Nymphæa, in Cori, Napo, oxalide, pipere, radices, & semina: in acacia florem, semen, folia, corticem, succum: sic & in omnibus ferè alijs plantis. Nec minus hoc in animalibus obseruauit sumens erinacei terrestris corium, iecur; Buccinorum, cionia, idest medias partes, carnes; Marini scorpionis fel; Viperarum, carnes; Fibri,testes; Mustelæ,uentriculum,sanguinem;Lacertæ,caput, iecur; Scinci,carnes,quæ renes amplectuntur; equorum lichenes, asini iecur; Caprini iecoris inaflati saniem; & eiusmodi multa, quæ per se in unoquoq; medicamine lector in Dioscoride uidere poterit semper memoria tenens, ita, ut à Dioscoride proponuntur, illa ad medicum usum deducere: ac perinde ut ab eo uariæ simplicium partes ad uarios affectus exhibentur, ita illis utatur. ita enim effectus,qui quæruntur à medicamentis si uera sint,manifesti fient. Quod si his obseruatis, non sese ostenderint; dubitare non poterimus, quin falsum, spuriumq́; medicamen assumpserimus;atque aliud proculdubio quærendum esse. 10 20

De exhibendorum medicamentorum ratione. Cap. x.

Si quis doctrina,atque optimarũ artium studijs ita eruditus sit, ut omnem scientiam, eruditionemq́; tanquã sibi uni partam habeat; nullamq́; eius communicandæ alijs facultatem retineat; excolendos tamen, erudiendosq́; suscipiat discipulos: nulli dubium est, quin nullam eis doctrinam impertire possit. Non enim optimum existimamus præceptorem, quinimmo nec expetimus eum, qui omnia scientia perfecte comprehendat; sed qui pauca quædam cum calleat,ea scite ornateq́; alios docere ualeat. Ille enim, cum nescíat quid primo, quid postremo docendum sit; cumq́; nullam acrioris, hebetioris'ue auditorum ingenij rationem habeat: omnia æque omnibus confuse, atque præpostere se docere posse existimat. quam ob rem non solum ueram disciplinam non tradit,sed optima alioquin ingenia peruertit, conturbatq́;. 32

batq;. Eadem ratione si quis quamplurima calleat simplicia ad uarios morbos profligandos optima, & utilissima, sed eorum exhibendorũ rationem, atque utendi formulas ignoret; nullumq; discrimen esse putet siue illa intro, siue extra propinet, sed confuse, permixteq; quomodocunq; exhibita, morbificas dispositiones tollere, se his posse putauerit: is profecto non solum salutare nullum hisce remedium comparabit; sed periculosas ancipiteq; curationes adhibebit, quæ sæpius ualetudinem intendent; nonnunquã uel mortem ipsam importabunt: adeo alios, atque alios rerum euentus uarius medicaminis propinandi modus efficit. Hoc uel in uulgus exijt atque emanauit. nam, cum multa medicamenta, si intus assumantur, deleteriam naturam sortiantur; ex his multa ut topicum præsidiũ admota, quammaxime iuuare posse nemo est, qui ignoret. Iam uero morbi naturam cognoscere, ægrotantis temperamentum, ætatem, habitum, consuetudinem, nec minus anni tempus, cæteraq; omnia, quæ ad recte perficiendam curationem pertinent, exacte intelligere: medicamentum præterea aptum ad morbũ expellendum in manibus habere, quid retulerit, si eius propinandi rationem ignoraueris, atque empiricus nescio quis, qui id unum sciat, breui optatam ualetudinem inducat, unde ob hoc solum artifici medico præferatur? Non'ne irridebimus uenatorem, qui retia illis animalibus tendat, quæ non nisi casside, uel laqueo capi possunt? quemadmodum & eum, qui uulgo prouerbij materiam præbuit? nam cum semel uulpem laqueo captasset, abruptis uinculis seruatam, iterum ad tenaciorem laqueum allicere studens, multum temporis frustra triuit. nesciebat enim uulpem non bis laqueo capi posse; atque ut uoti compos fieret, alia captionis ingenia tentanda esse. sed longe magis improuidum, atq; ineptum illum dixerimus, qui cum optimos canes, omniaq; uenandi instrumenta perfectissima, campumq; ferarum refertissimum habeat: tamen cum non ea, quæ deberet loca occupet; atque intempestiue clamoribus, tubis, lituisq; excitatis, nõ solum nihil prædæ capiat, sed in intimas cauernas, atq; abdita penetralia eam se recipere permittat. ubi ab insidijs omnibus secura, uenatoris imprudentiam illudat: Haud secus medico eueniet, qui cum quidam morborum ueluti uenator sit, omniaque ad eos occidendos necessaria calleat, uiam tamen, ac rationem exhibendorum medicaminum ignoret ita, ut quod potione removendũ esset, ille clysteri, uel linimento, aut perfusione, aut aliquo alio admotionis modo exequatur. Inde enim sequetur, ut quod ad pectus, uel ad uentriculum duci oporteret, ad intestina, uel ad superficiales corporis partes adhibitum, morbos non solũ non pertinget, sed ab omni remediorũ genere securos in interiores corporis partes abigat.

ubi

ubi magis ac magis recrudescentes, omnem medici iniuriam spernant. Sed quid exemplis uagor, cum exhibendorum remediorum rationem medicæ arti ita necessariam iudicauerit antiquitas, ut ex nulla eius parte tantum cõmodi haberi posse in sanitate reparanda, certo decreuisse uisa fuerit? quam ob rem tot, ac tam uaria propinandi genera experta singulis medicamentis pro uario corporis affectu uarias adhibendi rationes certo quodam limite destinauit: atque hac in re considerandæ tantam industriã, curamq; collocauit, ut philosophorũ rationes, quę nihil nisi per congressum, copulationemq; alterare posse præcipiunt, re ipsa experimentisque labefactare uideatur. Multa enim medicamenta gestata, uel appensa, uel supergressa, quinimmo & in domicilij limine apposita, non solũ internos quamplurimos corporis morbos profligare posse, sed uenenatas bestias longe arcere: earumq; ictus mortiferos irritos reddere certo periculo experti sunt. Quę cũ ita sint, ne ob omissam medicaminis exhibitionẽ, in simplicium ignorationẽ incidamus (hunc enim scopum nos in hoc opere potissimũ intuemur) libuit pauca quædã de hac re tradere. Scire igitur licet, medicamenta omnia uel intus adhiberi, uel extra: si intus, per uarias corporis partes propinari solẽt; atq;, ut uno uerbo dicã, per omnia corporis foramina, quę sunt os, nares, aures, sedes, uirga, uulua; oculos enim inter hęc non includimus, quippe cum per eos nihil ad interiores partes mittamus, sed ad illos ipsos, ut topica admoueantur: Si uero extra, etiã plurima sunt; nã aut per spongias, aut per sacculos, aut linteo alligata, aut linamentis, seu embotis excepta, aut splenio, aut lineo panno, laneo ue, aut corio, aut filtro, aut uellere, atq; his, & huiusmodi alijs excipiuntur emplastra, fomenta, suffitus, desessus. Sed sunt quæ simpliciter adhibentur, ut embrochæ, balnea, perfusiones, puluerũ insperſiones, natationes, immersiones in aquas, inunctiones simplices, & alia id genus. Verum tam ea, quæ intus præbentur, quàm quæ exterius admouẽtur, uel in rectũ, uel in contrariam partem apponere solemus, ut mox dicemus. sed præter hæc quædam sunt, quæ mediam sortiuntur naturam, ut gargarizatus, commanducationes, oris & dentium collutiones, oculorum collyria, sicuti & quæ dentifricia uocantur, quæq; ad gingiuarũ affectiones prębentur, & quædam alia his similia; quæ quanquam intus sumuntur, topicis tamen præsidijs quodammodo proportione respondent; statim enim morbos tangunt, unde ea tantum interiorum remediorum rationẽ sortiri uideantur, quæ cum per os sumantur, uel gulam, uel asperam arteriam pertranseant. Verum hoc siue ita sit, siue aliter, neque ad simplicium cognitionem, neq; ad medendi rationem multum referat. quam ob rem ut ordine progrediamur ab his, quæ

per

per os intro præberi ſolent, initium faciemus. Quæ igitur per os ſumuntur, uel ideo ſumuntur, ut ad uentriculum ducantur, atque inde ad omnia uiſcera, & uaſa, aut ex his aliqua: uel ut ad pectus, & ad partes in eo contentas: uel tertio, ut in ore remancant, atque gulam, uel arteriam aſperam non attingant. Rurſus quæ per os ſumuntur, ut in uentriculum ingerantur: uel ut cibus, uel ut medicamentum. Cibus etiam uel abſolute cibus, uel medicamentoſus, de quo nos potius loqui intendimus. Nam de ſimplicibus uerba facimus, quatenus medicinalem uim obtinent, ſiue illa loco cibi, ſiue medicamenti ſumantur. Dioſcorides nanque, cum quædam medicamina non niſi in cibo aſſumpta, iuuare poſſe conſpiceret, uoluit hęc, ut & alia propinandi ingenia, docere: quod non ſolum neceſsitati, ſed commoditati etiam hominum maximæ uertitur. Nemo enim eſt, qui non libentius cibos ſumat, qui & medicamenti rationem ſubeant, quàm ea, quæ ſolam medicinæ naturam ſortiuntur. Ex his enim uix unum aut alterum reperias, quod ſtomachum non faciat. Quis enim aſſam galeritam in cibis reſpuat? hac tamen ſic ſumpta cœliacos adiuuari conſtat. Quis etiam non libentiſsime ſumat hirundines ficedularum modo in cibo; cum hæ aciei uiſus medicamentũ præbeant? ita & quamplurima alia: ac propterea Dioſcorides, quia non ſolum tuto, & celeriter, ſed etiam iucunde curare intendebat, ut præceptum erat Aſclepiadis, ad id ſemper oculum adiicere uiſus eſt, ut quoad eius fieri poſſet iucundiora, ſapidioraq; , atque odoratiora ęgris propinaret. Verum quo remedia ubique gentium facile parabilia haberentur, uarietatem omnem admiſcuit; ut ſiquando iucundis ob penuriam uti non licuerit, ad minus iucunda, immo ad ea, quę omnino humana natura aſpernatur, atque auertit, confugeremus. Nam ſi quartanam arcere intendamus, neque hyperici, aut aliorum, quæ illam ſanare ſolent, copiam habere poſsimus, niſi putidi ſaporis ingeſtionẽ magis, quàm morbum ipſum perhorreſcamus: lectularios cimices (quod remedium apud pauperrimũ quenq; facile haberi poteſt) deuorare non dubitabimus. Quemadmodum & ſi quinquefoliũ, aliaq;, quæ quamplurima ſunt, nõ habeamus ad regium morbum tollendum; millepedas in uino potabimus. Eadẽ ratione & caninum ſtercus, & ſylueſtris ſuis, & aſinorum, & aliorum quamplurimorum ad diuerſas corporis affectiones remouendas potabimus. Quin & humanũ anginis ex melle inungit Dioſcorides. lotium præterea humanum, aprinum, caprinum, aſininum, & aliorum quorundam animaliũ potu exhibet: ſimiliter & urſinum fel in eclegmate: caninum ſanguinem, & teſtudinis, tam terreſtris, quàm marinæ potu. Quanquam uero Galenus x. ſimplic. cap. 1. Xenocratem acriter reprehendit,

reprehendit,nõ solum quòd contra leges remedia scripserit, sed quòd detestanda, prorsusq; perhorrescenda; ut potionem sudoris, urinæ, mensium, humani stercoris ingestionem, & alia id genus: tamen si contingat hominem in loco esse, ubi præter horum aliquod nihil sit: huiusmodi remedia non puto aspernaretur. scio enim satius esse existimaturum aspernanda hæc assumere, quàm uitam(qua nihil carius) perdere. Verum cum alia habuerimus, quæ chimethla, seu perniones curent: stultum erit uiri semen conquirere,quod in mulieris cõgressu intus non remansit, sed effluxit, atque effusum est. Sed ut ad cibos redeamus, oui luteum cum rhois semine fricti cibo aluum sistit. lupini cũ sua amaritudine esitati uentris animalia expellunt. Raphanus ante cibum uomituris cõmodissime datur, summo tamen cibo eius distributionẽ magis adiuuat. Maluæ satiuæ caules si edantur, interaneis & uesicę utiles sunt. Brassicam esse cęcutientibus,& tremulis prodest;& summo cibo sumpta crapulã discutit, & uini noxam restinguit. Brassica marina in cibo cocta uehementissime aluum ciet. Asparagi caulículi in cibo cocti uentrem emolliunt, & urinam cient. Sium in cibo dysentericis auxiliatur: esu etiam & crudum, & coctum calculos rumpit. Seris syluestris æstuantem stomachum, & imbecillum cibo lenit. Peponis caro in cibis urinam cit; idemq; efficit Caucalis, & Gingidiũ comesta: hoc uero & stomachũ etiam adiuuat. Rhois semen cœliacorum,dysentericorumq; obsonijs inspergitur. Eruca cruda largiore cibo uenerem concitat. Ocimum copiosiore cibo urinam pellit, lac euocat, & alia quædam præstat; quin & siqui ederint, si feriantur à scorpione,nullo conflictari dolore Afri testabantur. Porrum arteriam esu purgat. Ampeloprasum contra serpentium morsus esse conuenit. Allium anguinum latas uentris tineas in cibo sumptum abigit. Dracunculi radix si edatur,humores pectoris excreatu faciles reddit. Bulbi faciunt ad rupta,si cum aceto cocti edantur. Anemones folia,& caules,si cum ptisana decocti edantur,copiam lactis præbent. Apium siue crudum, siue coctum edatur, urinam ciet. Alysson tusa in edulio rabiei canis mederi putatur. Testiculi radices comestæ nunc maris,nunc fœminæ sexus generationem promittunt. Cannabis semen largiore cibo genituram extinguit. Hæc, & alia id genus, quæ quamplurima sunt, si aliter, quàm in cibo exhibeantur,non dubium est, quin uires, quibus pollent, non ostendant; præter nonnulla, quæ aliter data idẽ pollere, uel Dioscorides ipse testatur. Quod si omittatur, uel nihili ducatur, quantam confusionem simplicia cognoscere cupientibus importare possint, qui superiora capita legerit, facile cognoscet. eadem enim sequentur incommoda, quæ & ob non aptam præparationem,

atque

atque ob alia, quæ longioribus examinauimus, ſequi diximus. Idem ſequetur in his,quæ non in cibis,aut obſonijs per os ſumuntur, ſed ut mera medicamenta. Terreſtris enim erinacei corpus aſsiccatũ, & cum aceto mulſo potum,renum uitijs,aquæ intercuti, atq; alijs quibuſdam affectionibus auxilio eſt. Leporinum coagulum cõtra uenena bibitur ex aceto. Fibri teſtes duabus drachmis cum pulegio poti, menſes, ac partus ciunt,& multa alia commoda efficiunt. Ranarum ius ſi ſorbeatur,cõtra inueteratos tendinum rigores pollet. Genitale cerui in uino potum à uipera demorſis auxiliatur. Coriandri ſemen cum paſſo potum, tineas interaneorum expellit. Hieracij ſuccus ſorbitione eroſionem ſtomachi mitigat. Petroſelinum,laterum,renum, & ueſicæ doloribus in potu ſubuenit. Ab ſcorpione percuſsis non aliud bibi poteſt utilius ſemine delphinij. Aſclepiæ radices potæ torminibus auxiliantur. Clinopodij decoctum bibitur ad conuulſa, & rupta. Stachydos decoctum potu pellit menſtrua. Sinapi contra febrium circuitus aridum bibitur,aut potui polentę modo inſpergitur. Lac humanũ mammis exuctum dat ad tabem,& ſtomachi roſiones. Vide igitur quonam pacto ex uno ingeſti medicaminis modo tam in cibis, quàm in medicamentis, quot, & quàm uariæ affectiones curentur. Vnde facile colligas medicamen per os ſumptum,ut in uentriculũ ingeratur, poſtquã alteratum eſt,in uarias corporis partes, pro uaria medicamenti natura diſtribui poſſe. quandoq; enim ipſum ſolum uentriculum adiuuat; nonnunquam uel ad ueſicam,uel ad renes,uel ad inteſtina, uel ad uenas omnes peruenit: ex quibus nunc humores, nunc urinas, nunc etiam uenena trahit. Atque hoc non alia ratione, niſi quia hæc, uel illa exhibendi ratio huic, uel illi medicamento tribuitur. quod aliter datum, nullo pacto effectum inducere poteſt. Sunt enim medicamenta, quæ in uentriculum immiſſa per multas corporis partes peruagata,tandem ad pectus per uenas perueniunt, quod craſsis humoribus expurgare ualent: quæ tamen eadem ſi eclegmate, uel aliter præparata paulatim deglutiantur,ac ſtatim in pectus dilabi permittantur,nullum effectum præbebunt: quorũ quamplurima exẽpla quiuis in Dioſcoride obſeruare poterit. Cuius quidẽ ratio eſt,quia non niſi pluribus alterationibus cõmutata à calore noſtro hanc,uel illã uim obtinere poſſunt:quod uel ex caſia cathartica patere poteſt. Hæc enim cum atros humores leniter educendi uim habeat(libet nanq; in re clariore exemplũ proponere)in uentriculo prius alterata eductiuã uim adipiſcitur. quam non ultra iecinoris terminos extendit: ſed ibi aliã rurſus permutationẽ ſuſcipiens,purgatoria ui exuitur,atq; aliam nanciſcitur facultatẽ: nempe diureticam,qua ſeroſam ſanguinis partẽ ſeparat,expulſionią; paratam,

præbet,

præbet, renesq; expurgat. Si quis igitur casiam possit ita præparare, ut ad uenas ducat nulla interim passa commutatione, nulli dubium est, quin nihil ibi aliud effectura sit, nisi torridam bilem (si inuenerit) educere. Quæ autem per os sumpta ad pectus ueniunt, siue ad pulmonem, multas numero partes pertransire necessum est, ut Galenus copiose declarat 11. de arte cur. ad Glauc. cap. 11. primum quidem os, & fauces, & stomachum, deinde & uentriculum ipsum, & quædam extenuioribus intestinis: deinde eas, quæ sunt in mesenterio, uenas: deinde eas, quæ sunt in cauis partibus hepatis; ex quibus ad eas, quæ in gibbis sunt, transumpta, hinc ad concauam perueniunt uenam: post quam ad cor: deinceps hoc modo ad pulmonem. neque negare possumus, quin in singulis partibus his, quibusdam admisceantur humoribus, ac quandam transmutationem, atque alterationem pro natura uisceris capiat. Exhibendi igitur modum qui nouerit, nõ leuissimam medicinæ partem se nouisse gloriari poterit: contra uero, qui eam ignorauerit, nihil minus, quàm medicum, hunc merito dixerimus. Verum cum hæc difficillima cognitu sit, atque non nisi per plurima, assiduaque experimenta haberi possit, si per nos ipsi illam adipisci crediderimus, magnam prouinciam, nostrisq; humeris imparem susceperimus. Sed cum Dioscorides hunc laborẽ nobis remouerit, præclare nobiscum agetur, si quæ ille obseruauerit, calleamus: ut quę nõ ab eo solum, sed à multis alijs celeberrimis medicis sæpius experimẽto comprobata sint. Hanc uero cognitionem cum multi momenti uidisset, ita diligenter excoluit, ut nihil ferè proponat, cui non admouendi rationem addat; ut in hanc unam rem magis, quàm in cæteras inuigilasse uideatur. quòd si quædam siluerit, à lectore non rudi facile intelligi poterunt, ut mox dicemus. Multa igitur per os præbet, ut ad pectus ducat, (nam de his, quæ in stomachũ ingeri iussit, satis multa diximus) circa quod alia, atque alia præbendi ingenia excogitauit; ut porri semẽ cõtra omnia thoracis uitia, tabemq; pro delinctu efficax est. Lini semen uitia pectoris extrahit, si ex melle in eclegmatis uicem substituatur. Sitaniorum farina si decocta in glutini modum delingatur, cruentis excreationibus prodest. tussilaginis aridæ fumus per infundibulũ hianti ore raptus hos sanat, qui sicca tussi, atq; orthopnœa infestantur. sic & multa alia. Vbi animaduertendũ est, quæ in eclegmatis formam exhibentur, quanquam potissimum ad omnia pectoris uitia extrahenda, excogitata sunt; sæpius tamen ad alias corporis affectiones dari solere. Scordij enim aridi farina non solum ad ueterem tussim, sed ad rupta, conuulsaq; facere Dioscorides asserit, si cum nasturtio, melle, & resina misceatur in eclegmate. Scilla in delinctu datur

regio

regio morbo,torminibus,tusi ueteri, ægre reiicientibus, & suspiriosis. Melisophyllon torminibus, & orthopnoicis delinctu auxiliatur. sed clarius hoc in lupini farina colligitur; quam delinctu uentris animalia expellere Dioscorides testatur, nullã uim aliquid à pectore educendi ei tribuens. Huius quidem rei ratio hæc forte est. nam quæ delinguntur, aut sensim deglutiuntur, quanuis mens sit ad pectus ducere,bona tamen eorum pars in uentriculum descendit. non enim aspera arteria musculos habet,quibus in pectus ea,quæ uelimus, immittat. Sed eorum,quæ in delinctu dantur,ut uentriculi morbos, & qui ab eo pendent, solũmodo sanemus,alia ratio est. Nam uel ob moram,quam quærimus medicamenti,uel quia non in fundũ uentriculi illud descendere cupiamus, sed ut in tunicis adhæreat; uel quòd imbecillus calor uentriculi sit, ita ut semel ingestam copiam alterare non posse existimemus; uel quia medicamen suapte natura uehemens sit; uel quòd flatus gignere, uel erosionem, uel aliquam aliam in uentriculo noxam efficere ualeat, si totũ simul deuoretur; uel aliã causam existimabimus. Quæ per os intus sumuntur huiusmodi ferè sunt: sed ut de his, quæ ita ori admouentur, ut ibidem remaneant, loquamur ratio postulat. Hæc autem non solum ad oris morbos, eiusq; interiores partes, sed ad caput pituita, aliisq; humoribus exonerandum, interdum præberi solent. Talia sunt,quæ masticatoria uulgus medicorum appellat,græci ἀποφλεγματισμούς. ut staphis agria cõmanducata multam pituitam cit. Idem præstat piper cum uua passa manducatum, & eius radix cum semine staphidis agriæ eodem modo: Idem & pyrethri radix,& anemones, & sinapi: Ita & mastichen dant recentiores: quanquam Dioscorides ad oris halitum cõmendandum commanducari præcipit. Manduntur etiam nonnunquã medicamenta ad uomitiones ciendas, quod asphodeli radix commanducata præstat; necnon anagyris folia commanducata. Sed & contra uomitiones etiam manduntur quædam, ut faba. Item ad ulcerum in ore eruptiones, quod anthemidis duæ species commanducatæ pollicentur. Verum si post cõmanducationem, impositionem etiam subintelligat, ut de exterioribus ulceribus oris loquatur, alia ratio est. nam hoc, sicuti & cum triticum manditur, ut deinde ad canum morsus imponatur,non ad propinandi rationem,sed ad præparationem referri debet; sic & cum ocimum manducatum, & in sole positum uermiculos creare ait. At uero cum partes ori adiacentes curare intendit, ut sunt dentes, gingiuæ, lingua, palatum, gurgulio: alijs propinandi ingenijs utitur; nonnunquam etiam cõmanducatione. nam ut dentium stupores sedet, portulacam commanducandam præbet. Eorundem etiam dolores sedare ait radicem chelidonij

maioris commanducatam: nec minus radicem plantaginis & manducatu, & collutione. sed eiusdem succi collutione ulcera oris purgat. Os colluit decocto seminis capparis ad dentium dolorem sedandum. atque ad idem colluit os apiastri decocto, & uino, in quo senecta anguium decocta sit; & althæa decocta in aceto. collutione etiam garo Menarum, oris putrilagines sedantur. Contra ueterem, callosamq; arteriæ scabritiem, & præduros tonsillarum tumores sinapi succus gargarizatur. Asininum lac peculiariter, collutos dentes gingiuasq; stabilit. Mel faucibus, tonsillis, & anginæ collutum gargarizatumue medetur. sed nonnunquam gargarizatu caput purgat, ut anagallidis succo, & chelidonij minoris decocto: immo & ad omnia pectoris uitia extrahenda idem magnifice ualere affirmat. Lacertæ iecur exesis dentibus coniectum dolores finit. Butyrũ si infricetur ex melle, dentitiones adiuuat, & gingiuarum pruritus sedat. Laser cauernis dentiũ in dolore inditur, aut os colluitur, cum quibusdam alijs. Idem uuam illitu cum melle reprimit, & anginis ex aqua mulsa utilissime gargarizatur; & cum aceto hærentes gulæ hirudines decutit. Galbanũ dentium doloré oblitum, aut cauernis inditum, mitigat: idem efficit allij decoctum, si ore contineatur. sic, cum dulcis radicis succum in arteriæ scabritia efficax haberi scribat, subdit; Verum oportet, ut linguæ subditus cliquescat, nequis aliter præberet. Hæ igitur exhibendorũ simplicium uarietates, ut à Dioscoride proponuntur, obseruandæ sunt, si affectus curare intendamus: aliter enim uel nunquã, uel raro scopum attingemus. Nam si quod ille potu exhibet, nos delinctu, aut gargarizatu dabimus, & contra: non solum morbum non tollemus, sed mirum in modum nocebimus. Id enim fixum menti tenere debemus, utendi formulam ideo à Dioscoride proponi, quia sic solum morbos profligari posse plurimis experimentis comprobatum est. Cur igitur nos noua pericula facere tentabimus, cum ex his certius alius effectus, quàm is, quem quærimus, eueniat? quod staphidis agriæ exemplo pulcherrime confirmari potest: Commanducata enim pituitam cit, sed dentium dolori decocta datur. Idemq; de pyrethro scribitur, mansa enim radix pituitam elicit, sed eius decoctum dolentibus dentibus auxiliatur. Sic & cornu ceruinum infrictum dentes expurgat, sed feruefactum in aceto maxillarum dolorem adimit. Atramentum sutorium deuoratum latas uentris tineas necat: sed ex aqua potum aduersus hausta fungorũ uenena auxiliatur. Ecce igitur quonam pacto etiã si idem locus sit, qui medicamentum excipiat, uarie tamen exhibitum, uarios effectus inducit. quod tanto magis accidet, cum diuersis locis idem medicamentum admouetur. ut sulfur in ouo sumptum prodest tussibus,

tuſsibus,ſuſpirioſis, & puruleta extuſsientibus : ſed uſti nidore partus extrahit. Thapſiæ ſuccus potus, utrinque bilem extrahit. ſed quibus difficile ſit uomere, datur in cibis, aut obſonio. Verum qui longe dilucidius hoc uidere intendat, legat quinquefolij hiſtoriã : quam præbet oris collutione, atq; retentione, gargarizatu,potu,illitu. ex quorũ uarietate uarios affectus ſanat. Non igitur ab ea exhibendi formula, quam Dioſcorides proponit, diſcedendum. Raro enim(uti diximus) quod uno modo exhibitum morbum tollit,alio eundem tollere poterit. Quod in quibus acciderit, neque Dioſcorides omiſit. eſt enim ſcitu non ſolum utiliſsimum, ſed neceſſarium. nam ſi contingat, ut uno modo præberi non poſsint, uel ob præparationem, quam tunc præſtare non poſſumus, quamq; ille morbus neceſſario requirat, uel ob ægri nauſeam, uel peculiarem naturam, uel ætatem, uel quod medicamentum illud aliquam interim noxam importare poſsit, uel ob alia, quæ euenire poſſunt, impedimenta: ad alium modum confugiamus. ſic leporis cerebrum facilem infantibus dentitionem præſtat cibo, aut affrictu. ergo infantes ſi huiuſmodi cibum refutant, affrictione uti conuenientius poterimus: uel contra. ſic ſi uelimus ſingultus abſque febre ſedare; atque alyſsi decoctum, uel reſpuatur, uel ob uentriculi aliquã intemperaturam, timeatur: cum ſciamus idem præſtari ab eodem medicamento ſi teneatur, uel odoretur; hoc præcipiemus. nemo enim eſt, qui odorare, uel ſaltẽ tenere illud recuſet. Eadẽ ratio eſt in omnibus alijs, ut eryngium tubercula diſcutere proditur appenſum, illitumue. Coſtus uuluæ uitijs tam impoſitu,quàm fotu, & ſuffitu auxiliatur. Piper tuſsi, omnibuſq; pectoris uitijs ſiue eclegmate,ſiue potu ſuccurrit. Dracunculi radix humores pectoris excreatu faciles reddit, ſiue cocta, toſtaq; cum melle,aut per ſeſe edatur,ſiue farina eius ex melle delingatur. eundem effectũ præſtat ammoniacũ, ſi cum melle delingatur, aut cum ptiſanæ ſucco ſorbeatur. Ita & multa alia,quæ apud Dioſcoridem obſeruari poterunt. Quòd ſi hæc nihili duxerimus, ſed quouis modo adhibitum medicamentum affectus curare poſſe ſperemus: nonnunquã contrariam diſpoſitionem inducemus. quod leporis coaguli exemplo ſatis patebit. Hoc enim,poſt mẽſtruas purgationes appoſitum uuluæ cum butyro,præſtat mulieribus ut concipiant: potum uero non ſolum partus enecat, ſed à puerperio pariendi ſpem adimit; ſiue (ut Marcellus uertit) ſterilitatem inducit. Quid multa? propinandi modus quandoque ita remotus eſt ab affectu curando, ut irrationabilis omnino uia illa uideatur: & tamen nõ alia,quàm illa, per illud medicamentum curari poteſt, ut in nõ leuem admirationem & medicum,& ægrotum ducat. Sed neque ſine ratione

illud etiam est; quæ uel latet penitus, uel etiam si difficilis sit, à rationabili tamen medico inueniri potest. Nam quis non admiretur ranunculi radicem appensam dentium dolorem leuare, eosq; frangere? sic cum amoliendis strumis lapathi radicum gestamine utimur, eas collo appendentes, & alia huiusmodi quamplurima, quibus usos fuisse antiquos constat? nam ut sterilitatem afferrent, & conceptum adimerent, altilis asparagi radicem adalligabant. cyclamini radicem appensam apponebãt, ut partum accelerarent. hanc etiam si prægnans transgrederetur abortum facere obseruauerunt. quam uim & onosmati inesse tradidere: Asplenon præterea appensam conceptum adimere. Quin & satyrij alterius radicem, si omnino manu teneatur, uenerem stimulare; lapillosq; in hirundinũ uentre repertos bracchio, aut collo adalligatos, comitialibus prodesse, & sępe prorsus eos recreare Dioscorides est auctor. quod pæoniæ etiam recentiores tribuunt: qui & Iaspidem gemmam appendi, uel gestari iubent, contra profluuia sanguinis. Anagyris folia adalligabant ueteres difficulter parientibus; qui etiam experimento cognouerunt polium substratum serpentes abigere: atque alia id genus quamplurima obseruata sunt, quorum rationes uix inueniat medicus. Huc etiam referri possent, quæ ad expiationes, & amuleta ualere traduntur; ut sacra herba ob id dicta: sic & scilla, quam totam in limine ianuæ appensam mali medicamenti noxã arcere tradit Dioscorides, quemadmodum & alysson: sic & quæ ad amatoria ualere proponuntur, ut mandragoras, cyclaminus, phyteuma, & nonnulla alia. Sed hæc superstitiosa potius sunt, quàm uera; & (ut Galenus x. simplic. cap. primo) ridicula. quorum nec si abunde expertus esset, mentionem faceret. Hoc uero non solum in his, quæ ueluti amuleta sunt, cernitur, sed in alijs etiam, quæ aliter adhibita certius posse iuuare ratio commonstrare uidetur. Nam quis non admiretur gingiuas cruore suffusas plantaginis succi potu persanari, cum hic locus patens sit, eiq; idem medicamentum admotum rectius, citiusq; sanitatẽ inducere posse rationabile uideatur? eadem admiratio suberit, cum allium cum origani decocto potum pediculos, & lendes enecare tradit Dioscorides: sic & cum dicit eum, qui tres quamminimos cytinos deuorauerit, nullam eo anno lippitudinem passurum. Mirum etiam esset bulbum uomitoriũ mansum uesicæ malis mederi. nec nõ rapi cymas decoctas mandi, ut urinam cieant: si per mansum id, quod aliter commanducatum dicitur, intelligamus, non etiam deuoratum. Sed animaduertendum est Ruellium hac uoce nunc pro cõmanducatione uti, nunc pro esu; dubiumq; nobis relinquit, an intus sumendum, an ore tantum detinendum medicamentum sit, quod mandi interpretatur.

terpretatur. Hanc enim uocem διαμασηθεῖσα, quæ cõmanducata, siue cõmansa exponi debet, similiter & hanc uocem βρώσκω, quæ uerti debet comedo, nec minus hanc ἐσθιομένη, quæ reddenda est comesta, uel in cibo sumpta; atque nonnullas id genus alias, per hoc uerbum mandere uertit. Quæ uox in quibusdam recte iacet, in quibusdam uero nõ itẽ. nam quod in pyrethro græce habet. ἄγει δὲ καὶ φλέγμα διαμασηθεῖσα, recte quidem uertit Ruellius, mansa pituitam extrahit. pariter quod in sinapi græce iacet. ἀποφλεγματίζειν διαμασηθέν, recte etiam reddidit, ad eliciendam capitis pituitam manditur. Sed quod in rapo græce est, ὁδὲ ἐξ ἀυτῆς ἀσπάραγος βιβρώσκεται ἐφθὸς, non recte reddidit cymę eius decoctę manduntur: sed rectius sic, eius asparagus editur coctus. Quam ob rem mirari desinamus, quòd rapi asparagus coctus cieat urinam, si edatur: cum infinita ferè sint, quę comesta diureticam uim habent. Ita & nec quod bulbus uomitorius in cibo sumptus, uesicæ malis medeatur. nanq; id quod græce est, ἄυτη ἐσθιομένη καθ' ἀυτὼ, Ruellius uertit, ea radix mansa; cum potius esset sic uertendum, Hęc si per se comedatur; uel ut Marcellus, quę in cibo sumpta. Eadem cõfusio est in Scandice, in Ornithogalo, & multis alijs, quę mandi ait Ruellius: cum potius edi, uel in cibo sumi dicendum esset. unde in his fidendum magis est alijs interpretibus. Verum cum familiare quodãmodo sit Plinio, ut hoc uerbo mandi utatur pro eo quod est edere, ut in uomitorio bulbo, cuius radicem mandi ait lib. xix. cap. v. uoluit Ruellius magis esse cum Plinio confusus, quàm per se ipse distinctus. uerum de his, atq; alijs multis in commenrarijs nostris in Dioscoridem uberius suis locis agemus. Sed ut ad rem redeamus, multa alia sunt admiratione digna circa utendi rationem. Nam terreni uermes, necnon hastulę regiæ succus; item acini hederę quinque triti, calefactiq; in punici mali cortice, cum rosaceo, unumquodque horũ per se si instilletur in contrariam aurem, dentium doloribus præstat. idem pollet anagallidis succus, si in aduersam narem inijciatur. Hoc autem remedium an pro errhino accipi debeat alibi dicemus. Quæ cũ ita sint, mirari non debemus Herophilum dicentem, nihil non herbarum ui effici posse; sed plurimarum uires esse incognitas, quin & quasdam fortasis etiã calcatas prodesse. Sed iam ad alia corporis foramina transeamus: de quibus libet promiscue agere, ut breuitatem excolamus, ab errhinis incipiendo. Nam quæ uere errhina dicuntur, neq; omisit Dioscorides, ut cum chelidonij minoris radicis succũ naribus infundit ad caput purgandum, ad quod & iam utriusque betæ succum cum melle naribus inditũ ualere tradit. quod & præstat tum cepæ, tum cyclamini, tum etiam brassicæ succus eodem modo. Sed

mirabilis struthij proprietas, quæ trita cum melle, & naribus infusa per os purgat. Quandoq; ad spiritum à capite educendum quædam naribus immittit: quod quidem Ocimi semen naribus hausti efficit. nam sternutamenta mouet; quod & sinapi præstat eodem modo, & ranunculi radix. Vtitur quandoque solo odore, ut cucumis satiuus olfactu reuocat, quos animus liquerit. Vertiginosos, comitiales, & uuluæ strangulatus solo galbani olfactu reuocat. Vuluæ etiam strangulatus sagapenum olfactum ex aceto excitare tradit. Sed cum dracunculi succum naribus ex lana imponit, tunc ad morbum, qui ibidem infestat remouendum, admouet; nempe polypum. sic & mali punici succum ad narium uitia. sic & hederæ succum instillatum, qui putrida tædia narium, graueolentiamq; emendat, & sanitati restituit. Quæ uero per aures, sedem, aut uuluam, aut uirgam infunduntur, eadem ratione considerare oportet. Sunt enim & horum foraminum uarij exhibendi modi, qui uarias in corpore permutationes efficere possunt. nã per sedem uel succus per clysterem, uel decoctum, uel cremor, uel aliud eiusmodi inijcitur: uel glandes; sicuti & per uuluam, uel liquores uarij, uel pessa, quę ita admouenda, iniicienda´ue sunt, ut à Dioscoride præcipiuntur, semper memoria tenentes id, quod sæpius admonuimus. Hoc unum tamen animaduertisse par est, in his, quemadmodum & in alijs, remedia adhiberi non solum, ut remotioribus morbis, sed ut locis etiam, quibus imponuntur, auxilium feratur. Nam si multa recensuimus, quæ auribus instillata, dentium doloribus subueniunt; sunt tamen quæ earum ipsarum morbis opem ferant. Vt aparinæ succus, & marrubij, & cannabis, & ramentorum cucurbitæ, singulum per se auribus instillatum dolores earum sedat. ita & de alijs intelligendum est.

De præsidiorum localium admouendorum ratione: & ut præfinienda sint, quæ à Dioscoride indefinite hac in re proponuntur. Cap. XI.

HACTENVS ea, quę intus sumuntur. sequitur, ut de his, quæ extra admouentur, uerba faciamus: quæ & ipsa uaria esse proposuimus. non enim solum ab examinatis rebus illa sumpsisse satis eis uisum est, sed & animalia etiam uiua in topicorum præsidiorum numero collocare non dubitarunt. Galenus enim ad probe faciendam cõcoctionem his, qui uentriculi imbecillitate laborant, nihil præstantius esse asseuerat, quàm catulum, aut uiuidum puerum inter dormiendum complexu fouere. sunt qui uolam manus ori uentriculi admotam idem præstare dicant. Dioscorides gallinas dissectas, & adhuc calentes, & quasi semi-

animes

animes ſerpentium morſibus apponit. Sunt qui ab epoto ueneno ſeruari hominem aſſerant, ſi ſtatim in exenteratum mulum totus ingrediatur, ac tandiu ibi inuolutus permaneat, quoad calor natiuus muli ex toto euanuerit; tuncq́; in alium eodem pacto introëat, rurſuſq́; in alium atq; alium; ac quo plures acceperit mulos, eo tutius euaſurum: fuiſſeq́; Principes, qui triginta, uel etiam quadraginta mulorum impendio certiſsimum mortis periculum effugerint, hiſtoriæ narrant. Nec deſunt alia ingenia, non abſque multa mentis exagitatione excogitata. nam & ex uitice cubitus ſterni præcipit: in quibus cubent, qui ueneris cupiditatẽ inhibere cupiant. Galenus natationes ſumme probat. Carmis Maſsilienſis frigida etiam hybernis algoribus lauari perſuaſit: quin & ægros merſit in lacus. Sed hæc ab inani quædam, glorioſaq́; oſtentatione potius, quàm à ſtabili ueritate, aut hominis uoluntate (ſi Plinio credimus) proficiſci uidebantur. Verum apud recentiores medicos, qui Hippocraticam diſciplinam, Galenicamq́; profitentur, noſtris temporibus obſeruamus eos, qui ob canis rapidi morſum aquas expaueſcunt, nec opinantes in piſcinam non ante eis prouiſam proiiciendos eſſe. & ſi natandi ſcientiam non habent, modo merſos bibere pati, modo attollere: ſi habent, interdum deprimere, ut inuiti quoq; aqua ſatientur. quod præceptum Celſus (ut exiſtimo) primus ſcriptum reliquit: alij deinde experimento comprobarunt. Varia igitur ſunt hæc exterius admouenda præſidia, non minus ac quæ interius aſſumuntur: quæ & idcirco longe pluris facienda ſunt, quòd non ſolum externi corporis partibus ſanitatem promittunt: ſed ad profundiores partes penetrantia, internos morbos etiam tollere conſueuerunt. Mei enim radices ſanguinem per menſtrua pellunt deſeſsionibus feruefactæ. quæ interior operatio eſt. Maluæ autem decocto inſeſsione ad uuluas emolliendas utimur, nihil ab eo petentes, quod interius operetur: idem tamen adhibendi modus in utriſque eſt, nempe inſeſſus. ſed quæ externis morbis amoliendis extra adhibentur, clariora quidem ſunt, quàm ut de illis longus debeat proferri ſermo. At quæ ibidem admota ab intimis partibus morbos extrahunt, aliquam per exempla declarationem expoſcunt. Cyclaminus illito umbilico, & imo uentre coxarum tenus, emollit, & abortum efficit. Dictamni ſuccus illitus purgandi uim habet. Mei radices imo uentri infantibus illitæ urinas mouent. ſic & innumera alia non ſolum apud Dioſcoridem ſunt, ſed à recentioribus excogitata. Nam plurium generũ inunctionibus ad luem gallicam penitus euellendam uti ſolent: qui morbus nõ ſolũ in cute eſt, ſed in oſsium neruorumq́; ſubſtantiam graſſatur. Sed admiratione dignum in his eſt, nonnulla cõmuni admotionis

modo eundem effectū promittere; ut nihil interſit ad ſanitatem perfe-
cte conciliandā, utrum intus, an extra adhibeas. Huiuſmodi eſt allium,
quod tam cibo, quàm illitu cōtra rabioſorum morſus ualet. Huiuſmo
di & apiaſtrum, cuius folia tam pota, quàm illita proſunt contra ictus
phalangiorum, ſcorpionumq;; item aduerſus canum morſus. Sed re-
deamus ad alia uix paucis nota admouendi præſidia. Nam quòd co-
riandrum cum pane, aut polenta illitum ignibus ſacris, & ulceribus,
quæ ſerpunt, medeatur: ſimiliter quòd uiſcum cum reſina, & cera in
ſplenio epinyctidas ſanet: quodque althææ ſemine ex oleo, & aceto
peruncti à uenenatis non feriantur: cum etiam uel balneæ, uel embro-
chæ, uel emplaſtra, uel unguenta præcipiuntur: quæ & excipiantur uel
lineo panno, uel corio, aut uellere, aut alio eius generis inſtrumento:
cum inquam hæc omnia in Dioſcoride legimus, nihil noui nos aſſe-
quimur. illa enim & eiuſmodi alia nuſquam non uſitatiſsima ſunt.
Verū cum armentariæ bouis fimum folijs inuoluit ad uulnerū inflam-
mationes mitigandas, cumq; fabam ſemiſectam ſanguinis defluxioni-
bus ab hirudine concitatis, apprimit; nec minus cum dracunculi folia
linamentorū uice recentibus uulneribus imponit: noua quædā adhi-
bendi inuenta nobis manifeſtat, quorū quamplurima apud Dioſcori-
dem, Galenumq; qui uis per ſe obſeruabit; illiſq; utetur magna cum
ægrorū utilitate, ſpectantiumq; admiratione. Nobis ſatis ſit uiam le-
ctori monſtraſſe, qua ad illa perquirenda, atque attente conſideranda
duci nullo negotio queat. Nunc rem omnem abſoluemus, ſi quædam,
quæ Dioſcoridis lectionem circa ea, quæ diximus, retardare poſſent,
declarauerimus. Diximus enim in multis, atque magna ex parte Dio-
ſcoridem adhibendi modum proponere; ſed in nonnullis cum illum
non ponat, uidendum eſſet, an per nos ipſi adinuenire aliqua ratione
poſſemus. Nam cum conſtet aluum purgari quibuſdam medicamen-
tis intus aſſumptis, quibuſdam etiam exterius admotis: ſic & cum ſto-
machum corroborare intendimus, nonnunquam deuoranda, nonnun
quam ori eius inungenda, uel puluerata præcipimus; quem ex his ad-
hibendi modum eligamus, neſciemus. in Gingibere, cum de eo inquit
Dioſcorides aluum leniter emollit, ſtomacho utilis eſt, modum quo
id fieri debet, non apponens; pari modo cum ſerpyllum menſes trahe-
re aſſerit: ignorabimus, an potu, an in peſſo admoueri debeat. utroq;
enim modo uti medici conſueuerunt. Sic cum eandem plantā inquit
torminibus, ruptis, uulſis, & iecinoris inflammationibus auxiliari:
quis non hæreat illitu'ne, an potu, cibis'ue hæc efficere poſsit? Quam
ob rem utiliſsimum puto fuerit, ſi non in omnibus, at certe in quibuſ-
dam hæc cognoſcere. Sed nos pauca quædā nunc in hac re tangemus,

longe

longe plura alibi dicturi. Quæ igitur sine ulla adhibendi ratione proponuntur, in uniuersum duas habent differentias, in quibus dubium nobis relinquitur, an scilicet intro præberi, an exterius admoueri debeant: Hæc enim curationem mirandum in modum uariare possunt, circa quod medicamenti qualitas consideranda est. in primisq; an uenenatam uim possideat. in his enim ferè necesse non est propinandi differentias proferre: cum cuiuis manifestum sit nullo pacto interius assumi posse. Sed difficultas in illis remanet, quæ tuto exhiberi interius possunt: quando hæc exterius etiam admoueri posse nihil uetat. sed circa hæc cõsiderare oportet affectum, cui destinantur, internus ne scilicet sit, an externus: nam quia magna ex parte internis affectionibus intro præberi solent remedia; superficialibus uero exterius: ab his, quę ut plurimum fieri solent, coniecturam sumentes, non errabimus si interioribus morbis, intro assumenda præcipiamus medicamenta. illis uero, qui exteriorem corporis partem occupant, exterius adhibeamus. Auctorum enim ferè omnium, ne dum Dioscoridis mos esse solet, ea quæ nouo quodam propinandi genere morbos tollunt, clarissime proponere; in illis tantum indefinite loquentes, quæ sciri absq; multa difficultate possunt. Nã quòd interna affectio per intus assumptum medicamentum tollatur; aut quod exterior, per ea, quæ extra apponuntur, nouum non est: sed quòd nonnunquam supercutaneus morbus deuorato medicamine tollatur; uel contra internus, his, quę in superficie prębentur; hoc quidem nouitatem quandam secum importat: quam nisi auctor declaret, non immerito esset damnandus. similiter & de his, quæ incõtrariam partem immittuntur, atq; de alijs, quorum exempla paulo superius proposuimus. Nam cum acetum inquit ad nomas, ignem sacrum, ulcera quæ serpunt, lepras, impetigines, pterygia cum aliquo conuenienti efficax esse: quis est qui interius assumendum esse acetum dixerit? Pari modo cum equiseti radicem cum sua herba tussim, orthopnœam, ruptaq; adiuuare scribit: nemo erit qui dubitet, hanc intro præbendam esse. vnde pauca admodum erunt, quæ circa primas illas differentias nobis dubiũ facere possint. Sed quod difficultatẽ importare potest, erit, quia etiam si sciero medicamen aliquod intus esse suscipiendum: adhuc ignorare potero, potu'ne, an cibo, an eclegmate, an alio quopiam modo præbendum sit: ita & in exterioribus presidijs admouendum'ne sit inunctione, illitu'ue, an ad emplastri formam, an aliter. In hoc igitur uidendum est, an medicamentum illud per se solũ adhibeatur, an cum alijs: ea enim, quibuscum admiscentur, exhibendi rationem cõmostrare ut plurimũ solent. quæ enim aliquo liquore iunguntur, qui sorberi soleat, ut est

aqua,

aqua, uinum, lac, ptisanæ cremor, & similia; potu præbenda esse coniectaberis: quæ gummi, aut aliqua re lentorem posidente, eclegmate: quæ ouo sorbili, aut uuæ acinis, aut alijs id genus, ingestione. Sic & in his quæ topica sunt. Nam oleis unguentis'ue permixta, aut cera, aut resinis, aut pice, aut bitumine, aut adipe aliquo, aut alijs eius generis, præterquam quòd ab his, quæ interius assumuntur, omnino ferè abhorrere cognoscuntur, exteriorem operationẽ statim præseferunt, illitionem nempe, aut inunctionem. Quòd si per se sola, & simpliciter medicamenta proponant, ad alias regulas confugiendũ est: in primisq; hoc medicamẽti qualitas & gradus manifestabit. Aromata enim cum magna ex parte deuorari ›soleant, nemo uereatur intro prębere. ac propterea cum legimus iuncum odoratũ uim urinę ciundæ habere, & menses pellere, necessarium non fuit modum præbendi adiungere; quia uel potu, uel obsonijs, uel alio modo per os sumptum proculdubio illud præstabit. Idem in Gingibere, de quo supra dubitabamus, dicendum est. Adde quòd alia in his & fortasse certior uia est; nempe ex saporibus, & temperamento, eiusq; gradibus. Nam cũ sciamus ea menses ducere, quæ acria sunt & amara, nec minus ea urinæ ciendæ uim habere, quæ acria sunt. Talia uero cum sint calida in secundo, uel etiam tertio gradu, prout cum alijs contrarijs qualitatibus plus minus'miscentur; præterea cum constet etiã hæc intus assumpta hoc munus præstare; iam si his saporibus, atque temperamentis prædita sint medicamenta, quæ ad urinam ciendam, uel menses educendos ualere Dioscorides dicat: uereri non debemus, quin intro prębenda esse iudicemus. atque eo magis, cum hæc uel aromaticam uim habeant, uel præter medicam uim, nutriendi etiam facultate polleant, ut sunt fœniculus, cinnamomum, raphanus, eruca, cepa. Quòd si nonnulla eodẽ temperamento, atq; iisdem saporibus prædita nonnunquã uel fotu, uel desessu eosdem effectus induxerint: non propterea errabit, qui eadem per os præbuerit. cum ex uniuersali eorum facultate certo sciat, si sic prębeantur, non minus ac si admota sint, effectum conspiciendum fore; tametsi cum admouenda sunt huiusmodi medicamenta, semper ferè à Dioscoride explicatur. Cum autem simpliciter, atq; indefinite profert, interius assumenda esse intelligit. Eadem uero regula quis in lac euocantibus, atque alijs quibusdam utatur licebit. Nonnunquam locus affectus adhibendi rationem docebit. Nam si inflammatio sit in tonsillis, aut uua, nemo profecto hęrebit his locis gargarizatu, aut illitu, aut insufflatu medicamenta apponere; quia neque alius modus reperietur. Vnde propterea satis fuit Dioscoridi salem tonsillis, uuæq; cum melle tostum ualere asseruisse. Nec minus cum

Cynogloſsi

Cynogloſsi ſolia mederi morſibus canum, alopecijs, & ambuſtis aſſerit: nam nõ ſolum intus non dari debere, per id cõmoſtrat, quòd cum ſuillo adipe ueteri admiſcet; ſed etiam quonam pacto extra accõmodetur; quia huiuſmodi affectiones inungi, emplaſtrariq; ſemper poſtulant. Nonnunquam ex ſimplicis medicamenti præparatione idem aſſequemur: nam quorum ſuccus, aut decoctio aſſumitur, infundi ſolet, uel bibi, uel inſtillari. ſed an per ſedem, an per uuluam, an per aures, an per os, locus affectus, morbi natura, & qualitas medicamenti indicabit. ſic & quæ in puluerem rediguntur: hæc enim exterioribus morbis inſperguntur, interioribus cum aliquo liquore exhibentur. quemadmodum ſinapi Dioſcorides contra febrium circuitus præbet. iubet enim aridum bibi, aut potui polentæ modo inſpergi. Præterea ex Dioſcoridis loquendi figura quandoq; propinandi uiam habebimus. ubi adnotandum eſt, cum ille utitur hac uoce Datur, uel Propinatur, uel Prębetur, quanuis cõmunem habere ſignificationem uideantur: tamen ſemper intus aſſumendũ per hanc uocem intelligit. Huius rei multa ſunt apud Dioſcoridẽ exempla. nos unico contenti erimus; quod eo magis rem ipſam confirmabit; quòd ut plurimum aliter pręberi ſoleat. Inquit enim adipem caprinum cum polenta, rhoë, & caſco dyſentericis dari: hircinum uero his etiam dari, qui cantharidum uenena hauſerunt. ſed adeps omne raro per os ſumitur, ſed uel inungitur, uel ſaltem per clyſterẽ, aut aures infunditur. hic tamen non aliter, quàm per os deuoratum accipi debere, cuiuis manifeſtum eſt. Idem pollet cum aliquid ſumi præcipit. Hæ dictiones pluribus locis uideri poſſunt: ſed nullibi clarius, quàm in agarici hiſtoria. Multo plura circa hanc rem conſiderari poſſunt. quorum quia regulæ uniuerſales quædam dari nequeunt, ſed ſingula loca ſingulas expoſitiones poſtulant: de illis hoc loco amplius non loquemur; ſed ſuis locis alias declarare promittimus. atque eo præſertim hoc loco ea pertranſimus; quòd bonã eorum partẽ non rudis lector per ſe intelliget. illud unum memoria ſæpius repetens, Dioſcoridis morem eſſe, ut cum nouo quodam modo exhiberi medicamen debet, nunquam illum ſileat. Nam ſi de purgatione loquitur, quia hæc non ſolum per os, ſed etiam per ſedem, immo & per inunctionem fieri ſolet, niſi ex alijs quibuſdam hoc clarum eſſe poſsit, ſemper adhibendi rationem proponit; ut ſelle omni perfacilem, præſertim infantibus, quis molietur (inquit) deiectionem, ſed addidit ſi intinctum eo tomentum, aut fimbriam ſedi ſubijciat; quia ſi ſic abſolute protuliſſet, ad id, quod ut plurimum fieri ſolet, lector animum aduertens poſſet illud per os propinare. ſimiliter & balanos ex helleboro albo cum aceto ſubditas uomitiones

ATENEO VENETO VENEZIA

nes concitare asserit, quod nisi exprimeretur, à nullo ita adhibitas (ut existimo) hoc præstare posse, ne coniectura quidem percipi possit. Sed longe minus quispiam assequeretur, quod de sulphure scribit. uult enim hoc fronti inspersum cochlearis mensura regium morbum emendare. propterea etiã cum ungentum rosaceum ad emolliendam aluum ualere tradit, potu id efficere explicat, quia (uti diximus) hoc rarum est. quodque enim unguentum illini magna ex parte solet. sic & in quãplurimis alijs, quorum longe plura exempla his, quæ paulo superius dicta sunt, quærere possunt studiosi. Vt igitur rem omnem concludamus; exhibendi ratio in simplicium cognitione tanti momẽti est, ut qui illam omiserit, nullos, uel paucos eorum effectus, atque illos quidem mancos, imperfectosq; uisurus sit: qui tandem simpliciũ uestigatorem in rebus clarissimis hæsitare cogent, ne dum latentium, atque abstrusarum inueniendarum ansam surripient.

Qui contingere possint errores in medicaminum cognitione ex totius corporis natura non probe considerata. Cap. XII.

SIMPLICIVM facultates eorundem dignotionem tribus modis occultare posse proposuimus; primo per se ipsa considerata, secundo ut ad corpus, tertio ut ad morbos relationem habẽt. ac quę in eis prout simplicia sunt, pensitanda erant, in superioribus abunde tractauimus: supereſt ut de iisdem, ut ad alia referuntur, loquamur, initio ab eo, quem ad corpus respectum habent, suscepto. Hoc autem duplicem in primis sortitur contemplationem in toto scilicet, & in parte. atque in toto quidem rursus duo inspicienda sunt: quorum alterum est naturalis corporis temperatura; alterum præparatio quædam corporis. Porrò naturalis eius temperies uaria admodum est, ac pro eius uarietate uarias etiam medicaminum tum qualitates, tum gradus exposcit. Hæc uero uarietas à lapsuum uarietate oritur, qui à temperamento, & eucrato corpore utrinque fiunt. atque rectius multo intelligentur, si quod optime temperatum corpus sit, perstringamus. Galenus optimam corporis constitutionem uarijs locis describit, præsertim primo de tuenda ualetudine, & 11. de temperamentis: Vbi illum hominem exquisite temperatum esse dicit, qui horum extremorum medium habitum sortiatur gracilitatis scilicet, & crassitudinis; quem & neque hirsutum dixeris, nec glabrum: sed nec mollem, nec durum; nec nigrum, nec candidum; nec calidissimum, nec frigidissimum: adde etiã nec uenis amplis, nec obscuris; item nec sit iracundus, nec ignauus; nec somnolentus, nec peruigil; nec hebes, nec callidus; nec in uenerẽ pronus,

pronus, nec à uenere omnino alienus: atque in summa, qui omnes tum naturales, tum animales functiones inculpatas habeat, nonnullaq; alia, quæ his locis Galenus exequitur. Receſſus igitur temperaturarũ tot erunt, quot ab enumeratorum mediocritate ex utraque parte exceſſus. Recedet enim ab optima corporis ſymmetria, qui nimis fuerit hirtus: uel contra, nimium glabrus. pariter qui obeſo ſit corpore, uel macilento: atque in alijs eodem modo. Neque ſolum hoc ita abſolute conſiderare oportet; ſed notandi etiam ſunt horum exceſſuum gradus, qui infiniti ferè eſſe poſſunt, ipſo etiam Galeno auctore. Color enim, qui à medio ad nigrum declinat, per infinita ferè media uergere poteſt: unde infinitarum propè temperierum inter ſe uariarum indicia nobis præbebunt. idemq; intelligas in candido, quin & in omnibus ſuperius dictis contrarietatibus. Receſſuum etiam temperaturarum differentię multæ, ex functionum differentijs colligi poſſunt; quas totidẽ numero eſſe Galenus primo de tuenda Val. probat. neq; enim qui ſani ſunt, omnes oculis æque cernunt, ſed alij perſpicacius, alij obtuſius: nec auribus pari modo audiunt. immo hic quoq; magna eſt in exceſſu, defectuq; diuerſitas. ſed nec pedibus ſimiliter currunt, nec manibus apprehendunt, nec reliquorum deniq; inſtrumentorum munia ſimiliter obeunt; ſed hic probius, ille deterius. Si itaque actionum diuerſitas pro temperamenti modo reſpondeat: cogit planè ratio, ut totidem ſint temperamentorum diuerſitates, quot ſunt functionum differentiæ. Illæ autem cum infinitæ ferè ſint: ſequitur ut innumeræ etiam propemodum & hæ ſint. Sed hæ temperierum diuerſitates uel eſſe poſſunt ab ipſo infantis ortu, ita, ut eius naturæ in utero ſit efformatus: & tunc erit eius conſideratio in habitu corporis, qui eſſe poterit uel durior, uel mollior, quàm nuper edito infanti par eſſe uideatur; atque deinde ætatis progreſſu eandem ſeruet proportionem: uel aliquam ex alijs contrarietatibus iam dictis, uel plures ſortiatur, quæ uarium habitum, ſiue temperiem, ſiue naturã efficiant. Nunc enim nullam nos differentiam ſtatuimus inter hæc; quemadmodum nec Galenus. Natura enim, principaliſsimo, ac magis proprio ſignificatu (ſi ei credimus lib. III. Aphoriſmorum) temperatura eſt quatuor elementorum in calido, frigido, humido ſicco. ſed hæc nihil aliud eſt niſi corporis temperatura. nam cum optimam temperiem dicimus; ſymmetriam harum qualitatum intelligimus: quæ in tribus ſubſtantijs fundatur, nempe ſpiritibus, ſanguine, & humiditate aërea. hæ in uniuerſum nouem ſunt, una optima, octo uitioſæ. Habitus uero bonus optima eſt ſymmetria ſanguinis, ac totius molis ſolidiorum partium; ut libello de bona habitudine Galenus docet. etenim bona cũctarum

ctarum partium temperies, bonus habitus dicitur. Hæc ita accipit Galenus. quanuis si subtilius speculemur; habitus, cum sensibus magis offeratur, uideatur esse indicium naturarum, ac temperierum, quæ magis latere uidentur. Atque hoc quidem unum est, quod consideramus in corporibus iam iam in lucē æditis: Alterū uero est quædā germana, ac peculiaris corporum natura, quæ sibi unum hominem ita statuit, ut fieri non possit, ut in alio inueniatur. quòd si genitus quidem est temperatus, aut saltem temperato proximus, sed ex uitæ studio, atq; ætatis permutatione aliam naturam adeptus sit: tunc non solum habitus præsentis, & naturæ peculiaris, sed consuetudinis etiam rationem habemus. Quin & ætatem etiam consideramus, quam tametsi in habitu consideraverimus: tamen per se ipsam etiam, quatenus habitum immutare potest, eam rursus contemplamur. Cum enim ætas non unam solam constituat in corporibus secundum proportionem, uarietatem, etiamsi uniformis ei motus, nempe ad siccitatem, in omnibus existat: (uidemus enim puerum puero eiusdem ætatis calidiorem, aut sicciorem; ita & iuuenes, consistentes, & senes) hanc temperierum uarietatem aliunde prouenire necesse est. Sed supponamus nunc etiam consuetudinis idoneum usum: remanet igitur, ut habitus ratione id eueniat. Quare duplicem habebit habitus respectum per totum suæ ætatis curriculum, unum per se, ut scilicet temperatus in lucem æditus, temperatum conseruet habitum ætatis ratione: alterum, prout se ipso durior, uel siccior ætatis causa fit. Quæ cum ita sint uarietatum in temperaturis causas non inepte, cum Galeno III. simplicium, cap. XII. ponemus ætatem, & uitæ consuetudinem; quæ uarium reddent corporis habitum, pro eorum secundum magis & minus uarietate. quanquam ætas res quædam naturali proxima uidetur, consuetudo magis accidentalis. his enim corpora humana plurimū inter se differunt, unde ab uno, eodemq; medicamento uarie alterentur necesse est. Quippe si iuuenem natura calidum ex uitæ instituto artificium exercentem, uetulæ mulierculæ, eidemq; natura frigida compares: non minus illum excellere comperies, quàm si ualide calfacientiū medicamentorum quippiam cum refrigerantibus componas. Atque hanc ob rem subiunxit Galenus inferius, Medium horum in probandis medicamentis accipiendum esse: hoc est, qui & natura sua, hoc est ab ortu, sit temperatus, & moribus, ac consuetudine conuenienti hanc tueatur temperiem. immoderatæ enim temperaturæ; hoc est, quæ à medio utrinque abscedunt, cum infinitæ ferè (uti diximus) sint: infinitas ferè etiam medicaminum naturas, ac proprietates requirere uidentur. Ac propterea recte monuit Galenus II. κατὰ γένη, unum pharmacum

macum omnibus corporibus nequaquam conuenire posse: sed oportere medium esse, ceu ad mediam temperaturam aptatum. duci uero ad utranq; eius medij partem, dum quotidiano usu, & experientia probatur. Valida enim corpora, hoc est quæ temperamento sicciora sunt, ueluti agricolarum natura, & uenatorum, ualidiora sustinent medicamina: imbecilliora uero, hoc est molliora, uel natura, uel uictus consuetudine; cuiusmodi sunt mulierum, eunuchorum, puerorum, & qui naturali temperaméto sunt humidi, candido, molliq; corpore præditi, ualidiora medicamenta nullo pacto ferunt. Atq; hæ quidẽ causæ sunt, quæ temperiem uariã reddere possunt, quam ad corpus, ut totũ est, retulimus. in quibus singillatim exẽpla proponere utilissimũ ducimus. Ergo ab ætate exordiamur: quæ non solũ qualitatẽ medicamenti, sed quantitatẽ etiã quammaxime uariare solet. uerũ de quãtitate seorsum suo loco satis multa diximus. quam ob rem hoc loco de ea uel nihil, uel quædam obiter dicentur. sed qualitatem potissimum docebimus, quæ in medicaminum uarietate, siue multiplicitate uersabitur. Sunt enim quædam medicamenta quæ ætati cuipiam admota morbos egregie tollunt; alijs uero ætatibus interdum nullum effectum manifestãt, interdum quammaxime officiunt: quæ causa est, cur à multis non uera existimentur. atque hinc fit, ut apud auctores in multis reperiamus medicamenta quædam uel tuto, uel minus secure pręberi posse, pueris, aut infantibus, iuuenibus'ue, aut senibus. Aloẽ multos uentriculi affectus curabit: sed senibus maxime uitandam esse docet Galenus v. de tuenda ualetudine. sua enim nimia siccitate siccum iam, ac planè naturali humore exhaustum senis uentriculum sicciorem reddit: ac per hoc imbecilliorem, & crassis humoribus concoquẽdis minus idoneum. Mel in probum sanguinem uertitur, sed senili duntaxat ætate, quemadmodum & natura frigidis temperamentis; ut Galenus docet III. de alimentorum facultatibus: nam ætate florentibus in bilem amaram transit. Cuius rei rationem si quis optet, eundem Galenum legat II. de naturalibus facultatibus, cap. VIII. Iam uero ex ætate indicatio quanti momenti sit in cuiusuis præsidij admotione, referta sunt penè omnia Galeni uolumina, ad quæ nos eum ablegamus, qui exactam eius rei notitiam desideret. nostri enim instituti terminos transgrederemur, si hæc omnia exquisite declarare intenderimus: ut qui intra simplicium cognoscendorum præcepta, ac limites contineri debeamus. Quare rem nostram tractemus, satisfeciisse arbitrati, si quonam pacto hæc de simplicium dignotione doctrina cum medendi præceptis connectatur, indicemus. Dioscorides igitur, aliiq; qui materiam medicam tractant, ita intelligendi sunt, dum simplicium facultates

cultates proponunt; ut habita temperiei consideratione, præsertim, quæ ex ætate permutata est: eorum uires expendant, atque ad usum ducant. Horum rationẽ Dioscorides in multis habuit, quæ immutare non oportebit: in multis (ut suus est mos) rem indefinite proposuit. nobisque prouincia relinquitur ea definiendi ex Galeni, cæterorũq; præclarissimorum medicorum uoluminibus opem mutuantes. Mei radices imo uentri illitæ urinas mouent, ait Dioscorides. verum non cuiusuis ætatis hominibus id præstabunt, sed solum modo infantibus. Felle omni perfacilem deiectionem quis molietur, si intinctum eo tomentum, aut fimbriam sedi subijciat. sed hanc uim infantibus præsertim ostẽdere posse Dioscorides auctor est. Pæoniæ rubra grana initia calculorum eximunt, si à pueris bibantur. syluestris oleæ folia oris ulceribus, & priuatim infantium, commanducata eidem Dioscoridi medentur. sicuti spinæ albæ semen epotum conuulsis, infantibus, & à serpente demorsis auxiliatur. Ergo non est quòd has alijs ætatibus administremus. nam cum pueris, infantibusq; longe duriorem, ac ualidiorem habitum aliæ ætates retineant: uim suam huiusmodi medicamenta ostendere nequeunt. vnde immerito damnarentur. quemad modum nec si derasas gymnasiorum parietibus simulachrisq; sordes, puerorum ulceribus adhibeamus, probum euentum sperabimus, quia Dioscorides desquamatis, & ulceribus senum eas ualere docet. quin & quia fortiorem uim habent, quàm ut tenera puerorum caro ferat, ideo tubercula, quæ ægre ad coctionem perducuntur, dissipare possunt. Recte igitur Galenus III. methodi, dum ulceris curandi methodum doceret, inter alia, eam, quæ ex habitu sumitur, indicationem in medium attulit (quam fieri ex ætate inter cætera diximus) multa inquiens esse medicamenta, quæ quibusdam naturis ulcera decenter exiccare ualent, quibusdam minime. Thus enim, quia cum medijs humani corporis naturis suo temperamento consentit, humidiores paulo liberalius siccat. unde in quibusdam tum naturis, tum ulceribus pus quidẽ mouet, carnem non producit: in quibusdã etiam carnem procreat. In humidiore nanque natura carnẽ producere potest; in sicciore non potest. Eadem ferè consideratio est in consuetudine: quæ tantam uim habet in corporis natura permutanda, ut cum ipsa illa natura cõspirasse uideatur. unde pulchre quodam ueluti prouerbio fertur, eam esse naturam aquisititiam, ut adnotat Galenus II. de motu musculorum. atque Hippocrates ipse secundam post naturam, uidelicet indicationis uim ei tribuit, ut idem Galenus docet libro tertio, de his quæ in medicatrina fiunt. Hinc igitur Hippocrates II. de ratione uictus in morbis acutis, Cibos facile ferre asserit eos, qui ijs uti consue-

consueuerunt, tametsi natura haud quaquam boni fuerint: similiter & potus. cibos uero, quibus uti consueuerunt, etiam si mali non fuerint, molestè ferre. Mithridates Rex, ut graues historiæ ferunt, ueneno hausto, & plus etiam, quàm necando homini satis esset, mortem oppetere nequiuit, quia nimirum sic eius membra quibusdã medicamentis frequenter assumptis, temperauerat, ut ab re noxia nullũ sentire detrimentum posset. quod & Galenus libro de Theriaca ad Pisonem memoria prodidit. Atque idem Galenus 111. simpliciũ, Athenienſem anum fuisse scribit, quæ ab exigua cicutæ portione auspicata nullo detrimento ad permagnam progressa est copiam. Principium enim paucum exiguitate ipsa deuictum est, consuetudo naturale reddidit. An igitur nos nõ uera assumpta fuisse à Mithridate uenena; neq; ueram cicutã ab Athenienſi anu dixerimus, quòd uenenatam in neutro uim ostenderint? omnium uero medicaminum uires debiliores in assuetis deprehendi, in quibusdam uero omnino inertes; satis docte Theophrastus IX. de historia, cap. XVIII. prosequitur. Quosdam enim fuisse ait, qui tantum hellebori esitarunt, ut manipulos totos consumpserint, & nihil fuerint affecti: & tamen summa eius quantitas unam, aut alteram drachmam, uel paulo plus non excedit. Fit enim (ut ipse ait) ut pleraque ex medicamentis propter hominis consuetudinem uim suam amittant, nec amplius medicamenta esse possint. cum enim à natura non respuuntur, in nutrimenti uicem transeunt. quam ob rem deuincuntur, conficiuntur, atque naturæ grata fiunt. subdit etiam Thrasiæ auctoritate, idem quibusdam naturis esse medicamen, quibusdam non esse medicamen; uerum unà cum natura etiam consuetudinem posse aliquid efficere: Eudemumq; Chium fuisse, qui uiginti duas hellebori potiones sumpsisse se retulit, nec quicquam euomuisse. Refert etiam sui tractus pecora absinthium non pascere; Pontica autem pascere, ut pinguiora atque pulchriora reddantur, &, ut quidam uolunt, sine felle: quod ad consuetudinem refert. Quid? quòd & in inanimatis etiam rebus consuetudinem plurimum posse idem Theophrastus testatur secundo de causis: ubi ex Androsthenis auctoritate in Tylo insula aquas salsas fluentes, plus quàm cælestes iuuare tam arbores, quàm omne genus plantarum tradit. quod totum consuetudini tribuit; quæ uelut natura facta in illis est. nam & Thracium triticum, quod regionis natura, nempe frigidioris, serò ibi prouenit. cæteris quoq; agris Thraciũ istud satum mature, serò erumpit, ac augescit, & quod mature apud alios seritur, serò apud alios exit, ut tradit Theophrastus quarto de causis. in his enim consuetudo ueluti natura effecta est. Quam ob rem recte ab Hippocrate in Aphorismis,

hominem ad insueta permutari debere, docemur: quia assuefacta natura uarios rerum euentus inopinabiles facilius feret. Frustra enim hoc dixisset, nisi mutaretur hominis tẽperies quoquo modo ab assuetudine. Nam & Theophrastus eodem quarto de causis, insuetudinem plurimum facere ad minus probam alimentorum quorundam concoctionem asserit. Peregrina enim quanuis facilia sint, tamen immodice sumpta perturbant, atque fastidium inferunt. Hinc Galenum uidemus in omnibus ferè medicinæ præsidijs indicationem à consuetudine sumptam maximi facere. hanc enim ad præsidiorum inuentioné plurimum pollere IX. Methodi tradit. Illa enim recte considerata, nõ solum qualitatem medicamenti inueniemus, sed eiusdem gradum ac quantitatem. unde subsequi, quos promittunt, effectus necesse est. Quòd si medicamentum aliquod ob consuetudinis rationem, facultatem in uno quopiam homine nõ manifestet: non ob hoc nos in eius cognitione hęrentes reddet; sicuti illis eueniebat, qui cum uiderent hominem tot hellebori potiones ingurgitantem, non propterea illud non fuisse helleborum dicebant: sed causas perscrutari conabantur, ob quas admirandus hic effectus fieri posset. Considerare etiam & hic possemus eam, quæ ex ambiente nos aëre fit in corporibus, alterationem; ut est regio, cæli status, & anni tempus. Ex his enim sumpta indicatione Galenus sæpius qualitatem, & quantitatem medicaminum uariat. quia scilicet corpus in æstate, uere, hyeme, autumno; item in cæli statu, & regione calida, uel frigida, uel humida, uel sicca, aliter, atque aliter afficiatur. Sed hoc ad corporis præparationem aptius accõmodabitur. Cum igitur ætas, & consuetudo corporis habitum tam uarie immutare possint: nõ mirum est, si apud Galenum magna cum distinctione scripta inueniamus remedia messorum, fossorum, rusticorum, uenatorum, nautarum: medicamenta item fortibus corporibus, aut imbecillibus conuenientia, nec minus teneris, aut his, qui molli carne constant, sicuti & duris, præterea & senum, & puerorum, gracilium, & obæsorum; &, ut summatim dicam, ad omnes temperierum uarietates accõmodata: ac nusquam non suadeat eiusdem specici medicamen fortius, debilius, ac mediũ paratum habendum esse: quo pro ætatis, ac habitu, temperaturæq; ratione nunc hoc, nunc illo utatur; ac quam maxime damnet eos, qui confuse fortia remedia imbecillibus in doctrina, sine ulla distinctione permiscent. Quod feciſſe Archigenes cũ in multis, tum in his, quæ ad aphthas scripsit, deprehenditur: ut VI. κατὰ τόπους, cap. IIII. Galenus adnotat, leuissima enim medicamenta, & acerrima, erodentiaq; cõmiscuit. præstabat enim dixisse hoc medicamen conuenire infantibus, ac pueris: hoc autem uigentibus, ac

fortibus,

fortibus. considerare etenim oportet corporũ naturas an molles sint, & humidæ; ueluti in pueris, eunuchis,& mulierculis: an duræ, & aridæ; uelut in piscatoribus, ac nautis, & uenatoribus, atque agricolis. fortioribus enim corporibus fortia adhibebis pharmaca: debilioribus molliora. sunt & multa alia, quæ ibidem Galenus docet. Horum uero nonnulla uidemus quandoq; à Dioscoride explicata, quæ ad unguem(ut dicunt)obseruare necesse est,si rectum de eorum facultatibus periculum facere intendamus. Piceæ enim, & pinus corticem ulcera delicatulorum acrimoniam recusantium cerato myrtino exceptum ad cicatricem perducere tradit. Ergo si medicaminum facultates certo quodam periculo experiri uoluerimus, eis ita utemur; & ad illas naturas, ætatesq;, atque habitus accõmodabimus, ad quas Dioscorides accõmodari præcipit. Verum in his cum magna ex parte indefinite loquatur Dioscorides, locus requirere uidetur, ut quonam pacto ea nos ad definitas regulas ducamus, manifestemus: sed hoc esset medendi artem tractare, non autem simplicium certam inuestigationem docere. quare hæc à medicinæ scriptoribus accipiat lector. scribimus enim librum hunc nos non homini omnino artis medicæ ignaro, sed ei qui in ea si non exacte, at certe mediocriter sit uersatus. Neque uero ignoramus sæpius nos in medicæ artis præcepta delapsos fuisse. quod quidem effugere non potuimus,à rerum ipsarum natura,atque connexione eorum, quæ dicere intendimus, coacti. sed statim relinquenda sunt,atq; ad propositum reuertendum. Quanquam attentius intuenti uidebitur ex multis, quæ ex Galeno superius diximus,multa elici posse ad hoc institutum facientia: sed, ut uiam muniam his, qui per se se fortasse id cõsequi nescirent, pauca hæc adiungam. Cum Dioscorides simplicibus aliquam facultatem indefinite proponit; ac dubium tibi relinquatur, possit ne omnibus naturis hæc conuenire, an priuatim uni tantum; quæue illa sit scire cupias: inter alia illud maxime tibi ostendet, si temperamento simplicis medicaminis, atque gradu optime cognito,illud cum affectu curando contuleris, atque cum hominis habitu, quem curandũ suscepisti. facilis enim est dignotio ualidi corporis,ex habitu duro,uel molli, atque alijs signis superius enumeratis. Nam cum iam ex Galeno scieris fortibus, ac ualidis, fortia esse adhibenda pharmaca; sciaq; etiam an fortissimum sit pharmacũ, an mite ex ipsius gradus summi, uel infimi uarietate; nec minus te non lateat morbi lapsus: facile erit cognoscere quam ætatem, aut naturam hoc, uel illud medicamentum in hoc,uel illo morbi genere sibi constituat. quod pulcherrime executus est Galenus, dum indefinita ueterum medicamenta examinat. Damnauit enim Archigenem, quòd omnia ad

aphthas remedia cõfusim scripserit; ipseq; deinde quænam fortia sint, quæ ue mitia declarat ex simplicium temperamentis, ac gradibus: unde & quædam deinde pueris, quædam perfectis prodesse tradit; quædã durissimis corporibus, quędam tenerrimis; aliasq; à morbi etiam magnitudine & lapsu assignat uarietates. Hæc igitur est uniuersalis quædam regula: quam si cum Galeni dictis comprobari tibi optaueris, efficiam non inuitus. ita enim rem omnem clariorem fecerimus; atq; à thuris exemplo superius adducto nõ recedemus. Scribit Dioscorides thus ulcera caua implere, & ad cicatricem perducere: uerum ex thuris temperamento facile scies, quam temperaturam sibi thus statuat in ulcere carne implendo. Nam cum sciamus thus minimam siccandi uim habere: manifestum statim erit, non posse senum, aut durissimi habitus ulcera carne implere. quin non nisi in mollioribus carnibus, atque pueris, fœminisq; sarcoticam naturã possidebit. Debẽt enim sarcotica medicamenta esse ad primũ gradum tum sicca, tum detergẽtia, & absq; morsu nihil adstrictionis participantia, ut 111. methodi cap. 111. Galenus docet: tale autem est thus; sed hoc satis remisse efficit. quam ob rem recte nõ nisi mollibus corporibus destinatur, ne temperatis quidẽ naturis ulceri cauo carnẽ progignere ualens. Si quis uero rationabilẽ hanc uiã aspernabitur; pigebitq; eũ in omnibus hæc obseruare: huic satis esse poterit, quõd à Galeno sic sit dictum. Qui enim ex Galeno cognouerit, thus non nisi teneris temperaturis destinari, Irim, aristolochiamq; siccioribus, ac durioribus in gignenda ulceribus carne: poterit facile Dioscoridis mentẽ percipere, cum nominatas radices, nunc per se, nunc simul iunctas inter sarcotica medicamenta recensет; nihil curans methodum scire, & rationem, ob quam huiusmodi corporibus adaptentur. At qui ratione optima hæc uestigare uelit, præter à nobis commemoratam uiam, multas alias apud Galenum inueniet, quas nos consulto prætermisimus.

Quantum referat in simplicibus facultatum ope cognoscendis, uniuscuiusque corporis ἰδιοσυγκρασίαν nouisse. Cap. XIII.

ADMIRANTVR omnes ferè naturę excellentiam, quòd non solum tam uarias animalium formas, figuraſq;, ac magnitudines produxerit, sed etiam quòd unicuique speciei proprium quoddam, ac præcipuum temperamentũ, ingeniumq;, ac certos quosdam mores statuerit: atq; ut uno uerbo dicam, peculiarem quandam formam, qua à cæteris omnibus animantium speciebus differret. Nutriuntur enim quædam animalia ijs rebus, quę alijs præsentaneum est uenenũ; sicuti quædam

salutifera

ſalutifera ſunt nonnullis remedia, quæ alia ſtatim necabunt. Vorant cerui innoxie uiperas, & in nutrimentum conuertunt, ut Theophraſtus tradit IIII. de cauſis. Veratrũ,& cicuta hominibus uenena ſunt; ſed hac ſturni, illo coturnices nutriuntur; quin & pecudes, ut Lucretius ait his uerſibus libro quinto,

„ Quippe uidere licet pingueſcere ſępe cicuta
„ Barbigeras pecudes, hominiq́; eſt acre uenenũ. Et libro quarto.
„ Præterea nobis ueratrum eſt acre uenenum:
„ At capris adipes, & coturnicibus auget.

Contra uero amygdalæ amaræ uulpes interficiunt, ſi comedantur, ut tradit Dioſcorides. item Chamæleo albus occidit canes, & ſues, & mures, Aconitum pardalianches pardos, & omnes quadrupedes; homini uero uel nutrimenta ſunt, uel alexipharmaca. Paleæ iumenta nutriunt: at canes, & multa alia animalia nequaquam. ſic & ſuus cuique animantium generi cibus à totius ſubſtantiæ proprietate eſt familiaris: ut recte notauit Galenus tertio de temperamentis. Sed hi, tametſi recte quidem ex tam uaria in ſpeciebus animalium forma naturam admirantur; tamen longe magis eam magnificabũt, quòd non ſolum ſpecies ipſas animalium, ſed eiuſdem ſpeciei propemodum infinitum animantium numerum, quadam ueluti maiore, accuratioreq́; diligentia ita uariauit, ut ſiue ad mores, ſiue ad formam aſpicias, nullum omnino accipere ſit animal, quod alteri ex toto ſimile ſit. Atq;, ut omittamus brutorum animalium uarias eiuſdem ſpeciei inuicem diſſimilitudines, in homine hoc præcipue eluceſcit: cuius temperamentum ita in ſingulos certum, ac præcipuum cadit; ut medicam ipſam artem frequenter ſuum finem nanciſci non permittat. Cum enim difficillimæ ſit cognitionis cuiuſque hominis temperaturæ dignotio; nec recte mederi ualeamus, ſi illas ignorauerimus: non immerito ancipites fient curationes. ſed & ſimplicium etiam dignotionẽ (quæ ex facultatibus haberi queat) mirum in modũ impedire poteſt. ſępius enim uidemus medicamentum aliquod uni alicui nocere: quod omnibus alijs, nemine excepto, prodeſſe ſemper uiderimus. Hanc ſingularẽ cuiuſq́; hominis uim ac proprietatem Galenus III. Methodi, cap. VII. ἰδιοσυγκρασίαν appellat. quam nec dignoſcere, nec meminiſſe empiricos poſſe, eodẽ libro, cap. II. aſſerit. Hæc homini ab ortu connaſcitur, nihil (quantum ad eius formam pertinet) aduentitij in ſe habens: neq; enim ætas, aut cõſuetudo eam primo, & per ſe efficiunt: tametſi eam imminuere, uel accreſcere pro creſcentis ætatis, ac conſuetudinis proportione poſsint. Hæc igitur ſimplicium facultates ad uſum ducenti maxime animadúertenda eſt, ne medicamenti uitio tribuamus, quod corporis

temperamenti ratione euenit. scimus enim nonnullos reperiri(quod & Galenus libro de Theriaca ad Pisonẽ adnotauit)qui tam facile medicinas sumunt,ut uel sæpe eas conficiant, uel saltem nulla in re ab eis male afficiantur: interdum etiam in nutrimentum cõmutent. Aliqui uero ad accipienda pharmaca inepti sunt eousque, ut statim ab initio ea auersentur; & inde eorum stomachus subuertatur. ac tandem antequã illa opus suum moliri aggrediantur,ipsi facile dissoluantur. Hoc uero non ætatis ratione, nec consuetudinis accidet: nam & eandem ætatem degentes plures homines ex his alij auersabuntur,alij libentissime medicinas accipient. Et in insuetis eadem uarietas uisitur. Quapropter remanet, ut peculiari cuidam hominum naturę id ascribatur. Nam & ex uaria hominum, atque longa consuetudine nouimus multos, qui priuatim aliquod edulij genus naturaliter respuunt, quod alijs ferè omnibus gratissimum est. sunt enim quamplurimi, qui uinum nullo pacto bibere possunt: ita & caseum tam crudum, quàm coctum multi auersantur: sicuti & multi eo quidem cocto libenter uescuntur,crudo uero nequaquam. Cõciliator(ut refert Ioannes Matthæus Gradensis) lac ita abhorrebat, ut ne illud comedentes quidem sine nausea ferre posset. Noui ipse uetulam, quæ melopepones(uulgo meloni si modo hi sint)tanquã rem iniuauissimam auersabatur. Pater meus alienissimus semper fuit ab esu leporis,& cuiuscunq; generis uolatilium. Nec multis ab hinc annis uir quidã nobilissimus è uita discessit, qui nullũ obsonij genus esitare poterat, quod salem(etiam si permodicum esset) haberet permixtum. Atque, ut uno uerbo dicam, nemo ferè est, qui quadam sola,peculiariq; natura aliquod cibi genus non respuat. Idem in medicamentis cernitur. Quibusdam enim corporibus mitissima quædam medicamenta tantã inferunt molestiam, ut uehementissimis non uideantur absimiles. quod in illustrissima mulicre, atque nostræ ætatis uero lumine, ac ornamento, non raro obseruarunt medici,dum illam manna exhibita purgare uellent. ex hoc enim assumpto medicamento tormina, nauseas, rugitus, lassitudines, inuoluntarios sudores, atque alia quædam grauia symptomata subsequi semper uiderunt: et tamen ab alijs manna potentioribus medicamentis nulla molestia sæpius purgata est. Atque ex eadem manna eius nepos(quanquam bilioso temperamento)uir non solum in bellicis studijs, sed in omni studiorum genere ægregie uersatus, nunquam fœliciter purgari potuit, ut uideatur hæc esse quædam familiæ præcipua proprietas. Franciscus in hospitali templo beatissimæ Virginis Annuntiationi Neapoli dicato pharmacopœus,& materiæ medicamentorum studiosissimus, sæpius mihi affirmauit,se drachma integra scammonij non semel assumpta

pta nihil purgaſſe unquam: & tamen multos reperiri conſtat, qui uix ſemel odorato pharmaco non ſecus purgantur, ac ſi bibiſſent: quin & alios, quibus, medicaméti purgantis facta ſolum mentione, uenter perturbatur. quendã etiam noui, cui ex aſtringentibus ſimplicibus aluus mollior reddebatur; contra uero ex lenientibus ſupprimebatur. Cæterum ſi quis per amicos ueteri memoria percurrat, ſcio neminé ferè futurum, qui non aliquid tale in aliquibus animaduerterit. quod non ſolum nouum, ſed admirabile uideatur. Non igitur abſque ratione admonuit Galenus VI. κατὰ τόπους in ſtomaticis, ut in pharmacis, quæ deglutiuntur, maxime perpendamus naturam eorum, qui ea ſument; quod enim cum moleſtia, aut iniucunde acceptum eſt, ſtomachum ſubuertit. Hoc uero cum à nonnullis nõ conſideraretur, cum aliquod ſimplex medicamentum non antea eis comprobatum ad uſum ducerent, ac forte fortuna accidiſſet, ob peculiarem aſſumentis naturã, nullum effectum proferre: ſuſpicati ſunt illud genuinum, uerumq; non eſſe; atque in alias etiam, quas ſæpius in ſuperioribus commemorauimus, difficultates incidére.

Quòd uaria corporis præparatio uarias in medicamentis facultates reddere poſſit, quam ob rem ſimplicium dignotio impediatur. Cap. XIIII.

ARISTOTELIS præceptum eſt, Id quod accipitur, accipi pro natura eius, qui accipit: perinde enim ut corpus affectum eſt; ita & id quod in corpus aſſumitur, nunc ſuam, nunc alienam qualitatem oſtendere uidetur: atque id præcipuum eſt, cur ſingulum medicamentum quandoque per ſe operetur, quandoque ex accidenti. Mel febrientibus amarum uidetur, ſimiliter & uinum, & quodcunque ferè eorum guſtui offeratur; ſanis uero corporibus dulcedinem, ac ſuauitatem oſtendit. ſi quis etiam dulcibus edulijs guſtum afficiat, quod ſtatim ſuperbibatur uinum amarum eſſe percipietur. cuius rationem aſsignat Ariſtoteles in problematibus, Coagulum omne (ut Dioſcorides tradit) diſsipata cogit, & coacta diſſoluit. Cedria defuncta corpora conſeruat, & uiuentia corrumpit: qua ex cauſa mortuorum uitam aliqui appellauere. Acida cum ſuccum craſſum in uentre inuenerint; deiectiones alui humectant, & faciliores reddunt: quòd ſi uentrem purum inuenerint, illum magis ſiſtunt. Nuces (ut traditũ eſt à Simeone Sethi) in uentriculis frigidis facile concoquuntur, in calidis uero in bilioſum humorem uertuntur. Sunt & multa alia, quæ pro corporis uaria diſpoſitione, contrarias facultates obtinent: quæ dubios reddunt ſimpliciũ ueſtigatores: de quibus nos methodo age-

mus, pauca quędam ex multis attingentes. Diximus corporis præparationem antequam medicamentum prębeatur, quam ad corpus ut totum consideratum deduximus, uel esse naturalem, uel artificialem. Naturalis quidem potissimum fit ab ambiente nos aëre: qui uarias habere solet qualitates, prout uarijs est regionibus, siue cæli statu, & anni temporibus. Hæc enim omnia cum uaria esse soleant in caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, uarias etiam in corporibus imprimunt affectiones, tam in internis eorum partibus, quàm externis. ex illis enim corpus, eiusq; partes uel probe disponuntur, uel minus probe, ita ut possint quidem contrarias alterationes nunc prompte recipere, nunc expellere. uentres enim hyeme & uere natura calidissimi cum sint; quam solent opem medicamentis afferre, longe aliter, ac alijs temporibus afferent. Vnde prudentis medici consilium requiritur, ut cuncta possit decenti modo, pro corporum qualitate accommodare, quemadmodum Galenus, qui diachalciteos medicamentum ad neruorum uulnera æstate rosaceo, hyeme sabino oleo liquat, VI. methodi: Hippocrates etiam eos, qui incorrupta sunt sanitate, purgationes ægre ferre docet. Thus in secunda ualetudine hausтum insaniam mouet, si credimus Dioscoridi. Iuuant autem hæc maxime si corporibus infirmam, adscititiamq; dispositionem obtinentibus debite prębeantur. Verum circa hæc pluribus exemplis immorari nolumus, cũ cuiuis etiam leuiter in medicina uersato notissima sint. sed de corporis præparatione, quæ arte fieri solet, longe plura dicemus; ut quæ non ita frequens recentioribus medicis sit: proindeque non multum (ut decet) considerata. Hanc uero triplicẽ esse statuimus. nam uel chirurgi operatione, hoc est medici manu perficitur, uel medicamentorum auxilio, uel utrisque simul. sed & tam hæc, quàm naturalis duplicem finem intuentur; quandoquidem uel fiunt, ut morbificam causam aptiorem constituant ad expulsionem; uel ut ducant medicamentum ad debitum locum. Ac quę medici quidem manu fiunt, sunt pilorum, siue capillorum abrasio, uel præcisio à loco, ubi linimentum, uel unguentum, uel emplastrum, uel aliquid tale admouere intendimus; similiter cum locum perfricamus, Ex his etiam alijsq; id genus fit, ut medicamenta ad profundiores corporis partes perueniant; ad quas aliter non peruenirent. Ac propterea ad inueteratas capitis affectiones Galenus 11. κατὰ τόπους necessario radi pilos docet, antequam pharmaca emplastrorum, ac ceratorum formam habentia adhibeat. nam liquida si admoueamus, sufficerit pilos ad ipsam usque cutem resectos habere. Hinc etiam Archigenes cum ad achoras medicamenta apponit, capillos aut ter, aut sæpius deradi præcipit: Ad alopecias uero altius

progressas

progreſſas,antequam medicamenta admoueat, cum aceto, nitri gleba, aut ſepiæ teſta, aut fici folijs uſque ad dilaniationem defricat, ſanguinemq; detergit. Crito ad alopecias pharmaca adhibet loco per mundum linteolum perfricato. item aliàs præraſis capillis. Heras ad alopecias pueros occupantes non ſolum loco prius confricato imponit medicamentum, ſed ubi abſtulerit, locum ſpongia calida imbuta exterit. huiuſmodi eſt etiam cum corpus motione præparamus per helleborum uomituris. Hæc nec omiſit Dioſcorides. candidam nanque uitiliginem haſtulæ regiæ radice illita, ſanat; ſed locum antea in ſole perfricat. Cyclamini radicem morbum regium diſcutere tradit; ſed oportere eum, qui ebibit multis ueſtibus contectum loco calido, & à perfrictionibus tuto recumbere, quo facilius exudet; iectos autem ſudores colore felleos inueniri: Ocimi ſemen naribus hauſtum, ſternutamenta mouere: quod idem herba efficit. ſed neceſſum eſſe oculos premi, cum ſternutamentum urget. Amaracum humentibus hernijs conuenire,poſtquam medica manus operam ſuam impenderit. Coris, radicem uino decoctam,potamq; defectis opem ferre; ſed laborantem inter potandum quamoptime cooperiendum eſſe; ſi quidem corpus totum deſudabit: ex qua re priſtinam agilitatem recuperabit. Hæ, & conſimiles corporis præparationes ſola medici manu, aut alterius, cui hoc medicus demandauerit, fiunt. Sed ſunt quæ ſola medicaminum ope perficiuntur, de quibus loqui iam ratio poſtulat: in primiſq; ſeſe offert famoſa illa atq; ab omnibus medicis obſeruata præparatio, quæ ante purgantis medicamenti propinationem fieri conſueuit: Cum ſcilicet craſſi educendi humores attenuantur, lenti inciduntur, nimium tenues ex aliqua parte incraſſantur, calidi refrigerantur, amari & ſalſi ad gratiorem ſaporem deducuntur: item cum uiæ, per quas pertranſire debent humores, expurgantur, dilatanturq; : ac tandem omnia illa fiunt, quæ à Galeno, alijſq; diligentiſsimis expoſitoribus ponderata ſunt ſuper illo Hippocratis aphoriſmo, qui habet: Corpora, ubi quiſpiam purgare uoluerit,oportet fluida facere. ſi quis enim cruda adhuc exiſtente,quæ morbum facit, materia, agaricum,aut ſcammoniũ propinet,neque probum euentum aſpiciat,ſi id horum medicamentorum uitio eueniſſe dicat, non ſolum deridendus eſt, ſed ut peſsimus iudex acriter mulctandus: ut qui ea medicamẽta turpi macula, ignominiaq;, & quaſi ſcelere notarit; quæ per ſe utiliſsima,atque(ſi ita liceat dicere) illuſtria, atque ornatiſsima ſemper extiterunt. Accedit] & alia corporis præparatio: quæ & uſus frequentia, & dignitate, & inter medendi præcepta commoditate,ab antedicta non multum relinquitur: nempe corporis uniuerſi expurgatio ante topicorum præſidiorum applicationem;

tionem; neque solum uniuersi corporis, sed partis duntaxat alicuius; ut Galenus, dum caput ungit in alopecijs, apoplegmatismos præbet ægrotanti. similiter ad capitis dolorẽ ante inunctiones uomitum per raphanum frequenter citat; & alia id genus quamplurima, quæ magis uulgata sunt, quàm ut pluribus enarrari debeant; sed in his, quæ nõ ita in uulgus exierũt, exempla proponere utilius fuerit. Androsæmon ischiadicis maxime mederi scribit Dioscorides, sed à purgatione aquã esse exorbendam. hic enim post factam purgationem corpus præparat. Euphorbium squamas ossium eadem die eximit. uerum eo utentes necesse est linamentis, aut ceratis cõmunire corpus, quo ossa contestiuntur. Antiquiores medici (ut traditum est à Simeone Sethi) prænonebant ut Tarchon herbam sumerent ij, qui catharticum haurire debebant. facit enim torporem in sensu gustus; uitatq; ne malum potionis fastidium sentiatur. hanc herbam aliqui putant esse pyrethrum; sed nullum habent huius rei certum indicium. Ad huius generis præparationem referre licet regulam illam medicis omnibus notam, à leuioribus medicamentis auspicandas esse curationes; indeq; ad fortiora progrediendum. mitius enim remedium, quàm par sit, etiamsi non possit æquare sua contrarietate morbum: corpus tamen aptius, promptiusq; ad fortiora exinde suscipienda reddit. Neque uero hoc alij elogio contrariũ erit, quod docet, Extremis morbis extrema esse adhibenda remedia. quandoquidem exequi illud deberemus (ut Galenus docet VI. methodi) in his tantum morbis, in quibus propter eorum uehementiam moriendum ægro prorsus sit, nisi ad ultima statim remedia ueniamus. uerum in morbis, quibus periculum non impendit, uera est opinio, quæ à paruis auxilijs incipiendum esse persuadet. esset enim proculdubio illud uerius in omnibus morbis, & citius omnes curationes expedirentur; ut scilicet ad extremas ægritudines extrema præberentur remedia. sicuti & id quod ex hoc inferri potest; nempe ut mitioribus mitiora, mediocribus mediocria destinentur, nisi quicquam reclamauerit: sed repugnare potest subiecti corporis imbecillitas, uel insuetudo. Cum enim morbus sit discessus ab huius membri, atque huius hominis temperamento; medicamentum etiam, quod pari gradu morbo opponi debet, ab eodem temperamẽto corporis æqua portione abscedet. Ergo pars subiecta non solum à morbo noxam sentiet, sed aliquod etiam à remedio incommodum; ut quod inter ea, quæ uiolenter agunt, ideo recenseatur, quod ex æquo morbo opponatur. Plurimum enim atque repente corpus quomodolibet alterare, siue hoc in sanis fiat, siue in ægris; siue cum in habitum contra naturam confertim aguntur, siue cum ad naturalem statum reditus fit,

periculo

periculo non uacat; ſed quod paulatim fit, tutum eſt, ut recte monuit Galenus, atq; eius præceptor Hippocrates. ſcimus enim(quod & Galenus tradit x 11.methodi)eos qui uehementi frigore iter fecerũt, cum ſeſe non ſenſim, ſed repente calefacere properarent, dolore circa unguium radices adeo uehementi affectos, ut ferre non poſſent. Vt igitur partis ſubiectæ decens ratio habeatur, pręſtauerit à mitioribus auxilijs inchoare: ita enim aſſueſcens remedijs pars fortiora paulatim facilius perferet. quod & Galenus libro de oculis fieri præcepit. At uero à mitioribus curationes auſpicari, quid aliud eſt, niſi per mitiora corpus ſubiectũ ita præparare, ut fortioribus tolerãdis idoneũ reddatur? neq; ignoro ob aliam etiam cauſam, atque alium finem hoc à medicis obſeruari. Cum enim morbi lapſus perfecte, atque exquiſite nunquam cognoſci poſsit, ſed coniectura aſſequimur remedium aſſumptum ex æquo opponi morbo; quia fallax eſſe ſolet coniectura, ne plus, quàm par eſt, præbeamus, aliquid detrahimus: ita ut medicamen apponamus mitius, quàm dari debere coniectura aſſecuti ſumus: ut cum experimento comprobauerimus poſſe aliquod fortius naturam ferre, ad illud tranſeamus, ut Galenus XIIII. Methodi, medicamentis, quæ alopeciam ſanarent exiguum thapſiæ admiſcebat. deinde conſiderans quomodo ægrotantis natura quotidie afficeretur, ubi uel tumefactam pluſculum, uel quodammodo excoriatam partem uidebat, illo quidẽ die à medicamento abſtinebat, & leuiora apponebat: idemq; obſeruari debere in omnibus fortiſsimis pharmacis in primo κατὰ τόπους docet. peccatum enim (ut inquit) infra modum nullum detrimentum affert: ſupra uero, aliquando exaſperat, & exulcerat cutem, inflammationemq; ſuſcitat. loquitur autem Galenus de thapſia, & euphorbio. Sed quanuis hoc ita ſit; tamen ob pręparationem etiam illud fieri, nemo eſt, qui negauerit. euenit enim nonnunquam, ut ſciat medicus (quia ſæpius illud ſit expertus) quem effectum aliquod medicamentũ inducere poſsit: uel ſi qua eius uariatio accidat momentanea non ſit; & tamen à leuiore incipit. ſcit nanque fortius illum perferre poſſe, ſed non niſi leuiorum interuentu facile ferat. Quam ob rem medicus, non quòd remedio non confidat, ſed ut tutius curet, nonnunquam hoc exequitur. hoc in multis clare patet, ſed clariſsime in ea, quæ helleborum accepturis fit, præparatione. oportet enim eos qui illum bibere debent, ad uomendum faciles, promptoſq; reddi. hoc uero nõ ſolum motione fit, ut ſuperius diximus, ſed etiam aſsiduo uomitu per mitiora remedia excitato. Archigenes apud Oribaſium uomitum à cœna per quædam dierum interualla excitat, luna deſinente: deinde raphanis etiam multos uomitus prouocat; ut poſt uigeſimũ primum diem

helleborus

helleborus detur. uomitus autem primos ut faciliores reddat, multa edulia esitanda iubet: immo quæ iustam, & consuetam mensuram excedant: ac quid primo, quid postremo loco edendum sit, docet; ac multa alia. Qui enim ex raphanis excitus est uomitus, de helleboro prius quid faciendum sit, edocet. nam & morsus excitat; & quandoque superfluitationes facit, quæ animi defectiones inuehant; quandoque autem gutturis angustias parit. Sic Antyllus apud Oribasium, cum sinapismum admoueret, prius dropacem adhibebat; ut corpus ad sinapi præpararet. Nam cum post sinapismum admouet, alia ratio est, nempe ut reliquiæ morbi euellantur. Sed & dropacis uicem explere uidetur illitio per nitrum adhibita: quam fieri præcipit loco, cui sinapismus admouendus est. Quin & si longo spatio admotum sinapi non agat, spongijs aqua calida imbutis, & panno, in quo cataplasma est, appositis fouendum esse; atque ita locum sinapismo præparat. Huc etiam spectare uidentur ea, quæ Galenus 11. κατὰ τόπους de fortibus pharmacis prescribit. ubi suadet non statim à principio efficacissima esse adhibenda remedia; sed à debilioribus auspicandum. ipse enim fortia pharmaca lacte admixto admouebat: quod ubi leuiter ferebant ægri (ut ipse ait) etiam citra lactis adiectionem adhibebat. quod & uidetur etiam innuere 111. libro κατὰ τόπους, ubi Heræ auriculares compositiones perpendit. Ad præparationẽ etiam quis non inepte referat omnes ferè res à medicis non naturales appellatas; ut motum, quietem, inanitionem, repletionem, accidentia animi, cibum, potumq;, & alia. Hæc enim cum curationem quodammodo præcedant, (præseruant enim hominem, ne amplius morbus increscat) in præparationum numero non immerito recensebuntur. quanuis ex his quædam ad naturales præparationes duci debeant. Cum nanque medicamentũ aliquod uel intro præberi, uel exterius admoueri oportuerit, quid iam fuerit uictus tenuioris institutio, nisi corporis per inanitionem præparatio quædam, qua medicamẽtum opus suum exactius, nulloq; interposito impedimento perficiat? Quid etiam ciborum optimi succi exhibitio, nisi præcautio, qua corpus muniamus, naturamq; roboremus, ut assumpta medicamenta (cum his opus fuerit) id quod promittunt, tuto atque ægregie præstent? Non mirum igitur si nonnunquam apud Galenum, atque Dioscoridem legamus quædam medicamina præberi ieiunis, quædam à cibo, quia suas uires non nisi ita alterato corpore ostẽdẽt. Asini iecur inassatũ esu comitialibus prodesse Dioscorides tradit. ueruntamen ieiunis edendum prȩcipitur. Ieiunis etiam dat spartij succum, ut ischiadicis & angina laborantibus auxilietur. Album ueratrum aliàs per se ieiunis dat Dioscorides; aliàs statim

post

post paucum præsumptum cibum: ieiuni enim si sumpserint, nisi ualentissimas uires habuerint, in strangulationis periculum se ipsos committunt; quod cibatis non euenit. A cœna modicum absinthium dat Galenus, dum capitis dolorem ex stomacho obortum curat. Apollonius in curatione doloris capitis uitandos esse tradit clamores, contẽtiones, omnesq; mentis perturbationes, & percussiones: alliciendum uero somnum, & quietem, & corporis tranquillitatem, ac lætitiam. nam & hæc uariæ corpus disponunt ad accipienda remedia. Vnde in his omnibus mediocritas quædam requiritur: quia excessu multa incõmoda ferẽt; ut copiose Galenus prosequitur x i i. methodi. Huiusmodi erit, cum oculi pictura aliqua, uel sculptura tenentur: uel aures cantibus, uel fabellis: sic cum ab assumpto pharmaco ne segregentur spiritus, fenestras claudi præcipimus, & alia id genus quamplurima: quorum exactam præceptionem, cum apud illos, qui curandi methodos scribunt, nusquam non diffuse habeatur, silendam duximus; quin potius ad alia transibimus. Erat tertia corporis præparatio, quæ utrisq; fit, cum scilicet & manus quædã operatio, & medicaminum admotio simul administrantur. Huiusmodi est, cum nitro antea perfrictas uitiligines crudis betæ folijs illinit Dioscorides. est enim nõ solũ nitri admotio, sed per idem frictio. nam cum iisdem folijs alopecia-rum inanitates scalpello prius exasperatas illinit, ad opus chirurgicum solum pertinet. huiusmodi etiam est, cum capillos denigrat ilicis cortice; sed eos cimolia prius purgat. Staphidis agriæ grana quindecim si trita in aqua mulsa dentur, crassum humorem per uomitum purgant; sed qui hauserunt ambulare debent. prudenter tamen attendere oportet, & aquam mulsam continuo potui dare. quoniam pericula strangulationis inferunt & fauces adurunt. sed horum exempla, quamplurima in multis Galeni scriptis, præsertimq; in libris κατὰ τόπους legere est. Qua de causa immorandũ in his amplius nobis non est; sed rem omnem concludentes dicamus, in simplicium exquisita cognitione non leuissimam partem tribuendam esse corporis præparationi: cum ex his satis clare pateat, quædam medicamenta non nisi quodammodo affecto corpore opus suum ostendere. Nam dum raphanum, ut cibi distributionem adiuues, dare intendas, præclare tibi cadet curatio, si summo cibo exhibeas; ita enim Dioscorides præbet. sed nisi hoc obserues, sed quomodocunque præparato corpore hunc effectum habere te posse speraueris, accidatq; ante cibum hanc radicem propinare; contrarium effectum cernens: (nam sic datus, cibum suspendit, ac uomitum lacessit) fortasse hanc raphani radicem non esse suspicaberis. Brassicam præterea ad crapulam discutiendam, ac uini noxam restinguendam,

guendam, nisi statim à cibo præbeas, idem fortasse incommodum eueniet. Vnde recte Rufus (ut Oribasius refert) cum de purgantibus medicamentis loquitur, atque ea recensет, quæ per inferiora, uel superiora purgant; satis sibi facturum dicit, si quod in omnibus plerunq; fit, proponat. Nam fieri potest, ut quod per inferna ducere statuatur, nonnunquam uomitus cieat. quod non ratione naturæ medicamenti, sed alijs multis de causis accidit; atque inter alias ex uaria corporis dispositione. ut quibus ianitor uentris non facile fluens est; stomachi quoque imbecillitas, & magna pituitosi succi copia; qui etiam à bile secretus ad uentriculum peruenit. Ea propter summa cum attentione attendere oportet, in qua dispositione corpus existat, cum medicamẽ aliquod præbes, ad eius facultatem eliciendam: Atque siquid adsit, quod ex Dioscoridis lectione colligas, immutare non debes: sin minus, ad alios auctores confugies, præsertim Galenum, qui quamplurima à Dioscoride indefinite relicta declarat. Quòd si neque ex his aliquid excerpere ualeas, facultas tamen, quam quærebas, non sese ostenderit: noli medicamentum ut adulterinum reiicere, (si cætera, præsertim eius signa habueris) nisi prius in uarijs corporis præparationibus periculum feceris. fieri nanque poterit, ut quod uno modo affecto corpore non præstiterit, præstare tamen possit, si aliter illud dispositum sit. Atque in corpore quidem, ut toto accepto, quæ considerare oporteat, huiusmodi ferè sunt.

Quòd medicamenta non omnibus corporis particulis suas facultates ostendere possint: unde multi in eorum cognitione decipiuntur. Cap. XV.

In parte uero corporis suæ etiã sunt animaduersiones. Indicatio enim, quæ à particulæ affectæ natura sumitur, non leuem habet in medicina rationem. cum nanq; singula corporis membra ad uarias actiones obeundas natura efformauerit: uaria singulis tẽperaméta destinauerit necesse est; quę uaria etiam necessario sibi requirẽt medicamina. Quædam enim nostri corporis instrumenta calidiora sunt, quędá frigidiora, quædam humidiora, quædam sicciora: sicuti nonnulla binas ex his qualitatibus coniunctim in quodam recessu habent. quædam præterea principes, ac nobilissimæ sunt partes, quæ omnibus, uel certe pluribus corporis partibus communem uirtutem subministrant; quædam ignobiles, ac commodos quidem, sed non multi momenti usus habentes. nonnullæ præterea acrem, acutamq́; habent sentiendi uim: nonnullæ hebetem, ac languidam. sunt & quędam duræ partes, quædam molles: sicuti & aliæ raræ, laxæq́;: aliæ densæ: nec minus

aliæ

aliæ profundiores,aliæ exteriores. ſunt & aliæ quamplurimæ differentiæ, de quibus Galenus in libris methodi,pluribus in locis agit, præſertim libro VII. cap. XIII. Quæ partium in temperamento uarietas cum ita multiplex ſit,nõ immerito multiplex etiam remedij genus expoſcit. Eſt enim medici officium non ſolum morbum remouere, ſed partem læſam ad ſuum naturale temperamentum deducere. hoc per ſimilia, illud per contraria fieri omnes puto norunt. Cum uero conſimilis facultatis medicamentum ad partem admouere oporteat, neq; omnes partes idem temperamentum ſortiantur: neceſſum eſt uariam curationem pro partis uarietate adhiberi; etiam ſi idem morbus curandus ſit. Inflammatio enim, quatenus quidem tumor præter naturam eſt calidus, uniuerſalem quandam curationem requirit: ſed prout nunc uentriculum,nunc iecur,nunc cerebrum, nunc ſupercutaneas partes occupat; ita uaria remedia non ſolum in qualitate, ſed in quantitate poſtulat. Hinc Galenus XIII. methodi, cum aliqua pars princeps, quæ ex uſu ſit toti corpori,flegmone laborat:ut eius robori proſpiciat, per omnia inflammationis tempora aliquid ex aſtringentibus medicamentis admiſcet: & tamen ſi idem tumor ſit uel in tibia, uel in fœmore, uel in cubito, aut bracchio, aut in horum adenibus, non niſi in eius principio (ut ſcilicet humores repellat)aſtringentia ponit. Hinc etiam diuerſam uictus rationem(ne ſolis medicamentis hoc fieri exiſtimes)Galenus conſtituit his, qui glandulas habent inflammatas, ab illis qui iecoris, ſimiliter & uentriculi, nec minus artuum inflammatione uexantur, XIII. methodi. Acria præterea remedia admiſcet, cum inflammationem ſanat, quæ profundas corporis particulas obſedit: & tamen quæ ſummas partes occupauerit, proprijs phlegmones remedijs curat. Abſinthium oleo incoctum iecinori, lieniq; œdema patienti cum maxima utilitate adhiberi tradit XIII. methodi. ſed quis illo genu unquam perfudit? quis oculum, aut aliquod eorũ, quę intra os ſunt, qualitercunque affectum? In his præterea, quæ in præcordijs ſunt, œdematis nemo frigidam ex poſca ſpongiam applicuerit; ueluti nec alijs, quæ in his ſunt,tumoribus: atque in ſumma à ſitu particulæ,à figura, à præſtantia, à temperie, à communi eius cum animalis partibus uſu, ab exquiſito, uel hebete ſenſu, aliiſq; id genus quamplurimis ſumpta indicatione, Galenus alia, atque alia eiſdem morbis medicamẽta apponit. quę niſi animaduertãtur,fruſtra aliquis medicaminum uires experiatur. Sed quid pluribus moror? cum tot illuſtrium medicorum uolumina ad uarios corporis humani morbos conſcripta, id quod diximus ſatis oſtendant? ſcripſit Galenus decem integros localium medicamentorum libros;in quibus quonam pacto

tumor

tumor aliquis, uel alterius generis morbus curetur in oculo, uel in aure, uel in capite, uel incruribus, tandemq; in quauis corporis particula satis ubertim, diffuseq; pertractat. Nec his contentus, de oculorũ morbis librum integrum, atque illum quidem ualde magnum posteritati reliquit; nec minus de renum affectibus alium, alioſq; ad alias corporis particulas pertinentes conscripsit. quæ omnia uel rudibus declarant pro partiũ diuersitate esse uaria etiam medicamenta deligenda. Hæc igitur cum non ignoraret Dioscorides, cuinam parti medicaminum facultas priuatim destinetur, frequenter explicat. Nam Thuris fuliginem inflammationes mitigare asserit, non cuiusuis membri, sed duntaxat oculorum: quemadmodum amaracinum, sedis: Cyprini spissamentum, inguinum: Irini spissamentum, uuluæ: cedriam tonsillarum inflammationibus mederi: sed tussilaginem omnibus inflammationibus illitu auxiliari: quia non uni magis membro, quàm alteri fortasse applicari posset. Suillus pulmo, & agninus, ursinusq; impositu à calceamentis contractos attritus ab inflammatione tuetur, ut tradit idẽ Dioscorides. Ligustri folia ulceribus oris medentur. Pix liquida rimis sedis, & pedum conuenit: Dipsacum rimis sedis, fistulisque. sylueſtris oleæ folia cutem à capite uulsam conglutinant. œsypum explet ulcera, & emollit; sed præsertim sedis, ac uuluæ. Viperæ adeps alarum pilos euulsos renasci non patitur. Vrina canina nomas & præcipue genitalium sistit. Dulcis radix uesicæ scabiem sanat, & renum dolores. Centaurij minoris succus oculorum medicamentis perquam utilis est. Maius centaurium ad uuluæ dolorem efficax. Acanthij folia ad remedia opistothoni bibuntur. Porri semen sanguinis profluuia sistit, maxime si naribus erumpat. Scillæ interna pars ad rima pedum imponitur. Hieracium stomacho æstuanti inflammationibusq; illitũ prodest: Pyrethrum dentium dolori. Saluiæ decoctum testium pruritus sedat. Aloë peculiariter exulceratis genitalibus medetur, & disrupta puerorum præputia iungit: Rimas sedis sanat ex passo: Priuatim scabras lippitudines pruriginesq; angulorũ permulcet. ac ne exẽplorum multitudine sim molestus lectori, in multis hæc & consimilia à Dioscoride explicari certissimum est: quæ ita, ut ab eo certis quibusdam corporis partibus destinantur, ad usum duci debent. Ex his enim, quæ à principio huius capitis ex Galeno adnotauimus, facile cognoscimus nos maxime esse erraturos, si remedia ad quascunque partes in morbis profligandis sine ullo delectu accõmodauerimus. Vnde fiet, ut cum medicamenti facultatem non sese ostendere uiderimus: facile in eius cognitione dubij simus futuri. quod quidem non solum uerum est, quia (ut diximus) partis natura, uel præstantia quædam medicamenta

dicamenta ad quendam uſque modum calida,uel frigida, humida, uel ſicca; ſimiliter aſtringentia, digerentia,& id genus alias qualitates ſibi expoſcit: ſed etiam quia nonnulla medicamenta cum aliqua corporis particula multam habeant ſubſtantiæ ſimilitudinem ita, ut uel uni illi particulę opem ferre poſsit, uel certe aliis nonnullis; ſed non æque efficaciter, ut patet in eupatorio,quod magis iecori, quàm alijs partibus corporis morbos tollere pluribus experimentis comprobatũ eſt: quemadmodum glandem unguentariam lieni: Betonicam, & ſaxifragiam renibus, ut Galenus etiam docet libro de Theriaca ad Piſonem. ſicuti contra ſunt, quibus proprium eſt partem aliquam corporis ſolam offendere; ut lepus marinus pulmonem, cantharides ueſicã. Nuces auellanæ comeſtæ ieiunum inteſtinum lædunt, ut auctor eſt Symeon Sethi. Verum quia,quorum membrorũ morbos priuatim ſingula medicamenta curarent,non in omnibus explicauit Dioſcorides, ſed multa ſatis indefinite reliquit:ob eas quas ſępius adduximus rationes, reprehendendus non eſt. Sed lector non impiger, nec ineruditus per ſe à medendi methodis regulas,indicationeſq́; colligẽs,omnia ſummo cum iudicio huic, uel illi corporis particulæ accommodabit: ijs uero, quæ à Dioſcoride enucleata ſunt, ita ut ab eo præcipiuntur (uti diximus)utatur, neceſſe eſt; ſi ſimplicia medicamenta facultatũ iudicio ea eſſe,quæ per eorum delineationes eſſe uidentur,comprobare ſtudeat.

Ignoratio ſimplicium ob non adhibitam animaduerſionem in quatuor temporibus uniuerſalibus, ac particularibus cuiuſq; morbi. Cap. XVI.

PRAECLARE quidem ueriſsimeq́; ab Herophilo cõmemoratum eſt, recte dicturum eum, qui pharmaca nihil eſſe ſola per ſe ipſa dixerit: ſed nec rurſus perperam illum dicturũ, qui pharmaca ueluti Deorum manus eſſe protulerit. Si quidẽ nihil certe ſunt, ſi medicũ adepta ſint,qui ijs non rite,nec per rectum(ut aiunt)curſum, ſed oblique utatur. Quòd ſi is, qui ea ad uſum duxerit, in rationali methodo fuerit exercitatus, atque naturæ ipſius habitu prudens, ac magni conſilij uir extiterit; prodeſſe ea quammaxime inuenientur. unde in magnam admirationem eos traducet, qui nec opinatas, admirabileſq́; eorum uires aſpexerint. Cæterum ut multa in illis admouendis animaduertenda ſunt; ita uix pauca à medicis noſtri temporis conſiderari aſpicimus. unde fit, ut dum ſuos errores contegere, atque culpam ſubterfugere ſtudent, medicamenta,eorumq́; ſcriptores miris modis accuſant; neque per eos ſtat,quin poſteris perſuadeant, ut ex illis multa ad uſum nullo pacto ducant; medicæ arti inuidentes illud, quod per medica-

mentorum uarias facultates susceperit incrementum. Nos certe eorum bonam partem, quę ad simplicium facultates perfecte eliciendas, riteq́; experiundas facere uidebantur, quanquam per compendium, abunde tamen tractauimus. ac rem ipsam omnem absoluemus, si de simplicibus, ut ad morbos referuntur, loquamur. Nam si eorum quæ à principio huius libri proposuimus, recte meminerimus; triplicem in simplicibus fieri considerationem diximus: Vnam quidem, ut per se ipsa considerari possunt: Alteram, ut ad subiectũ corpus referuntur: Tertiamq́;, ut ad morbos. Quoniam uero de duabus prioribus quantum nostro proposito facere iudicauimus, satis commode tractauimus: ad tertiam aggredimur, cum qua uniuersum librum absoluemus. Verum nihil est, quod exactam, absolutamq́: morborum disceptationem expectes: quando hoc ad medicum pertineat. Nos autem, qui simplicia recta ratione cognoscenda docemus, ab exquisita morborum disputatione abstinere debemus: sed eatenus de illis agere, quoad ea ratio, quã cum medicamentis habent, explicata sit. Nam docere, quod sex sint in uniuersum morbi genera: quorum unum similariũ partium propriũ sit; quatuor quæ solis instrumentarijs destinantur; sextumq́;, quod tum similaribus, tum organicis est cõmune: item cum morbus sit res quædam præter naturá, quo pacto differat à causa, quæ illum procreat, necnon à symptomatis, quæ illum consequuntur: Adnectere præterea doctrinam, qua morborum particularium numerum inueniamus; & quædam alia eius farinæ proponere; tametsi medicam artem exercenti ita necessaria sunt, ut nisi illa omnia calleat maxime, in ipsis medendi methodi foribus sit lapsurus, ut tradit Galenus 11. Methodi: tamen ad expendendas simplicium facultates, uel nihil, uel certe modice conferre uidentur. Quapropter una, atque altera à morbo sumpta indicatione contenti, propositam nostram disceptationem concludemus; eas eligentes, quæ in curandi methodo maius momentum habere uidentur: quæq́; medicaminũ uires longe magis ac aliæ manifestant. Quòd si ex alijs etiam, quæ à morbo accipi solent, indicationibus, eandẽ utilitatem elici posse cuipiam uideatur: qua eam ratione assequi ualeat, ex his, quæ de illis duobus dicemus, facile colliget: cum similis uia in omnibus sit. Ergo cum satis constet primam, præcipuamq́; indicationem in curatione esse, quæ affectum ægrotantis amouendum suadet; perinde ut morbus uaria sortitur accidentia, ita & ab eo uariæ indicationes scaturiunt: quæ uaria debere adhiberi medicamina cogunt. Accidit autem morbo potissimum eius per quatuor uniuersalia tempora progressus: quod quidem cuiuis morbo maxime proprium est: in qua re accessionum (quas & ipsas quatuor temporibus metimur) consi-de-

consideratio non fuerit inutilis. Accidunt & morbis etiam omnibus gradus. quisq; enim morbus & intensior esse solet,& remissior. In his duobus exempla proponemus ad id, quod quærimus comprobandũ; ut instructi in his studiosi, quod reliquum fuerit in alijs accõmodare non ignorent. Medicamenta igitur, quas promittunt facultates, non præstant,uel quia non exhibentur debitis morborum temporibus,uel quia non æquant morborum lapsus,sed uehementiora, uel remissiora sunt,quàm ut morbus, qui amouendus est,requirat. Morborum tempora sunt principium, incrementum, status, remissio: quæ quanuis unam morbi naturam constituant; tamen diuersa inter se sunt; immo & contraria. Nam si ab alteratione materiæ peccantis hæc tempora acceperimus; cum principium totum illud morbi spatium includat, quo signa cruditatis apparent: non solum diuersum,sed etiam contrarium fuerit alijs tribus temporibus. cum constet in omnibus his coctionem apparere. sed inquantum & ex his tribus quædam perfectã, quædam imperfectam habent concoctionem; aliquam inuicem sortiri contrarietatẽ dixerimus. Incrementum enim tametsi manifestam, imperfectam tamen habet humoris elaborationẽ. sed perfecta coctio uidetur in uigore, & declinatione. sed hæc duo alias habent contrarietates,nempe quæ in paucitate,& multitudine humoris cõsiderãtur. multus enim concoctus humor est in statu,paucus,& hic concoctus in declinatione. Quòd si tempora hæc quatuor metiri uelimus per materiæ facientis morbum expulsionem, eædem ferè contrarietates inuenientur. Differt enim primo principiũ ab alijs temporibus;quia in illo uel nihil educitur, uel ita paucũ, ut nullã de eo fieri considerationẽ par sit. In his uero aliquid notatu dignum eiicitur,quæ multæ,& paucæ materiæ (ut de alio diximus modo) differentias, & contrarietates inuicem habent. Neque enim quòd Hippocrates dicat circa initia & fines omnia imbecilliora; iam eiusdem in omnibus naturæ erit principium, & finis: quia multas habent satis insignes differentias, quod purgationis exemplo comprobare licet] ex eodem Hippocrate; qui concocta medicari quidem debere non in principijs, uel raro in principijs docet: sed non uetat hoc in declinatione. immo & hæ, quæ inter principium & inclinationem repertæ fuerint, communitates, à contrarijs causis semper ferè oriri inueniẽtur: ut percurrenti manifestum fiet. Cum igitur multa inter hæc quatuor tempora intercedat non solum uarietas, sed contrarietas: diuersa etiam his, uel illis morborum temporibus, in unoquoque morbo adhibeantur medicamẽta necesse est. Non enim quia unus morbus est, idcirco & unicum perpetuo ab initio ad finem ei destinabitur remedium: sed uariabitur pro

temporum morbi uarietate: ac multa opus erit attentione ei, qui Dioscoridem legerit. ut si, uerbi gratia, aliquid sanare tradat inflãmationes; consideret in quo inflammationis tẽpore illud medicamen apponi conueniat. nam in principio repercutientibus, refrigerantibusque in hoc morbo utimur: in fine uero calefacientibus, & laxantibus: in medijs tẽporibus, ambo illa miscemus. Vnde Galenus VI. κατὰ τόπους dum stomatica medicamenta prosequitur, suadet quatuor cuiusque medicamenti compositiones fieri pro quatuor totius morbi differentijs. quòd si hoc per medicorum inopiam, aut quòd quis peregrinari cogatur, non licuerit: pharmacum saltem medias facultates habens componi; cui aliquid semper admisceri poterit, quod eius uim uel intendat, uel remittat, prout usus postulauerit. Quòd siquis per omnia hæc tempora idem simplex medicamentum ualere existimauerit, quis dubitat hunc maximo futurum esse inflammationi detrimento: Ac eo magis nocebit, qui, cum inflammatio nullum habet sensum, ac in scirrhum est conuersa, adhuc inflammationis initio conuenientia remedia applicet. quandoq; enim morbus non percursis omnibus ad finẽ usq; quatuor temporibus, in aliam morbi speciem transit ita, ut prioris morbi non solũ remedia, sed & nomen etiam ipsum amittat. quod Galenus in multis animaduertit, atque inter alia in aphthis VI. κατὰ τόπους. Nam si in putredinẽ (inquit) aphtha uertatur, & exulcerationes » faciat; neque aphtham amplius nominare conueniet, neque pharma- » ca eiusmodi affectiones curantia, inter ea, quæ aphthis commoda sunt, » connumerare. quemadmodum neque inter erysipelata sanantia recte » connumerantur ea, quæ præclare discutiunt liuidas & duras partes ex » frigidorum medicamentorum applicatione tales factas, & iam ad in- » duratam in scirrhum affectionem ex erysipelate delapsas. Profectò » enim qui huiusmodi scripturarũ indiscriminata incertitudine decepti, erysipelatis calida & discussoria medicamenta; aphthis aũt ea, quæ » putrefactis conueniunt, adhibent: non parum detrimenti inducunt. » Hæc Galenus. Hinc semper ferè multa cũ cautione ipse remedia proponit ad uaria morborum tempora. habet enim pharmaca ad incipiẽtes alopecias, ad augescentem capitis dolorem, atque ad alias affectiones, cum uel in summo gradu sunt, uel cum remitti incipiunt. Cæterum nec desunt, qui medicamentorum à Dioscoride indefinite propositas facultates nullo adhibito discrimine, nõ solum ad omnia morbi tempora accõmodare se posse sperant; sed etiam, cum non amplius illi morbi sunt, qui esse cœperant. quod tum ægris damnum intulit, tum etiam sibi ipsis, quippe qui quiduis aliud imaginati sunt, quàm quod id sua imperitia, atque incuria fieri posset. quam ob rem

uniuerſa maleficij culpa in medicamenta reiecta'eſt. Hinc Dioſcorides, quanuis ſuum munus non ſit, definita remedia certis quibuſdam regulis docere,(hoc enim medici proprium inſtitutum eſt)tamẽ,quia rem eſſe hanc maximi momenti exiſtimauit:non potuit ſe ipſum continere, quin aliqua certis animaduerſionibus notaret ita, ut nihil amplius à medicinæ præceptis prẹter id, quod ipſe propoſuiſſet fortè eſſet petendum. Nam triſſaginem incipientibus hydropicis auxiliari tradit; ex hoc forte nobis commoſtrans, his, qui diutius hydropi uexati ſunt, illam opitulari non poſſe. quibus etſi detur, cum nihil iuuaminis conſpiceretur, forte pro triſſagine non haberetur. Idem euenire poſſet de trifolio, quam ijs prẹbet, qui aquę inter cutem principia ſentiunt. Siluri muriam incipientibus dyſentericis prodeſſe aſſerit, ſi in deſidentium fotus adijciatur, fluxiones ſi quidem ad ſumma cutis elicit. Hoc loco nõ ſolum morbi tempus præſcribere nõ piguit, ſed & rationem addidit,quam ob rem ita cadat euentus. Succidæ lanę (ut diẽ Dioſcorides docet)ſubueniunt uulneribus inter initia. Palumbi ſanguis, turturis,& columbæ,necnon perdicis,oculis cruore ſuffuſis, & recentibus eorum uulneribus illinuntur. Halica incipientibus ægilopis medetur. Dracunculi folia recentibus uulneribus linamentorum uice conuenienter imponuntur. Ambuſta ſi oui cãdido ſtatim perungantur, puſtulas non ſentiunt. Rubra pæoniæ grana à pueris pota, initia calculorum eximunt. Roſaceo dentes inter initia doloris collui prodeſt. Thus inter initia illitum formicantes uerrucas tollit. ſunt & eorum,quę in alios morbos abiere,exempla: ut lentis decoctũ, aqua maris adiuncta,nomis, quæ in gangrænam euaſerunt,auxiliatur. Iam uero ſi exhibendi medicaminis tempus à Dioſcoride non proponatur; noſtrum erit perpendere,atque animaduertere quodnam morbi tempus illud remedium ad ſe uocauerit.quod quidem his qui morborum omnium naturas, atque ideas cognouerint, nec minus,qui in ſimplicium facultatibus, eorumque gradibus ſe exercuerint, aſſequi haud erit difficile. Nam cum ſedum, ſimiliterq; lentem paluſtrem igni ſacro prodeſſe docet, cum ſciamus hæc inter ea, quæ maxime refrigerant,numerari; itemq; quòd refrigerantia in principijs eryſipelatis conueniunt: iam quid opus erit,ut à Dioſcoride explicatum habeamus,has duas herbas nõ niſi in huius morbi initio admoueri debere? ſed cum eidem tumori braſsicam ſatiuam admouet, nec minus rutã, qui horum duorum ſimplicium temperamenta agnouerit: facile colliget hęc in principijs nullo pacto eſſe adhibenda; ſed ad indurata iam, atq; ægre ſolubilia eryſipelata illis recte utatur. quod & Galenus animaduertit, cum de braſsica loqueretur; cum etiam Dioſcorides cre-

cum ad inflammationes ualere asserit, tametsi explicat ad eas inflammationes conueniens esse, quæ ad ignem sacrum uergunt; quasi eam phlegmonem intelligat, quæ erysipelatodes dicitur; non tamen hoc sufficiet. Nam cum crocum concoctoriam, & excalfacientem uim habeat, non nisi transacto inflammationis initio commode adhibebitur. Horum uero, qui exquisitam cupiat doctrinã, legat Galenum VII. simplicium, qua de Corianno. non enim pigebit ea legisse. sed qui Dioscoridis remedia percurrat, attendat quæso & morborum naturas, & simplicium temperamenta. nam cum legat gentianam calidam esse, oui candidum refrigerare, utrunq; uero inflammationibus oculorum præberi; iam si diuersis hæc temporibus danda esse ignorauerit, non ignarum modo, sed stultum etiam merito dixerimus. Quanta uero incommoda ex his non rite animaduersis subsequi possint, clarius est, quàm ut dici debeat. sed unicam Galeni obseruationem proponere operæpretiũ fuerit, in Theriaca intempestiue assumpta. cum enim legerint nonnulli apud celeberrimos huius antidoti scriptores, Theriacam febres omnes, præsertim quartanas sanare (eadem autem est ratio in simplicibus medicamentis) cum nullũ temporis discrimen considerassent, intempestiue eam præbentes ex una duplicem, immo & triplicem quartanam fecêre; ut Eudemo cuidam cuenit, de quo Galenus libello de Præcognitione ad Posthumum loquitur. An igitur dicendum illam non optimam fuisse Theriacam, propterea, quòd non solum morbum non curauerit, sed auxerit? Profecto nemo in Galenica disciplina uersatus hoc dixerit. Idem igitur & in simplicibus medicamentis iudicium afferet: cum suas facultates idcirco non ostendent, quòd nullus à medico sit factus temporis delectus: neque cum opus fuit, occasionem (quam præcipitem esse Hippocrates dixit) arripuerit. In particularibus uero morbi temporibus, hoc est, quę unicam accessionem metiuntur, eadem obseruatio est. in his enim quædam Dioscorides præfiniuit, quædam (ut suus est mos) indefinite protulit: præscripsit enim particulare tempus, cum cimices lectularios ad quartanas sanandas, septenos ante febrium significationes deuorandos præcipit; nec minus cum ad horrores soluendos agaricum præbet ante febrium accessiones, & alia huiusmodi non pauca. In his igitur, quę non determinat; cum eandem habeant rationem, quam uniuersalia tempora; ex illis de his iudicium statuendum est.

Quanti referat in ſimplicium dignotione conſiderare morbi magnitudinem, & uetuſtatem. Cap. XVII.

QVOD ſi morbos prout magni, uel parui, uel uetuſtiores, aut recentiores ſint conſiderauerimus: ad eaſdem ferè conſiderationes confugiemus. Sunt autem Galeno morbi magni in triplici differentia, nempe & propter afflictæ partis præſtantiam, & propter affectus magnitudinem, & propter eius cacoëthiam: parui uero, ac mites illi dicentur, qui horum trium nihil habuerint. Iam uero cum Galeni præceptum ubiq; ferè ſit, ut pro affectus magnitudine magnum etiam remedium præbeatur: quam uaria debeat eſſe in morbis nunc magnis, nunc paruis, nunc mediocribus curandis medicamentorum accõmodatio, is profecto ſciet, qui infinitos ferè eſſe lapſus in morbis maioris, minoriſq; diſcrimine non ignorauerit. Quod exemplo ulceris ægre cicatricem admittentis, necnon maligni, ex Galeno quarto κατὰ γένη quis facile aſſequatur. In qua quidem re non ſolum morbi diuerſitas conſideranda eſt; quòd alius ſit, qui facile ad cicatricem ducitur; alius, qui difficile: ſed etiã quòd inter ægre curabiles ampla ſit latitudo utrinq; in eo, quod alius alio magis, minuśue dyſepulotum, malignumq́; eſt. ad quam morborum diuerſitatem animum adiicere uidentur, qui à mitioribus eſſe in quouis morbi genere inchoandum autumant; neque propterea negant extremis morbis extrema eſſe adhibenda remedia. Inquiunt enim ſi magnus morbus ſit aliquo ex illis tribus modo; quatenus qui eſt in principe parte, differt ab eo, qui in ignobili eſt; eatenus illi maius remedium, quàm huic eſt deſtinandum. Pariter ei, qui malignus fuerit, nec minus ei, qui ſuapte natura magnus extiterit, maiora remedia admouenda, quàm illi, qui caoëthe nõ ſit; & ei, qui mitem naturam ſortiatur. in hac igitur differentia uerum eſſe Hippocratis illud ἀξίωμα fatentur. Sed cum rurſus dicunt, à mitioribus remedijs auſpicandum eſſe, atque exinde ad fortiora progrediendum; in hac differentia falſum eſſe aſſerunt. Qui enim fiet, ut maligno ulceri mederi poſsit remedium, quod debilem habuerit uim; ac propterea non niſi mitioribus, leuioribuſq́; morbis conueniens? quid enim contulerit mitiorum admotio, ſi ex illis morbus nullam poſsit ſuſcipere alterationem? Quam ob rem ueram eſſe uolunt illam regulam in ea morborum diuerſitate, quam ſecundo loco propoſuimus: quanquã multam poſsidere latitudinẽ in maioris, minoriſq́; differentijs diximus. ſicuti enim inter ulcera dyſepulota, necnon maligna alia rebelliorem, alia faciliorem habent naturam; ita & in parte principe hæc diuerſitas eſſe poteſt,

potest, nõ solum quia pars alia alia magis,minusq; princeps esse solet, sed quia in eadem parte grauiores,& remissiores effectus sępe numero accidant. Eodemq; pacto qui per suam(ut dicunt)essentiã magni sunt morbi, & maioris, & minoris innumeros ferè gradus sortientur. atq; in his quicunque à mitioribus remedijs auspicatus fuerit, non solum non errabit, sed curationes longe tutiores, iucundioresq; ob eas,quas superius, cum de præparatione loqueremur,adduximus rationes,efficiet. Nam postquam calidum in secundo gradu(ut exempla in manifestioribus qualitatibus ad maiorem claritatem proponantur)morbũ esse cognouerit; sciatq; in secundo gradu frigidum adhibendum esse medicamen; quia & secundus gradus suam habet latitudinem: præstiterit ab his incipere, quæ frigefaciunt quidem in secundo ordine, uerum remisse, atque obscure. Hæc enim si remissam inueniant in secundo excessu caliditatem, æque cum illa pugnabunt: sin intensam; nisi ex toto, at certe ex aliqua parte illam remittent; atque aliorum fortiorum audacter adhibendorum uiam cõmonstrabunt. est enim (ut superius diximus)lapsus gradus cognitio ob multas rationes difficillima. Verum cum ob solam præparationem hic progressus à leuioribus fit, aliam esse rationem(si recte eorum quæ superius diximus, memineris)non ignoras. sed hoc siue ita sit, siue aliter, ad medicos considerare magis pertinet. Nos ad institutum nostrum redeamus;satisq; sit scire, morbos magnos magna exposcere remedia,paruos, parua, mediocres medio modo se habentia: atque lapsuum in morbis infinito propemodum numero, ex aduerso accipienda esse infinita ferè etiam medicamenta, quæ suum singula lapsum curare ualeant: siue hi lapsus in prima accipiantur differentia, siue in secunda. Hoc uero in Dioscoridis simplicibus sine ulla determinatione propositis, ei qui in affectuum dignotione,& in medicaminum temperamẽtis, gradibusq; fuerit uersatus, assequi, neque laborioſum, neque difficile fuerit. atq; eo magis ea assequetur, quorum apud Dioscoridem aliqua extat determinatio. In quibus meminisse oportet, id, quod sæpius admonuimus, nempe ut eius generis morbis singula medicamenta applicẽtur, cuius generis sunt, qui à Dioscoride proponuntur. Non enim illum pertesum est horum quędam explicare, ut ex illis lector in arte medica optime uersatus, alia per se intelligere posset; atque sua in singulis adhibita animaduersione ad morbos rite accommodaret.Eadem uero ratio erit in ijs morbis,qui ideo differunt,quòd uel recenter facti sunt, uel inueterati. quandoquidem, cum multum inter se differant, uaria etiam medicamenta necessario habebunt. Hæc autem uarietas, etiam si in omnibus morbis accidat, maxime tamen in ulceribus conspicua est:

eſt: in quibus ex Dioſcoride multa licet elicere exempla, quæ nos iunctim, ac promiſcue cum illis, quæ à morbi magnitudine ſumũtur, recenſebimus, ob multam, quæ in his conſpicitur, ſimilitudinẽ. Aranei enim telam uulnera, quæ ſummam cutem occuparunt ab inflammationis iniuria uindicare aſſerit; quaſi ex hoc commonſtret profundis uulneribus, atque ob hoc magnis, hoc opus præſtare non poſſe. Dracunculus ulcera cacoëthe expurgat Dioſcoridi; ſicuti & plantaginis folia malignis ulceribus, & fluxioni oportunis, atque elephanticis, ſordidiſq; illita proſunt: quin & uetera ulcera, & inæqualia cicatrice obducunt, & chironia ſanant. Has igitur nemo leuioribus quibuſdam ulceribus fœlici ſucceſſu admouerit: quemadmodũ nec braſſicæ ſuccum, niſi ſordidis & uetuſtis. Ranæ contra inueteratos tendinum rigores pollent. Ariſtolochia rotunda ulcera putrida exeſt; & ſordida expurgat. Centaurium maius ueteri tuſsi præbetur; ſimiliter & allium, & radix. Loliũ putreſcentia ulcera emarginat; & feros lichenas ſanat: rumpit quæ ægrius ad coctionem perducuntur. Porri folia ueteres ſanguinis reiectiones cohibet. Sinapi ſuccus contra præduros tonſillarum tumores, ac ueterem, calloſamq; arteriæ ſcabritiem ex melle gargarizatur. Capparis radicis cortex ulcera omnia uetera, & ſordida, & quæ occalluerunt, expurgat. Sed mirum eſt quod de hedera à Dioſcoride traditur: ſcribit enim eius folia in uino decocta omnium ulcerum generi, etiam ſi cacoëthe ſint, illini. Eidem etiam pyrethri radix diuturnis horroribus efficax eſt. Laſer grauẽ ſubitoq; irrauceſcentem uocem expedit. Lilij ſuccus ulcerum quidem uetuſtati, ſed ad recentia uulnera conueniens eſt. Viſcum uetera ulcera abſceſſuſq;, quos cacoëthes uocant, ex thure mollit. Teſticulus Serapias dictus ſanat oris ulcera cacoëthe. Amaracinum unguentum ad tetra ulcera efficax eſt. Sunt & id genus quamplurima apud Dioſcoridem, quæ morbi magnitudinem, uel paruitatem, uel uetuſtatem determinant. quæ multum laboris his auferunt, qui ea ad uſum ducere intenderint. nam etiam indicant, qua eorum facultates ad experimentum rite ducantur; ac per hoc recte, nullcq; intercedente dubio cognoſcamus uera ne ſint, & genuina; an falſa ac ſuppoſititia ſimplicia illa, quę facultatũ auxilio cognoſcere laboramus. Hæc qui non obſeruant, maximopere errant: nam prout inueterata affectio ſit, uel recenter facta; ita idẽ medicamentũ contrarias facultates oſtẽdit, quod aceti exemplo comprobatur. hoc enim (ſi Dioſcoridi credimus) ueterem tuſsim mitigat, ſed recentẽ laceſsit. Verum ex his, quę in ſuperioribus diximus, licet multa exempla accipere ad hoc pertinentia, & apud ipſum etiam Dioſcoridẽ longe plura, nos interim hanc tractationẽ abſoluamus.

Ratio

Ratio assignatur, cur nonnulla hoc libello omittantur, quæ facere ad simplicium cognitionem uidentur. Cap. XVIII.

NON ignoro alias cõsiderari posse circa curationem indicationes, quæ simplicium cognitionem, nisi recte animaduertantur, in dubium reuocare in multis possent. ut est ea, quæ à morborum causis sumitur. Hæ nanque etiam si contrariæ sint, possunt tamen eundem morbum procreare: ut arthritis, ac particulatim podagra pendet nunc à frigida, nunc à calida causa: similiter & symptomata quædam causas contrarias habere solent. Nam dolor capitis & à causa calida fit, & à frigida: pariter & aliarum partium dolores: nec minus destillatio, & alia multa. Idem eueniet in morbis, qui plures species sortiuntur, ut cum aliquod medicamentum sanare inquit Dioscorides hydropim: remanet enim dubium, quam ex tribus hydropis speciem intelligat. Præterea cum in uniuersum aliquid profert, non particulatim; ut cum ad uitia sedis, uel ad sanguinis profluuia ualere medicamenta docet. Hæremus enim an ex quacunq; parte profluentem sanguinem cõpescant, an ex quibusdam ac certis partibus. cum ex superioribus satis pateat, particularum naturam maxime esse diuersam; unde & diuersam etiam in eodem morbo exigunt curationem. sedis insuper uitia, & quæcunq; ita simpliciter proferuntur, à contrarijs causis oriri solere nemo est qui dubitet. nam Apollonium Herophili sectatorem reprehendit Galenus III. κατὰ τόπους, quod ad aurium dolores pharmaca enumerans confuse omnia permiscuit, nullam causarum apponens distinctionem. Sic cum per idem nomen plures natura diuersæ partes intelligi possunt; ut cum aliquod simplex ualere ad intestinorum ulcera scribitur. sex enim intestinorũ uarietates tam uarijs naturis gaudent, ut multa crasso intestino conuenire possint, quæ tamen ieiuno uel duodeno, uel ileo non conuenient. Sic & alia id genus multa sunt, de quibus loqui non esset ab re: uerum quia ex his, quæ de alijs diximus, facile & hæc decerni possunt, ne absque ulla utilitate uolumen nimiũ crescat, satius duximus ea silentio præterire, atque eo præsertim, quòd in multis explicatam habemus Dioscoridis sententiam. nam laurinũ præbet malis renum à frigore contractis. Quibus præterea sine acrimonia uult deiectionem moliri, ut melancholicis, comitialibus, lepris, lac præbet. Senecionis caulem in passo coctum potui dat ad stomachi dolores ex bili contractos. Sesama capitis dolores, qui æstuatione cõcitantur, eidẽ Dioscoridi ex rosaceo leniũt: quæ & coli doloribus medentur: sicuti oleum ilei intestini morbis laborantibus infunditur.

Sonchus

Sonchus præterea æſtuanti ſtomacho exhibetur. Sic & in multis alijs clara ſatis eſt Dioſcoridis ſententia, quæ nullã nobis dubitandi anſam relinquunt. Quòd ſi quandoq; in ea incideris, quæ explicate non proponuntur: qui ad ea confugiat, quæ in ſuperioribus frequenter monuimus, nullo negocio ea explicabit. Nam cum legat ſedum, pariter & lentem paluſtrem, & hyoſcyamũ podagris illitu mederi: nemo quantumuis rudis ignorauerit huic morbo à calida fluxione oborto hæc ſimplicia conuenire. ſimiliter cum uideat nardum celticam aduerſus lienem, renum, & ueſicæ uitia bibi ex uino: non puto hæſerit à frigida cauſa cõtractos morbos hic intelligendos eſſe; & in alijs eodẽ pacto.

Male à Galeno redargui Dioſcoridem, quòd nulla adhibita determinatione remedia proponat. *Cap.* XIX.

Ex his ſanè patere exiſtimo à quibuſdam celeberrimis uiris, & in medica arte præclariſsimis, Dioſcoridem non recte in crimen uocari, quod preſſe nimis, anguſteq;, & nulla adhibita diſtinctione ſimpliciũ facultates docuerit. Miror enim cur hi nõ animaduerterint, hanc prouinciam ad illum non pertinere, qui medicam materiam docendam aggrediatur; ſed uel ad eum, qui curandi methodos conſcribat, uel ad alios quoſdam. quod tametſi clariſsimum ſit; quia tamen in re clara delabi uel Galenum ipſum cernimus: nonnullas rationes pro Dioſcoride adducemus; neque patiemur uirum in materia medicamentorum conſcribenda abſolutiſsimum, doctiſsimumq;, tam temere reprehenſionis macula notari. Galenus igitur multis in locis illum redarguit; præſertim cum de Corianno loquitur lib. VII. ſimplicium his uerbis. Primum ergo non Dioſcorides tantum, ſed & alij complures medicorum indeterminate de morbis pronuntiant: ſicut ſanè hac quoq; tempeſtate non paucos inuenias medicos uel inſignes, præter alia hac in re turpiſsime hallucinantes. Hæc Galenus. qui & VIII. ſimpliciũ, qua de polygono agit, deſiderat in Dioſcoride affectus diſtinctionem: cum hanc urinam prouocare docet his, qui ſtillicidio, & ſtranguria afficiuntur, & II. κατὰ γένη, cap. primo ſic ſcribit. Conuenit igitur huiuſmodi pharmacorum materias cognoſcere, nõ ſimpliciter ſecundum genus, ut Dioſcorides ſcripſit; ſed uti nos in cõmentarijs de ſimplicibus medicamentis fecimus, non tantum apponentes uel calefacere, uel refrigerare, uel huiuſmodi aliquid aliud quoduis medicamentũ facere: uerum etiam quòd prima diſtantia, uel ſecunda, uel tertia, uel quarta à medio exiſtat, &c. Vbi palàm eſt Galenum deſiderare in Dioſcoride facultatũ gradus in unoquoque medicamento; quod & libro

quarto

quarto compositorum pharmacorum per genera desiderat. ubi sic habet. Rursus simplicium singulorum memores, quæ desiccant, non tamen ulceris sordes abstergunt: item quæ abstergunt quidem, non tamen probe desiccant. quæ uero utrunq; possunt efficere, prospiciemus ex quoto quodq; ordine existat: quod maximum inter ea censeo, quæ ad curationem pertinent; neglectum tamen medicinalis materiæ scriptoribus. Nam hi soli omnes ipsius uires dicere studuerunt; sicuti etiam Dioscorides, quem nulli eorum, qui in ea quasi arena desudarunt, secundum esse quisquam dixerit. Hactenus Galenus. qui alijs locis non solum Dioscoridem, sed omnes alios, qui de materia medica conscripsere cõsimilibus reprehensionibus redarguit. Sunt uero duo potissimum, quæ circa facultatũ indeterminationes Dioscoridi obijcit Galenus: Vnum quidem, quod siquando de primis qualitatibus locutus est, in his gradus subticuit: Alterum, quòd dispositiones, quibus priuatim aliqua facultas destinetur, nõ distinxerit. Quæ quàm uere illi obijciat, examinemus. Primum igitur non recte, ut mihi uidetur, collocat Galenus Dioscoridem inter eos, qui non materiam medicam, sed morborum curationem prosecuti sunt: quando cum diuersa hi scribant, diuersum etiam finem intueantur necesse est. Ac quemadmodum maxime increpandus esset is, qui nõ omnia consideraret, quæ ad eam artem, quam tradendam assumit, pertinent: ita & eum, qui alienæ doctrinæ præcepta ad suam transferat, nõ minus reprehendendum esse iudicabimus. Iam uero si eadem Dioscorides scribere cogeretur, quæ Archigenes, Heras, Asclepiades, alijq; medici, qui therapeuticam professi sunt: quam quæso differentiam constituemus inter materiam medicam, & curandi methodum? Quare cũ Galenus III. κατὰ τόπους inuehitur in Apollonium Herophili sectatorem, & in Archigenem, quòd indistincte, tum ad multa, tum ad aurium dolores medicamenta proponant: recta quidem reprehensione utitur. hi enim unica tantum distinctione contenti à uehementia nimirum, & mediocritate doloris pharmaca conscripserunt. quæ ita uaria sunt, ut multo plures requirant determinationes à diligenti therapeuticę scriptore nõ prætereundas: ac non parum noxæ (ut ibi tradit Galenus) inferant illi, qui indefinitis pharmacorum descriptionibus fidem per omnia habent. At Dioscorides cum aliud quippiam scribat, à nonnullis quę in methodo medendi tractari expoſcunt, necessario abstinere debuit. non igitur locandus inter hos est, neq; idem criminis genus subire debet. unde male peruersęq; nonnulli ex recentioribus medicis ad Dioscoridem referunt Galeni superius adductam sententiam: quòd scilicet indefinitis pharmacorum descriptionibus, qui fidem habent multum obesse soleant;

leant; quia Galenus ibi nullam de Dioſcoride facit mentionem, ac etiã ſi faceret, perperam de eo hoc diceretur. Sed uideamus quodnam ſit medicæ materiæ ſcriptoris munus: ita enim quod quærimus clarius eluceſcet. At quid aliud eius officium fuerit, quàm medicamenti nomina, effigiemq; ob oculos ponere, & particulares uires adnectere? Nam qui nudam, ac ſimplicem medicamentorum hiſtoriam ſcribit, debet quidem quid poſsint medicamenta proponere; ſed cur id poſſint prætermittere, conſultoq; relinquere, tanquam alibi uel declaratum, uel certe declarandũ. neque enim aliud materiæ medicæ ſcriptores perficere conantur, quàm ut breuiſsime perſtringant medicamentorum omnium facultates; quod fieri neutiquam poſſet, ſi uniuerſales etiam in his regulas inſererent. Hæ enim rationibus quibuſdam declarari cum debeant, neceſſario pluribus dici, & examinari expoſcunt. Nihil enim aliud ferè fuerit, in tractatione de medicamentorum materia uniuerſales facultates examinare, quàm Galeni de ſimplicibus medicamentis librum Dioſcoridis uolumini adiungere; quo quid poſſet eſſe portentoſius? Ergo cum ab uniuerſali hac methodo abſtinere debuiſſet Dioſcorides, tanto magis gradus medicaminum ſilere debuit. Ad quem enim non pertinet dicere hoc refrigerare, uel calefacere; ad eum etiam nec pertinere, ut idem in primo, uel ſecundo, uel alio gradu calefacere, uel refrigerare doceat: quiſque quãtumuis ignarus nouerit. Nam ſi in his aſperius appellandus eſſet Dioſcorides, cur non potius illum reprehendit Galenus, quòd raro de primis qualitatibus loquatur? Siquidem cũ ab eo graduum diſtinctionem requirat, neceſſario animaduertiſſe uidetur, illum de facultatibus, in quibus gradus deſiderat, ſermonem habuiſſe. At de illis cum in paucis loquatur, ſitque peccatum longe maius hæc in multis ſiluiſſe: mirum profectò eſt, quam ob rem Galenus, maioribus prætermiſsis, minores errores culpauerit. Aut ſi ad Dioſcoridis munus non attinere, ut de facultatibus loquatur, iudicauit, ſi quando de his aliquid in medium afferat, nõ uideo cur gradus ab eo expetere debeat. Nam ſi uitio tribuere quicquã Dioſcoridi in hoc docendi munere aliquis exiſtimauerit; non negauerim poſſe ex aliqua parte in iudiciũ uocari, quòd aliena tractauerit; de quibus quo diligentius, & exactius loqueretur, eo acrius eſſet accuſandus. Verum ſi maiorẽ uitans culpam Dioſcorides, quæ nõ ſua ſunt, negligentius inquirit, tractatq;; nihil eſt quòd nulla eorum, quæ uere errata dici poſſunt, facta mentione, id damnemus, quod hominis laudi tribuendum eſt. At dicet quis, ſi idcirco hæc ſilere debuit Dioſcorides quòd breuiſsime tractari materia medicamentorum expoſcat, cur in longum abire tractationem dixerimus, ex tam pauca in quoque medicamento

dicamento adiectione? Nam cum dicit Iridem excalfacere, si gradum adiunxisset, non propterea unius uerbi adnexione historia de Iride longior facta esset. Ad hoc dicimus, uerum id quidē esse; sed nec his solum cōtentum esse lectorem posse; nisi etiam rationem nouerit, quam ob rem hoc uel illo ordine medicamen calidū sit. immo & nisi signa addātur quib. hoc cōprobetur, uel ex gustu, uel ex alia (si qua sit) uia. Quòd si dicas graduū cognoscendorum rationes accipiendas, & tacito quodam sensu comprehendendas esse; dicam & facultates etiā, earūq; gradus pari ratione esse omittēdos. Sed rursus obijciet aliquis, si facultates uniuersales tractare non debet materiæ medicæ scriptor; abstinere etiam deberet ab usu particulari ita, ut nihil præter nomina & formam diceret. Atque si separatim de facultatibus sermo habendus est; præstiterit eodem libro de uniuersalibus, & de particularibus pertractare. nam cognitis gradibus, statim subnectere particulares uires, uidetur esse ita cohærens, ut non absque tractationis defectu disiungantur. sed hoc iam superius diluimus. cui nunc addimus necessarium esse materiæ medicæ scriptori aliquid docere, quod ad rem medicam pertineat: aliter enim ne sic quidem uocandus esset: cū enim medicum scopum intueatur, nisi aliquid ad medicum usum faciens scriberet, frustra laboraret. Verum cum de uniuersalibus agere ob superius adductas rationes non debeat: reliquum est, ut particulares tantum uires doceat. Qui enim simplicium medicaminum historiam nullis adhibitis distinctionibus, sed ita nude, simpliciterq; docent, eam diligere uidentur uiam, quam qui per aphorismos uniuersam medicinam complectuntur. Ergo quemadmodum Hippocrates in aphorismis raro rationes, eorum quæ docet assignat; neque propterea in aliquam reprehensionem incurrit: haud secus, qui ita medicaminum doctrinam scribere aggreditur, ut breuissime, quoad eius fieri possit, omnia cōplectatur, nec condemnandus est, quòd multa haudquaquā præfiniat, neque distincte, atque explicate persequatur. Cum enim Hippocrates proponit dolores oculorum sanari posse à meri potione, aut balneo, aut fomentatione, aut sanguinis missione, aut purgatione; neque adijcit quos dolores unumquodque horum sanare possit: tribus de causis illum excusat Galenus VI. simplicium: primo quidē, quòd aphoristicam scribebat doctrinam; in qua propter breuitatem, & compendium pleraque ita dici concessum est: deinde quia tametsi non definiuit; omnia tamen, quæ dolores finiunt, enumerauit: tandemq; quòd multis in locis aliorum librorum, occasiones nobis præstitit, distinctiones in ijs, quæ hoc pacto dicuntur, inueniendi. Quæ tria quàm apte Dioscoridi etiam, quam breuissime scribere cupienti,

applicari

applicari posſint, nemo eſt ferè, qui non uideat. neque eſt quòd dicas, Dioſcoridem nuſquam aliàs de facultatibus medicaminum in uniuerſum eſſe locutum : Primum quidem, quia ſunt non obſcuri nominis uiri, qui dicant fuiſſe hunc librum ab eo conſcriptum, ſed temporis iniuria deperditum : Deinde, quia etiam ſi ipſe hoc nõ ſcripſiſſet, ſatis ei erat ab alijs idem perfecte fuiſſe tractatum. Nam cur Galenus à ſimplicium formis docendis temperauerit, non fuit, quòd ille ipſe alibi de hoc egiſſet, ſed quia à Dioſcoride perfecte, abſoluteq; id ipſum elaboratum eſſe nouerat: neque iudicauit deintegro ſcribenda eſſe, quæ à maioribus recte eſſent memoriæ poſteritatiq; prodita. Quin & quæ Galenus docere poſſet in opere de ſimplicibus, neque omnia pertractat, nempe eadem motus ratione. multa enim ibi relinquuntur, quæ in opere de componendis pharmacis, ſimulq; de paratu facilibus, atq; in curandi methodi libris (ut ibidem ille ipſe affirmat) ſcribere promittit; quorum tamen non pauca in eodem de ſimplicibus libro apte interponi poſſe non negaret. Quid eſt igitur cur arguamus Dioſcoridẽ, quòd particularem ſolam ſimplicium doctrinam ſcribere profiteatur; ita tamen, ut uniuerſalem etiam callendam exiſtimet, ſiue ab eo, ſiue ab alio illa ſcripta ſit, cum hæc doctrina clarior & dilucidior exiſtat? Hoc cum cognoſceret Oribaſius, dum uniuerſam medicinam clare & breuiter complecti ſtudet: putauit ſeorſum de facultatibus medicaminum in uniuerſum, atque de eorum gradibus ſcribendum ſibi eſſe; ſeorſum etiam formas complectendas; ſicuti & ſeparato tractatu de particularibus uiribus eſſe agendum. cum enim quæcunq; ille ſcribit ab alijs medicis ad uerbum transferat; nihil aliud de ſuo addit; niſi quòd ex cõmutato ordine doctrinam reddidit clariorem. Iam uero ſi quis id unum ſcribere profiteretur, ut ſimplicium nomenclaturas ſolas examinandas ſuſciperet (quemadmodum nonnullos ex recentioribus feciſſe nouimus) an propterea eum improbabimus, quòd omiſerit id in ſimplicium hiſtoria, quod magis expetendũ eſt; nempe eorum formas & facultates? Ita & qui ſolam morborum curationem libello perſequatur, quemadmodum Raſim feciſſe conſtat lib. 1 x. ad Almanſorem, an damnandus ideo fuerit, quòd ſolis remedijs contentus, morborum cauſas omiſerit, quæ ad recte perficiendam curationẽ maxime faciunt? Quid? non'ne & Galenus ipſe libellum de muſculorum diſſectione, atq; alium de neruorum, aliumq; de uenarum, arteriarumq; diſſectione cõſcripſit? & tamen eadem horum omnium tractatio eſſe deberet, quam executus eſt in libris de anatomicis adminiſtrationibus. quin & de motu muſculorum, & de potentijs naturalibus ſeparatos tractatus confecit, multa relinquens, quæ ad aliarum partium, rationes explicandas

candas pertinent: quæ libro deinde de usu partium in unum collecta sunt. librum præterea de pulsibus ad tyrones scribens, multa, ac præsertim causarum explicationem, omisit. Præstabat enim (ut Galenus inquit) initiatis in ipsis exerceri operibus primum per experientiam; deinde uniuersam rei naturam ratione perdiscere. Quare perspicuum est ob alios, atque alios respectus, licere nonnunquam uniuersam rerũ doctrinam uno libello nequaquã complecti: sed multa omittere, quæ ad illam pertinere uideantur. ex quibus illud haud dubie colligamus, non esse Dioscoridem exagitandum, quòd facultatum uniuersalium determinationes omiserit, quod erat unũ ei à Galeno obiectũ. Quam ob rem ad reliquum transeamus ab eodem Galeno contra Dioscoridẽ adnotatum; nempe quòd particulares illas, quas docet facultates, nulla etiam adhibita definitione, in medium afferat. ad quod neque difficile fuerit pro Dioscoride respondere, pro firmo tenentes id, quod à principio proposuimus, scientias scilicet, artesq; nullo pacto esse in doctrinis inuicem permiscendas: ac cum iam scierimus quodnam sit medicæ materiæ scriptoris officium; si particulares facultates distincte doceret Dioscorides, non solum medicæ materiæ limites transgrederetur, sed in therapeuticum scribendi genus omnino pertransiret; neque amplius simplicium scriptor dici mereretur: quod ut breuiter probemus, ad Galenum nos ipsos conuertamus, quæ Dioscoridi obijcit, in memoriam reuocantes. Tu igitur Galene acerbius in Dioscoridẽ inueheris, eumq; uehementius agitas, atque infectaris, quòd coriannum cum pane, aut polenta erysipelas curare illitum tradiderit: neq; quodnam erysipelas curet, manifestauerit. siquidem plures hic tumor habet differentias: quarum ratione uariam curationem fieri necesse est. debuisset enim adijcere illud erysipelas sanitati restituere posse, quod iam planè refrigeratum est. quia ei, quod uere est erysipelas, nempe inflammatum, & flauum, ut in principio esse solet, non solum non curaret, sed potius intensius redderet. Hic igitur morbi tempus declarari à Dioscoride desideras: quia nimirum pro temporis uarietate, causa etiam morbum procreans uaria fit. Præterea cum polygonum urinæ stillicidio prodesse ideo affirmat, quòd urinam aperte cieat; non exacte dispositionẽ eum discernere conquereris, in qua illud dari expediat. sed puto te causarum differentias ab eo cupere; si quidem tertio de symptomatum causis scripsisti stranguriam fieri uel ex imbecillitate uesicæ, uel ex urinæ acrimonia. Vesicæ autem imbecillitatem fieri ex ulcere, & ex inflammatione, alijsq; quibusdam de causis alibi docuisti. Quin & fortasse etiam cuperes distinctionem afferri, quia & per consensum renum, & iecoris stranguriam fieri nõ ignoras. Verum

qui

qui in his declarandis se implicuerit, & alia, quæ cum his sciri conuenit, omittere non debet. Nam qui morborum causas, quibus priuatim aliquod medicamentum destinatur, dicere aggrediatur; similiter & morborum tempus, cum scilicet incipientibus, uel desinentibus, uel in aliam speciem transeuntibus aliquid ualere in omnibus dicturus sit; nisi ieiunus, exiguus, aridus, minutusq; scriptor appellari uelit: oportebit eum & alia omnia, quæ cum illis examinari consueuerunt, proponere. cum nulla dissimilitudinis ratio assignari possit, quam ob rem scilicet illa proferri, hæc silentio præteriri debeant. sunt autem hæc, ut quàm magno, uel diuturno morbo, quibus ætatibus, naturis, temperamentis; qua corporis dispositione unumquodq; medicamen dari conueniat, explicaretur. considerandа nec minus esset quantitas, mora, & semel ne, an iterum, & sæpius exhibendum sit; & alia id genus quamplurima à nobis hoc tertio libro declarata. Atque ita cum polygonum dicit strangurias sanare; non solum necesse erat dispositionem distinguere, quòd scilicet eas uerbi gratia, quæ ex imbecillitate uesicæ, uel inflammatione, uel ulcere fiunt, curaret; sed etiam quòd acetabuli, uel maiori minorí ue mensura exhibita, recentes, uel uetustas strangurias, easque quæ maxime, uel non multum affligunt, in pueris, uel ætate prouectioribus; in bilioso, uel pituitoso temperamento persanare soleat, non omittere: quin & ieiunò stomacho, uel cibis pleno, semel sumptum, uel per aliquot dies: quin & medicamenti pars etiam explicanda esset, flos ne scilicet, an folia, an tota, herba assumenda sit: an præterea eius succus, an decoctum, an in pulueren redacta, & alia multa. uerum hæc scribere quid aliud fuerit, quàm curandi rationem persequi? Hæc enim omnia aperte, & quasi in fronte inscriptam ferunt cognitionem eorum, quæ medicum omnino anniti debere ut sciat, Herophilus iubebat, ut tertio κατὰ τόπους Galenus tradit, nempe quæ, & qualis, & quanta sit morbi causa, & ubi maxime ea dominetur. Quæ cum medicis curatiuam artem profitentibus scribat Herophilus; minus recte Galenus (si quorundam iudicio standum sit) ad materiæ medicæ scriptores retulit. Atque hic quidē unus modus fuerit, quo Dioscoridem defendere possemus. Quòd si cuipiā non ex toto is arrideat, neque desunt alij hoc fortasse tutiores, in quibus medicæ materiæ scriptoris munus clarius explicari posset. nam mirum profectò est, cur Galenus à Dioscoride requirat, quod ipse aliter & præcepit, & executus est. Cum enim permisceri in doctrina nō debeant, quæ per experientiam sunt inuenta, cum his quæ duce ratione cognoscuntur: debebat Dioscorides omnino rationes omittere, quippe qui ea sola docere profiteatur, quæ per experientiam ab anti-

quioribus assiduo successu & inuenta sunt,& sæpius comprobata. Ga
lenus enim secundo methodi ita de hac re præcepit. Commonemus »
non esse committendum,ut utraque simul confundantur, misceãturq; »
& quæ per experientiam sunt inuenta, & quæ sola ratione sunt inue- »
stigata. sed cum utrunque seorsum sit tractatum, post ambo coniun- »
gantur. Hæc ille. Atque hac etiam ratione reprehendit Lycum in prin »
cipio libri de musculorum dissectione, quòd longiorem de ea tracta-
tione sermonem habuerit: idq; non solum quòd satis diffuse omnia
interpretetur, sed etiam quòd rationales quæstiones ijs, quæ ex disse-
ctione apparent, immiscuerit. Vnde colligas seorsum tractandũ esse
de his, quæ experimento, ab his quę ratione indagata sunt. quod &
ipse etiam Galenus executus est, non solum in libris de musculorum
dissectione, sed in omnibus alijs, qui in re medica utrunque docent.
scripsit enim libros de anatomicis administrationibus, ubi ea sola do-
cuit, quæ oculis obijcerentur. sed horum causas, & rationes libris de
de usu partium persecutus est. Ita & de differentijs symptomatũ mor
borum, febrium, pulsuum, separatos libros conscripsit: seorsumq;
de horum omnium causis, alios libros. Sic Aristoteles animalium na-
turam, historiamq; separatim complectens, nullam unquam defini-
tionem adiunxit: uerum libris de partibus, ac generatione rationes
omnes explicat. Sic Theophrastus,qui in historia plantarum omnia,
nulla proposita determinatione,proponit. in libris autem de causis id
præfinit, quod ibi est omissum. atque,ut summatim dicam,ad quem-
cunque celebrem auctorem te uertas, idem obseruatum fuisse conspi-
cimus. Huius forte ratio est, quia cum multo plures sint rerum euen-
tus reperti,quàm causæ: (multi enim effectus sunt, quorum nulla ad-
huc inuenta ratio est) si quis singulis effectibus singulas causas assi-
gnare in doctrina profiteretur; cum in illos incideret, quorum dari
causa nequit:necessario eos silere deberet. nam si illos etiam interpo-
neret; assuefactus lector in omnibus alijs rationem uidere, cum in his
etiam expectatam non cerneret; acquiescere nullo pacto posset. Sed
aliquorum effectuum historiam silentio præterire, esset ea omittere,
quæ ad doctrinæ complementum pertinent. quam ob rem si seorsum
effectus dicantur, omnes recenseri possunt: causæ uero seorsum dictæ
omnes etiam,quæ scilicet inuentæ hucusq; fuerint,explicari poterunt.
Neque enim obstringi poterit auctor, eas proponere, quæ omnino
ignotæ sint; atque ita utraq; tractatio perfecta, quoad eius fieri pote-
rit,fiet; præter id quod clarior etiam sic doctrina reddetur.Hinc enim
fit, ut uideamus apud Aristotelem in libris de historia,multa proponi,
quorum rationes in libris de partibus,& generatione non adducit: ita
& in

& in Theophrasti libris. at non propterea imperfecte illos scripsisse dicimus. Vt igitur ad rem ipsam reuertamur, reprehendendus Dioscorides pari ratione non est; qui cum historiam solam medicamentorum simplicium conscribere in animo haberet: rationes non immiscuit. putauit enim seorsum de illis tractandum esse. quæ deinde si ille ipse monumentis non mandauerit, nihil nos mouere debet; cum post absolutam historiam, liberum ei arbitrium relictum sit, alia, quæ ad rationes pertinent, scriptis prodendi. Verum cum hoc à Galeno perfectum sit in libris de facultatibus medicamentorũ: qui utrunq; librum coniungere uelit, ambo medicinæ crura, rationem scilicet, & experimentum, unà possidebit. Iam uero cum experientia sola inuenerit, hoc calefacere, uel refrigerare, uel exiccare, uel humectare, (loquimur autem de illis quæ per se, nõ ex accidenti hoc efficiant) sed quod idem primo, uel secundo, uel tertio, uel quarto excessu has qualitates imprimat; ratio, ab experimento tamen adiuta, iudicet; atque iam probauerimus Dioscoridis propositum esse, ut de his, quæ solo experimento inuenta sunt, nullo intercedente rationis adminiculo, loquatur: nulli dubium esse poterit, debere quidem illum calefacere, uel refrigerare docere: sed ordinem ei expediendum relinquere, qui rationes, siue per se, siue experientiæ auxilio inuentas, memoriæ tradere profiteretur. Qui igitur prioribus rationibus nõ sit contentus, hanc, quam nuper diximus, illũ puto in gratiam Dioscoridis minime esse recusaturum. Aristoteles enim primo libro de historia animaliũ describit hominis caput, & faciem, & supercilia, & alias partes, quid sint, quam figurã, situmq; retineant, explicans; addendo etiam usum particularem, ut pote quòd supercilia in rectum porrecta mollem subesse animũ significãt; quòd facies magna segnes, parua mobiles, rotunda iracundos denotet. sed quã ob rem id fiat, non adiungit; quia in libris de partibus id dicendũ esse existimauit. nam in secundo libro inter alias rationes assignat, cur hominis caput macilentum, carneq; propè omni exutum sit, & cur oculi prope cerebrum existant; curq; eius compagis, & substantiæ; cur palpebræ factę sint & supercilia; tandemq; omnium, uel certe multorum rationes exequitur, quæ mera, ac nuda delineatione in alijs libris proposuerat. Theophrastus in libris de historia, annua fertiliora esse in pingui solo asserit; arbores in tenui. item quòd hę in pingui solo amplissime quidem crescunt, sed fructum nequeunt uel perficere, uel omnino parere. uerum horũ rationes ibi prætermittens, in libris de causis enodauit. nam quæ annua sunt, alimentũ id capiunt, quod summa telluris ministrãt: quod neq; exiguum, neq; exiccatu facile esse debet. Arbores contra, perficiunt tenui solo, quia radices magnas, robustasq;

agant; quibus alimentum ex imis ualeant haurire. Sic Sisymbrium in mentam transire simpliciter nullam addens rationem, tradidit: similiter & uiscum nõ nisi in aliena arbore uiuere: folia multa, & flores cum sole circumagi, & alia quamplurima. uerum in libris de causis hæc omnia rationibus præfiniuit. Quin & medicum usum Theophrastus nulla adhibita determinatione proponit: nam & Dictamnum Creticũ ad difficiles partus ualere tradit: Tuberis terræ radicem ad menstrua, ad ulcera ex melle, ad ebrietatem, & quosdã alios affectus: Trissaginem ad rupta, ad uulnera. Mandragoræ folium ad ulcera cum farina, & alias quamplurimas plantas ad multos morbos ualere docet, nullam (uti historiæ scriptorem decebat) determinationem assignans. Neq; uero in alio differre Dioscoridẽ, & Theophrastũ in scribendi genere in historia plantarum iam diximus, nisi quòd ille medicũ tantummodo usum docet, hic uero nõ solum hunc, sed omnes alios, qui in illis considerari possint. Verum Theophrastus quæ de plantis, ut medicamenta sunt, considerat; in nulla re, nisi in ordine docendi ab his, quæ Dioscorides docet, dissimilitudinem habent. nam propositis nominibus delineationibusq;, uires particulares ieiune exiliterq; scribit: quanquã diuersis locis, non semel, atq; in unum, ut Dioscorides, id exequitur. Librũ uero de causis nullo pacto imitatus est Dioscorides, sed quemadmodũ quandoq; Theophrastus in historia causas aliquot eorum, quæ experientia sunt inuenta, proponit; (nam IX. de historia, cap. XIIII. cum nonnullas radices plurimum temporis perdurare dixisset, non potuit se ipsum continere, quin qua id ratione fieret, doceret; & in quibusdam alijs eodem modo) ita & Dioscorides nonnunquã rationes assignat, id definiens, quod determinare minime debuisset; quod cur fiat mox ostendetur. hinc igitur effectum est, quare uarie uterq; librum suum inscripserit. Nam quanuis historiam Dioscorides scribat, non propterea librum suum de historia plantarum inscribere debuit. atque id quidem non solum quia de quibusdam alijs, præter plantas pertractat, nempe de animalibus, metallicisq;, ut in superioribus docuimus; sed etiam quia historiæ nomen latius uagatur, quàm ut ad sola medicamenta coarctari possit; qui enim stirpium historiam docere promittit, quicquid in stirpibus considerari poterit, doceat necesse est. quam ob rem Theophrastus, & Plinius non solum medendi uires, sed omnes alios usus, quos multis artificibus præstare stirpes possunt, rite publicis monumentis consignarunt; quia uterque historiam exarare pollicetur. Quocirca ambigendum sanè est, an recta eorum inscriptio sit: qui cum nihil, nisi medicas facultates in plantis considerent, de stirpium tamen historia librũ inscripsere. Non absq; ratione igi-

tur

tur hiſtoriæ nomen uitans Dioſcorides,materiã medicam pro inſcriptiõe elegit.Videtur enim hoc nomẽ neſcio quid altius,utiliuſq́; polliceri; ut pote medicinæ inſtrumẽta;ſine quibus hæc recte exerceri non poteſt; etiamſi idẽ fortaſſe fuerit,quod & medicamẽtorũ hiſtoria: quã nude,ſimpliciterq́;,& nullã apponẽdo prẽfinitionẽ tractari debere,uel Plinius oſtẽdit: qui ne in philoſophicis quidẽ,niſi raro,rationũ determinationes proponere curauit. Concludendũ eſt igitur materiæ medicæ ſcriptoris munus eſſe,ut quod ſcribit,nulla addita perſcriptione, literis prodat,ut conſcriptas deinde ſeparato uolumine rationes, cum illis medicæ artis ſtudioſus cõnectat: paulatimq́; ad medẽdi methodũ accedere inſtructior poſsit. Erit.n. ni fallor, addiſcendi ordo & progreſſus hic,ut primo loco facultates medicamentorũ, quin & ipſa etiã medicamenta noſcamus,(quod & Galenus uidetur etiam ſentire libro tertio methodi)deinde ad medẽdi methodum accedamus;ac poſtremo ad medicamentorũ compoſitiones. Verum cum facultates partim experimento ſolo,partim ratione & periclitatione ſimul inuentæ ſint,ab his quę ſola experientia cõprobatę ſunt,incipientes,nos ipſos inſtruemus,uires ſcilicet nudas,ſimpliciterq́; conſcriptas memoria mãdãtes. quibuſque morbis medeantur ſolũmodo cõſiderantes. quod Dioſcoridis liber docet, quem neſcio planè, an dicere debeam pro tyronibus fuiſſe conſcriptum:Deindeq́; in ijs, quæ ratione ſunt inueſtigata nos ipſos exercẽtes,& calidi,& frigidi;& humidi,& ſicci naturas graduſq́; noſcemus:&aliarum etiam ab his fluentium qualitatum ideas nõ omittemus,quæ logicas quæſtiones ad ſe uocant;ut abſtergentium,incidentium,ſuppurantium,repellentium,& id genus aliorũ;quibus particulares uires,exemplo ſæpius probatas,non abſq; ratione ineſſe confirmabimus.Exinde ad curatiuas indicationes procedẽtes,pro uaria morborum cauſa,nunc his,nunc illis utemur;deligentes primo, quæ deſtinatum morbum,in deſtinata parte amouere ualeant;atq; ex illis deinde unum accipientes,quod æquo gradu cũ morbo pugnare ualeat. Quòd ſi ſimplex non ſuffecerit,ad rationem cõponendi confugientes, primũ quidem generalium medicamentorum formulis perceptis, ad particulares nos ipſos conuertemus. Atq; ita ex tot libris eandem ferè rem non uno modo pertractantibus perfectam curandi rationẽ conſequemur.Neque enim liber de facultatibus uniuerſalibus,librum de particularibus p̃cedet, ut uniuerſale quoddã,quod ſemper particulari præponi ſolet.quia aliã ſortiũtur contẽplationem,reſpectumque; nempe effectus & cauſæ. Liber enim Galeni de ſimplicibus facultatibus,etiã ſi de calido,& frigido,& alijs qualitatibus in uniuerſum loquatur,non tamen reſpectu eorum,quæ Dioſcorides docet,prædicandi,ut uocant,

uniuer-

uniuersalitatem habẽt. sed potius causæ sunt,& rationes effectuũ: quos effectus in Dioscoridis libro uires particulares appellari diximus. Ergo cum à facilioribus doctrinã quęrimus, quia ab effectibus ad causas procedimus, hinc liber Dioscoridis ante nobis perdiscendus occurrit, quàm Galeni liber. Atq; hac etiã ratione omnes illi, quos superius annumerauimus, auctores, historiã & differentias corũ, quę pertractãt, præmiserũt libris, qui causarũ rationumq; disciplinã continẽt. proponatur enim stomachus calida intẽperie laborans: si hunc curare aggrediamur, primo ob oculos nobis ponemus syluã simpliciũ ad stomachi morbos ualentiũ; quæ ut sciamus, ad experimenta statim confugiemus à nostris maioribus comprobata; sed à Dioscoride in unũ collecta: Ex quibus ea deligemus, quæ refrigerare ab illo ipso docemur. sed antequam ad affectum ea applicemus, scire debebimus, quo singulũ ordine refrigeret; quod Galenus libro simplicium docet, ex saporibus, & alijs quibusdam. Quibus recte cognitis ad medẽdi methodũ aggrediemur: ubi curatiuas indicationes, & lapsuum gradus inueniemus. atq; esto, quòd percipiamus in secundo recessu ad calidũ hanc stomachi intemperiem uergere: illud assumemus medicamentũ, quod in secundo ordine frigidum, ex tam multis etiã frigida qualitate præditis inueneramus; atq; ita curationẽ recte prosequemur. Quòd si in Galeni methodo nonnunquã contrarium, uel diuersum in remediorum inuentione progressum inueniamus: est quia ille nunc per compositionem, nunc per dissolutionẽ inuentam methodum proponit; quæ cõtrario modo procedere solent. Quòd igitur moroso potius, quã ingenuo, liberoq; fastidio Dioscoridem reprehendat Galenus; quodq; eius obiectis cumulatissime satisfactũ sit, ex his manifestum esse existimamus. At uero si quis attentius Galeni scripta intueatur, inueniet illum in eosdem incidisse errores, de quibus Dioscoridẽ accusat. Nam cũ Circæam, ex Dioscoridis sententia, ait ex uino dulci potam, secundas purgare; quia scilicet boni sit odoris, & calfactoria: cur quęso calfaciendi gradũ non addidit; cur etiam dispositionẽ nõ distinguit, cum ad lactis generationem eandem ualere tradit; cum nõ ignoret lactis defectũ ex pluribus, atque illis quidem contrarijs, causis fieri posse? Sic qui legerit quæ de Hedera docet, quam quæso determinationem tam in uniuersalibus, quàm in particularibus facultatibus inueniet? Inquit etenim: Hedera „ ex contrarijs composita est facultatibus; habet enim quiddam astrin- „ gentis substantiæ, quam terrenã, & frigidam esse ostendimus; habetq; „ etiam nonnihil acris, quam calidam esse uel gustus comprobat. Vbi est „ ordinis graduſq; distinctio? similiter cum lienosis eam ualere docet, cur dispositionem non explicat? Sed dum in corianno Dioscoridem

redarguit,

redarguit,tanquam eum, qui nulla propoſita determinatione, ſcripſerit ; cur ea quæ ipſe de Colocynthide paulo ſuperius ſcripſerat,nõ animaduertit,ubi non ſolum eius gradum nõ ponit,ſed neque qualitates? hoc autem & in innumeris alijs apud illum in libris ſimplicium uidere eſt. Neque eſt quòd pro Galeno dicas, illum ea tantum diſtincte proponere,quorum feciſſet periculum : nam ſicuti multa ſunt, quibus ad multos morbos uſus eſt, & tamen nullum in propria hiſtoria eorũ determinationem adiecit;ita & in colocynthide hoc uidetur, quam in multis cõpoſitionibus immiſcuiſſe,nemo non nouit;quibus neutiquã admiſcuiſſet, ſi cius qualitates, & gradus ignoraſſet. Sed cur quæſo, o Galene tam breuis eſt tua de hellebero hiſtoria? cur eius uſum, apparatumq; & exhibendi rationem omittis in libro ſimpliciũ, gradus explicatione tantum contentus? Quod ſi non erat hic ea dicendi locus, ubi nam hæc abſolute docuiſti? An exiſtimaſti licere tibi de hoc ideo ſiluiſſe, quòd alij ante te eandem rem exactiſsime pertractarunt? Sed cur non licuerit Dioſcoridi materiam ſolam medicamentorũ ſcribenti, quod tibi uniuerſam medicinam quam longiſsimis commentarijs exequenti? Hęc quidem etiam ſi neceſſeria ſcitu eſſe Dioſcorides animaduerterat,ad ſuum tamen munus minime pertinere,non ignorabat; ac propterea capite de helleboro ſic ſcriptum reliquit. Pręparatio corporum,ac nictus ratio diligenter tradita eſt cum ab his, qui de medica eius potione ſcriptitarũt,tum maxime à Philonide Siculo Ennenſi; cui nunc aſſentimur. quippe longum nimis eſſet in hac præſertim æditione de materia ſimul medicam curandi rationem exponere. Hæc ille. Ex quibus quiſq; per ſe in alijs eiuſmodi à Dioſcoride omiſsis, idem iudicium ſtatuere poteſt. Nam non propter aliud addidiſſe exiſtimandum eſt, [In hac præſertim æditione de materia] niſi ut breuitatem tractandi,quæ in ea requiritur,denotaret. Quę cum ita ſint,tantum abeſt,ut Dioſcoridem reprehendamus,quòd nulla appoſita definitione,multa ſcripſerit ; ut potius accuſari mereatur,quòd ſuos limites tranſgrediens,non ſolum multa definierit,ut tertium hunc librum legenti manifeſtabitur ; ſed etiam quòd quædam alia in ſuo libello inſeruerit, quæ ad apparatum tum corporis, tum medicaminum ; & ad alia quædam pertinent ; quæ ab hac materia omnino aliena eſſe uidentur. Vt cum abluendi, & urendi rationem docet in omnibus ferè metallicis : cum ſuccorum etiam extrahendorum modum proponit, non ſolum particulatim in multis medicamentis, ſed uniuerſales regulas capite de centaurio minore docens : ſicuti & cum rationes aſsignat, quam ob rem aliquod medicamentum aliquem effectum præſter. ſed qui diſciplinarum admirabilem compoſitionem, connexionemq; eorum

rum,quæ Dioscorides scribebat,cum illis,quæ sitere debuisset,contemplabitur;facile existimabit non potuisse illum effugere, quin aliqua de illis interponeret: quod & Galeno etiam contigisse unicuiq; clarum est, qui in libris simplicium non raro componendorum medicaminũ regulas; quin & curandi certas rationes prosequitur. illa tamen Dioscorides,& si extra suum scopum, maxime tamen utilia esse cognoscebat. quòd si ad medendi præcepta, ueluti quidam transfuga, quandoq; delapsus sit; celeriter ad rem suam redeundum sibi esse putauit, ne alienam messem metere existimaretur. Cæterũ quonam pacto definiri certis quibusdam rationibus possint, quæ neque distincte, neque distribute à Dioscoride dicta sunt:in hoc tertio libro abunde nos persecutos fuisse existimamus. Vbi colligere unusquisq; ualeat Dioscoridis librum & ab empiricis, & à rationalibus medicis æque intelligi, non autem æque ad usum omnia accõmodari ab ijsdem posse. Eius uero mentem fuisse his scribere,qui in uniuersalibus curandi methodis uel fuerint uersati,uel saltem post eius lectionem in illis se exercere cogitent. Neq; ad usum duci medicamenta his solis,quæ ille scripsit,putauit:sed perdiscẽdas esse corũ uires,atq; eousq; memoria tenẽdas,quoad alijs libris perlectis,qui certam eorum applicandorum regulã ostendunt,usum certum cognoscamus. Ac siquis non à particularibus uiribus ad curandi indicationes,sed potius reciproco ordine progredien dum esse existimet;ita ut ultimo loco perlegendum putet Dioscoridis librum(neque enim utra melior uia sit, nunc propositum est disputare)licebit id quidem, dũmodo hæc omnia separatis uoluminibus pertractata apte,rectaq; ratione connectere sciat. Tuncq; dicemus Dioscoridem librum suum non cuiuis legendum reliquisse;sed illis tantum, qui prius in uniuersalibus medendi libris fuerint exercitati. Quam ob rem cum medicis ille librum suum conscripserit,medicis etiam suorũ medicaminum facultates exemplo cõprobandas tradat:nihil est quòd ab eo requirant, quod ipsi perfecte callere obligatione, ac seruitute quadam obstringuntur.

METHODI COGNOSCENDORVM SIMPLICIVM

FINIS.

41198

7